THEOLOGIA
SCHOLASTICO-DOGMATICA
JUXTA MENTEM
D. THOMÆ AQUINATIS
AD USUM DISCIPULORUM
EJUSDEM ANGELICI PRÆCEPTORIS
ACCOMMODATA.

PER F. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
Bononienſem, Ordinis Prædicatorum, in Patria Univerſitate Controverſiarum Fidei Profeſſorem
NUNC
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

TOMUS II. IN SECUNDAM SECUNDÆ PARTIS
ORDINE UNDECIMUS
De Jure, & Juſtitia; & de Reſtitutione.



BONONIÆ M.DCC.XXXI.
Ex Typographia Bononienſi Sancti THOMÆ AQUINATIS.
SUPERIORUM PERMISSU.

CATALOGUS

Eorum, quæ hic Secundus Tomus in Secundam Secundæ, ordine Undecimus, complectitur.

TRACTATUS DE JURE, ET JUSTITIA.

QUÆSTIO PRIMA.

De Jure.

DUBIUM PRIMUM.

Utrum Jus sit Objectum Justitiæ.

DUBIUM SECUNDUM.

De Divisione Juris in Naturale, & Positivum Humanum.

DUBIUM TERTIUM.

Juris Positivi Humani Divisio.

DUBIUM QUARTUM.

De Jure Gentium, an sit idem cum Jure Naturali.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Justitia, ejusque Naturâ.

DUBIUM PRIMUM.

Quid sit Justitia.

DUBIUM SECUNDUM.

Variorum Examen circa Naturam Justitiæ.

QUÆSTIO TERTIA.

De Divisione Justitiæ.

DUBIUM PRIMUM.

De Justitia Generali, & Particulari.

DUBIUM SECUNDUM.

De Justitia Distributivâ, & Commutativâ.

QUÆSTIO QUARTA.

De Subjecto Justitiæ.

DUBIUM PRIMUM.

An in Deo erga Hominem, & in Homine erga Deum sit Justitia verè Commutativa?

DUBIUM SECUNDUM.

An in Deo detur Justitia Distributiva erga Homines?

DU-

DUBIUM TERTIUM.

An inter Patrem, & Filium, Maritum, & Uxorem, Dominum, & Servum detur perfecta Justitia?

QUÆSTIO QUINTA.

De Jure, & Dominio.

DUBIUM PRIMUM.

Quid sit Jus Activum, quid Dominium, & Quotuplex?

DUBIUM SECUNDUM.

An in Rebus Unico Usu Consumtibilibus, sit Separabilis Usus à Dominio.

DUBIUM TERTIUM.

An Licitum, & Laudabile sit, Rerum Temporalium Dominium abdicare?

DU

DUBIUM QUARTUM.

An Licitum sit etiam Christianis Dominium in Res Temporales habere?

DUBIUM QUINTUM.

An etiam Viris Ecclesiasticis, imò & ipsi Ecclesiæ, Proprium, ac Dominium Temporale habere Licitum sit?

DUBIUM SEXTUM.

Quid, & Quotuplex sit Possessio: Quomodo Acquiratur, & Deperdatur.

QUÆSTIO SEXTA.

De Modis Acquirendi Dominium.

DUBIUM PRIMUM.

De Venatione, Aucupio, Piscatione.

DUBIUM SECUNDUM.

De Acquisitione Dominii super Bona Inventa, Domino Carentia.

DUBIUM TERTIUM.

De Inventione Bonorum Incertorum.

DUBIUM QUARTUM.

De Modis Acquirendi Dominium per Alluvionem, Accessionem &c.

DUBIUM QUINTUM.

De Modo Acquirendi Dominium per Præscriptionem, sive Usucapionem.

DUBIUM SEXTUM.

Conditiones Requisitæ ad Legitimè Præscribendum.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Subjecto Dominii in Communi.

DUBIUM PRIMUM.

Quænam Natura sit Capax Dominii.

DUBIUM SECUNDUM.

An Christus sit totius Orbis Dominus?

x

DUBIUM TERTIUM.

An Papa dici possit, & sit Dominus Temporalis totius Orbis?

DUBIUM QUARTUM.

An Imperator dici possit, & sit Dominus totius Orbis?

QUÆSTIO OCTAVA.

De Objecto Dominii.

DUBIUM PRIMUM.

An Angeli, Cœli, & Homines Cadant sub Hominis Dominio?

DUBIUM SECUNDUM.

An Homo sit Dominus suæ Vitæ, & Membrorum?

DUBIUM TERTIUM.

An Homo sit Dominus suæ Famæ, & Honoris?

DUBIUM QUARTUM.

An Penes Duos possit esse Dominium in Solidum in eandem Rem.

TRACTATUS

DE RESTITUTIONE

QUÆSTIO PRIMA.

De Essentia Restitutionis, ejusque Obligatione.

DUBIUM PRIMUM.

An Restitutio sit Actus Justitiæ Commutativæ?

DUBIUM SECUNDUM.

An Restituere quod Ablatum est, sit Necessarium ad Salutem?

DUBIUM TERTIUM.

An Restitutio Statim Facienda sit?

DUBIUM QUARTUM.

Quænam sint Causæ Excusantes à Restitutione Statim Faciendâ.

DUBIUM QUINTUM.

Quo Ordine Facienda sit Restitutio.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quinam Teneantur Restituere.

DUBIUM PRIMUM.

De Eo, qui Læsit Alterum in Bonis Animæ.

DUBIUM SECUNDUM.

De Eo qui, Avocat Aliquem ab Ingressu in Religionem, vel ab Ea Revocat jam Professum.

DU-

DUBIUM TERTIUM.

De Eo, qui Injuſtè impedit Alterum à Conſecutione Officii, Beneficii, vel alterius Boni.

DUBIUM QUARTUM.

De Eo, qui Læſit aliquem in Bonis Corpis, vel eum Occidendo, vel Mutilando.

DUBIUM QUINTUM.

De Eo, qui Vitiavit Virginem.

DUBIUM SEXTUM.

De Eo, qui Adulterium Commiſit.

QUÆSTIO TERTIA.

De Restitutione Famæ.

DUBIUM PRIMUM.

Quot Modis Famæ, vel Honoris Læsio Contingat.

DUBIUM SECUNDUM.

Quandonam Incurratur Obligatio Famam Restituendi, & Quando non?

DUBIUM TERTIUM.

De Modo Restituendi Famam.

DUBIUM QUARTUM.

Aliqua Quæsita pro Complemento.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

Quid, & Cui Restituendum sit.

DUBIUM PRIMUM.

An Aliquando debeat Quis Restituere Plus, quàm Abstulit?

DUBIUM SECUNDUM.

An Aliquando Teneatur Quis Restituere Quod non Abstulit?

DUBIUM TERTIUM.

Quibus Facienda sit Restitutio.

QUÆSTIO QUINTA.

De Debito Restitutionis, ex Illicita Datione, & Acceptione.

DUBIUM PRIMUM.

De Datione Licita, sed ob Turpem Causam.

DUBIUM SECUNDUM.

De Datione, & Acceptione Illicitâ ratione Materiæ, qualis eſt Simoniaca.

DUBIUM TERTIUM.

De Datione Illicitâ in Seipſa ex Parte Dantis, & Recipientis.

DUBIUM QUARTUM.

De Datione Licitâ ex Parte Dantis, Illicitâ verò ex Parte Recipientis.

DUBIUM QUINTUM.

An Poſſeſſor Bonæ Fidei Obligetur Reſtituere?

DU-

DUBIUM SEXTUM.

De Obligatione Possessoris Malæ, vel Dubiæ Fidei.

DUBIUM SEPTIMUM.

De Iis, qui Alterius Damno Cooperantur.

DUBIUM OCTAVUM.

De Singulis Modis, quibus Contingit ad Injustam Actionem Cooperari.

DUBIUM NONUM.

Quo Ordine Restituere debeant Cooperantes ad Injustitiam.

DU-

DUBIUM DECIMUM.

De Obligatione Reſtitutionis ex Parvis Furtis.

Viſit

Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri, Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitanâ Bononiæ Pœnitentiarius Rector, pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, D. Proſpero Laurentio Cardinali Lambertini, Archiepiſcopo Bononiæ, ac Sancti Romani Imperii Principe.

Die 9. Maii 1731.

Attentâ præmiſsâ Relatione

IMPRIMATUR.

Fr Dominicus Maria Bellotti Sancti Officii Bononiæ Vicarius Generalis.

THEOLOGIÆ SCHOLASTICO-DOGMATICÆ.

TRACTATUS DE JURE, ET JUSTITIA.

Consideratio de jure, & justitia Philosophis, Juristis, & Theologis communis est; modus tamen, & finis eam considerandi, diversus. Philosophus enim moralis jus, & justitiam considerat secundùm principia legis naturæ; & pro fine habet, hominem benè disponere ad finem naturalis honestatis, & convictum politicum. Jurisconsultus jus, & justitiam inspicit secundùm leges humanas, tàm Ecclesiasticas, quàm civiles, quarum observantiam intendit. At Theologus, qui cunctis aliarum artium Professoribus, & modo procedendi, & fine eminet; jus, & justitiam per superiora, ac supernaturalia principia scrutatur: ut per ea hominem ad finem æternæ vitæ perducat. Hoc Angelicâ suâ claritate, & distinctione, inter cæteros, præstat S. Thomas 2. 2. *à q.* 57. usque *ad* 80. cujus doctrinæ, & methodo inhærentes præsentem Tractatum instituimus.

QUÆSTIO I.

De Jure.

Quia secundùm Arist. 2. *de Anima, text.* 33. qui de potentia, vel habitu tractaturus est, exordium auspicari debet ab objecto, unde habitus speciem sortitur; ideoque qui de sensibus init disputationem, priùs de sensibili tractare debet, quia sensus per ordinem ad sensibile solùm explicari potest: & quia idem Arist. 5. *Ethic.* definit justitiam per *jus*, seu *justum*, tanquam per suum objectum, dicens: Quòd sit *habitus, quo justum volumus, & justum operamur:* ideo ad quæstionem de justitia quæstionem de jure præmittimus.

DUBIUM I.

Utrum Jus sit Objectum Justitiæ.

§. I.

Variæ Juris Acceptiones.

I. Varias hoc nomen *Jus* subit significationes, sub quibus objectum justitiæ esse non potest, ut docet S. Tho. hîc *q.* 57. *a.* 1. *ad* 1. Primò enim *Jus* accipitur pro ipsa arte, quâ cognoscitur, quid sit justum, quæ alio nomine vocatur Jurisprudentia. Et hoc modo jus accepit Celsus Jurisconsultus *lib.* 1. *ff. de Justitia, & Jure*, dicens: *Jus est ars boni, & æqui.* Sed hoc est detorquere nomina à sua primâ impositione, inquit S. Thom. Nam *sicut nomen medicina*

cius impositum est primò ad significandum remedium, quod præstatur infirmo ad sanandum; deinde tractum est ad significandam artem, quâ hoc fit: ita etiam hoc nomen jus primò impositum est, ad significandam ipsam rem justam: postmodum autem est derivatum ad artem, quâ cognoscitur, quid sit justum. — Secundò. Est derivatum, *Ad significandum locum, in quo jus redditur: sicut dicitur aliquis* comparere *in jure.* — Tertiò. Transfertur ad significandam ipsam Judicis sententiam. Cum enim Judex sententiam profert, jus dicere dicitur: cum *interdum quod decernit* sit *iniquum*. Nullo autem ex his modis jus est objectum justitiæ.

II. Aliis ergo tribus modis jus usurpatur. Primò. Pro lege determinante, quid ex justitia cuique tribuendum sit; quomodo ipsa lex *Jus* dicitur, seu veriùs *Juris regula*. Et ita distinguimus jura in jus naturale, divinum, humanum &c. Unde alienum non surripere, dicimus esse de jure naturali; suscipere Baptismum esse de jure divino; servare statuta jejunia esse de jure humano. — Secundò. Sumitur jus activè pro legitima potestate, quam quis habet aliquid faciendi, aut recipiendi, ut impediri minimè debeat. Sic qui rem suam consumit, vendit, defendit, utitur jure suo. — Tertiò. Sumitur jus quasi passivè, prout est idem, ac *Justum*; & non pro justo quomodocumque, uti est æquum, bonum, honestum; sed pro justo, quod ponit æqualitatem inter debitum unius, & creditum alterius: quo sensu dicit S. Th. hoc *art.* 1. dicuntur *vulgariter ea, quæ adæquantur*, justari.

III. Omnibus ergo tribus præfatis modis *Jus* pertinet ad justitiam: aliter tamen, & aliter. Nam *Jus* primo modo comparatur ad justitiam, ut ejus regula: eo quòd omnis justitia regulatur lege determinante, quid unicuique debeatur, quidque illi reddendum sit, ut adæquetur, seu justetur. — Secundo verò modo jus se habet, ut conditio omnino necessaria ad justitiam: quia cui nulla est legitima potestas ad aliquid, nihil potest esse debitum. — Tertio autem modo jus est objectum justitiæ, circa quod ipsa directè, & per se versatur. Justitia enim respicit hoc, quod est dare unicuique, quod suum est, & quod sibi debetur; eumque sic adæquare, & justare: & ideo jus, seu justum, quod à justitia respicitur, est jus connotans in altero potestatem, seu jus exigendi. Intantùm enim solvere centum creditori, actus justitiæ est; inquantùm creditor potestatem habet, seu jus exigendi centum: ut inter creditorem, & debitorem ponatur æqualitas. Licèt ergo solùm jus tertio modo sit objectum justitiæ, ut dicetur; de jure tamen secundo modo, pro mei Candidati instructione, aliqua dicam: nam de jure primo modo erit sermo in sequentibus.

IV. Jus ergo secundo modo sumtum, videlicet, pro legitima potestate, definitur: *Potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, seu quasi functionem, cujus violatio injuriam constituit.* Dicitur *Potestas*, vel activa ad agendum, aut retinendum aliquid; vel passiva ad aliquid recipiendum, puta, ut alatur, ut ei inserviatur: vel resistitiva, ut in jure, quod quis habet, puta, ne quis in tali loco ædificet, ne altiùs attollat murum, ne aperiat fenestram &c. — Dicitur *Legitima*, idest, à lege concessa; aliàs non esset jus, sed violentia. Potest autem tale jus concedi, vel à lege naturali, ut jus ad victum, & sustentationem; ad vim vi repellendam, ad retinendum quod suum est: vel à lege divinâ, ut jus ad recipienda sacramenta, vel alia ad salutem animæ necessaria: vel ab humana, ut jus ad succedendum in hæreditate.

V. Jus modo dicto dividitur in *Jus ad rem*, & *Jus in re*. Istud est, quod tribuit actionem realem, idest, non solùm in personam, sed & in rem;

quæ

quæ ubicumque fit, illius eft, devincta eft illi: & quocumque transeat, cum illo onere transit semper obstricta ei, quia in illa jus habet. Quia verò nil magis obstrictum, & devinctum est nobis, quàm id, cujus domini fumus; jus in re præcipuè dicitur illud, quod habemus circa res, quarum fumus domini: quale est jus utendi, alienandi, recuperandi res, quarum fumus domini, cum eas amisimus. Jus ad rem illud eft, quod directè, immediatè non tribuit actionem realem, five in rem, sed folùm personalem, seu in personam. Quare si res vendita, nondum tamen tradita, vendatur alteri, manet illi, qui emit; quia res ipsa nobis non est obligata: nobis tamen datur actio in personam, quia persona obligata est ad rem dandam suo tempore. De hoc sermo erit infra. *Qu.* 4. *Dub.* 1. §. 1.

VI. Hinc fit, quòd ut jus in re habere dicamur, non fufficit titulus ad transferendum dominium, ut emtio, donatio, electio, præsentatio; sed insuper requiritur, quòd res fit tradita aliquo genere traditionis. Et ideo in *l. Tradition. c. de Pactis* dicitur: *Traditionibus, & usucapionibus, dominia rerum, non nudis pactis, transferuntur.* Quare per emtionem, venditionem, &c. non acquiritur jus in re, nisi fecutâ traditione; nec in beneficiis per collationem, præsentationem &c. nisi fecutâ acceptatione illorum. At jus ad rem acquiritur, vel per venditionem, emtionem, collationem, præsentationem, per jus hæreditatis; non fecutâ tamen traditione, acceptatione, aut possessione. Ita Salmant. *Tract.* 12. *de Just. & Jure c.* 1. *puncto* 1. Molina, Lessius, & alii.

VII. Hujusmodi autem jus activum, seu potestativum, adhuc dividitur in jus jurisdictionis, & proprietatis. Jus jurisdictionis eft: *Potestas, non ejus, cui inest, sed ejus, qui illi subest, utilitati, ac felicitati promovendæ devincta.* Jus verò proprietatis est è converso: *Potestas propria subjecti, cui inest, utilitati, atque felicitati inserviens.* Sive: *Libera facultas disponendi de re aliqua in utilitatem propriam, non impedibilis licitè ab aliis.* Jus jurisdictionis est illud, quod habent Superiores, Prælati, Principes in sibi fubditos; ideoque directè ordinatum ad utilitatem, & felicitatem fubditorum. Jus autem proprietatis illud est, quod habet quis fupra rem fuam, quâ in sui utilitatem, & commodum potest uti, prout sibi maluerit.

VIII. Ex his duobus juribus activis, seu potestativis resultat denominatio juris objectivi, seu passivi in rebus, circa quas versantur: & hoc jus objectivum idem est, ac justum, seu quod unicuique debetur ratione juris, quod habet. Justum porrò, quod dicitur relatè ad jus jurisdictionis, coincidit cum æquo, & cum honesto: ideoque non pertinet ad objectum justitiæ, ut virtus specialis est; sed, vel vagatur per actus omnium virtutum, de quibus jura, & leges disponunt: vel pertinet ad obedientiam, quæ directè respicit actus omnium, quatenus formaliter fubsunt jurisdictioni, seu legi.

Justum ergo pertinens ad justitiam, ut ejus objectum, eft justum, seu jus passivum proprietatis, id nempe, quod cuique debetur, tanquam proprium, & fuum. Quod aliis terminis dicitur *Jus*, feu *Justum legale*, non præcisè quia est fecundùm legem (id enim in objectis omnium virtutum reperitur) sed quia jura, & leges ad illud solvendum frequenter adstringunt; ad differentiam juris moralis, quod propriè non in aliqua lege fundatur, sed in honestate virtutis: honestum enim, ac decens est, fecundùm virtutem operari. Unde S. Tho. 2. 2. *q.* 80. *a.* 1. ait: *Debitum quidem legale est, ad quod reddendum aliquis lege adstringitur. Et tale debitum propriè attendit justitia, quæ est principalis virtus. Debitum autem morale est, quod aliquis debet ex honestate virtutis.*

IX. Hoc ergo jus, feu justum legale,

gale, aliud est simpliciter tale, quod ab aliquibus vocatur politicum; aliud secundum quid. Jus politicum, seu simpliciter tale tres exigere debet conditiones: primam, ut simpliciter debeatur debito legali: secundam, ut servet æqualitatem simpliciter talem: tertiam, ut sit simpliciter ad alterum. Jus legale secundum quid est illud, cui aliqua ex his conditionibus deest; ut accidit in omnibus virtutibus potentialibus Justitiæ, ut pietate, Religione, observantia: quæ, vel non reddunt æquale, vel non sunt ad alterum simpliciter, vel debitum legale rigorosum non supponunt. His pro intelligentia Juris prænotatis, fit

§. I I.

Resolutio Dubii.

X. DIco. Objectum formale justitiæ est jus passivè acceptum; prout scilicet dicit justum, & æquale, quo jus alterius expletur, & adæquatur. Unde jus, quod est objectum justitiæ, duo dicit: in uno debitum, in altero jus exigendi. Intantum ergo quis dicitur facere justum, inquantùm solvendo debitum, explet, & adæquat alterius jus, seu potestatem. Assertio hæc est S. Thomæ 2. 2. *qu.* 57. *a.* 1. & probatur primò. Nam habitus definiuntur per sua objecta: sed justitia definitur per jus, sive justum; ergo &c. Min. probatur ex Philosopho 5. Ethic. cap. 1. *Omnes talem habitum volunt dicere justitiam; à quo operativi justorum sunt*. Tùm ex Jurisperitis, qui justitiam definiunt esse: *Perpetuam, & constantem voluntatem jus suum cuique tribuendi*. Tùm ex Theologis. Nam S. Ambrosius, *l.* 1. *de Officiis c.* 24. dicit: *Quòd justitia suum cuique tribuit, alienum non vendicat*. Et August. lib. 19. de Civit. Dei cap. 21. *Non est jus, ubi nulla est justitia. Justitia porrò ea virtus est, quæ suum cuique tribuit*.

XI. Probatur secundò. Illud est objectum alicujus virtutis, quod est medium inter excessum, & defectum in materia illius virtutis: sed jus, seu justum, est medium in materia, circa quam versatur justitia; ergo est objectum illius. Min. prob. Tunc enim peccatur in materia justitiæ, quando quis alteri, vel detrahendo, vel non dando, plus sibi tribuit, quam debet, aut alteri minus: medium autem inter istud plus, & minus est justum, sive jus per quamdam æqualitatem, sive arithmeticam, & rei ad rem, ut in justitia commutativâ; sive geometricam, & proportionis rei ad personam, ut in justitia distributivâ. Sed de hoc infra.

XII. Confirmatur. Illud est objectum justitiæ, quod formaliter voluntas intendit per justitiam: sed id, quod formaliter intendit per justitiam, est facere iustum, seu ponere æqualitatem inter duos; ergo &c. Min. prob. exemplo. Si enim mihi operam tuam locasti, ratione cuius exurgit in te jus exigendi, & in me debitum reddendi mercedem; dum ego hanc tibi ex iustitia reddo, non aliud intendo, nisi, ut tali redditione iustemur, & inter me, & te ponatur æqualitas: ut nec ego tibi plus debeam, nec tu ius habeas à me plus exigendi: *Illud enim* (inquit S. Tho hoc art. 1.) *in opere nostro dicitur esse justum, quod respondet secundùm aliquam æqualitatem alteri, puta recompensatio mercedis debita pro servitio impenso*.

XIII. Ex hoc tres differentias observat S. Doctor inter alias virtutes, & justitiam. Prima est: *Quòd Justitia proprium est, ut ordinet hominem in his, quæ sunt ad alterum:* unde debet esse inter duos. *Alia autem virtutes perficiunt hominem solùm in his, quæ ei conveniunt secundùm seipsum* Unde infert: *Sic ergo illud, quod est rectum in operibus aliarum virtutum, ad quod tendit intentio virtutis, quasi in proprium objectum, non accipitur, nisi per comparationem ad agentem. Rectum verò, quod est in opere justitiæ, etiam præter compara-*

parationem ad agentem, constituitur per comparationem ad alium. Secunda, quæ ex prima sequitur, est, quòd aliquid dicitur justum, *etiam non considerato, qualiter ab agente fiat*; modò sit æquale, & adæquet jus alterius. *Sed in aliis virtutibus non determinatur aliquid rectum, nisi secundùm quòd aliqualiter fit ab agente*. Temperatum enim, & forte; non dicitur *rectum*, nisi per ordinem ad operantem. Tertia est. Quòd objectum justitiæ est aliquid exterius secundùm se, objectum verò aliarum virtutum, puta temperantiæ, est aliquid à ratione præscribendum.

§. III.

Contrariorum Solutio.

XIV. Objicies primò. Si quis pro equo furtim sublato tantum pecuniæ domino reponeret, quanti valet equus, poneret æqualitatem; & tamen non satisfaceret secundùm justitiam: quia dominus adhuc jus haberet ad exigendum equum; ergo æqualitas non est &c.

Respondeo, dist. maj. Æqualitatem inter equum, & pretium equi, omitto maj. Inter debitum suum, & ius illius, qui est dominus equi, nego maj. Ad hoc enim reparandum, tenetur non pretium æquivalens equi, sed ipsum equum restituere, si extet: siquidem dominus equi habet jus in ipsum equum in specie, & in individuo. Æqualitas autem, quam intendit justitia, est inter debitum unius, & ius alterius.

XV. Secundò objicies. Dantur quidam actus justitiæ, qui solùm respiciunt solvere debitum rigorosum, non autem ponere æqualitatem; ergo &c. Antec. probatur primò. Depositarius reddens depositum, ex justitia reddit: & tamen non reddit æquale, sed prorsùs idem.

Secundò. Qui centum debet, nec valens solvere nisi decem, si solvat decem, ex justitia solvit: & tamen non ponit æqualitatem.

Tertiò probatur. Servus exhibens domino obsequium ex justitia debitum, juste operatur; & tamen non ponit æqualitatem: cùm multò plura obsequia ipsi præstanda sæpe sint. Tandem Justitia principaliter subjicit hominem Deo, ut ait August. *lib. de vera Relig. cap.* 48. & *lib. de Moribus Ecclesiæ cap.* 15. sed creatura non potest ponere æqualitatem cum Deo; ergo &c.

XVI. Respondeo, neg. ant. Ad primam ejus probationem quidam negant min. Qui enim tradit omnino idem, ponit perfectissimam æqualitatem. Quandonam enim magis tantum redditur, quantum debetur, ubi hoc ipsum redditur, quod fuit acceptum: sicut cum quis eumdem equum reddit, quem furto surripuerat? — Dico tamen, quòd reddens idem depositum ponit æqualitatem inter suum debitum, & jus deponentis: hæc autem æqualitas est, quæ per se intenditur à justitia.

Ad secundam dist. min. Inchoativè, & imperfectè, nego min. Perfectè, conc. min. Debitor ergo debens centum, & non potens solvere nisi decem, si illa decem solvat, cum voluntate tamen solvendi centum, si poterit, facit actum justitiæ, imperfectum tamen; quia ponit æqualitatem inchoativè, & inter partem sui debiti cum parte juris, quod est in creditore: quæ imperfecta, & inchoata solutio ordinatur, ex vi præparationis animi in debitore, ad perfectiorem, & ultimatam æqualitatem ponendam, cùm capax fuerit.

Ad tertiam nego absolutè min. Sicut enim dominus non aliter habet jus ad obsequia servi, nisi ut successivè præstanda: sic illud ipsum per successivam obsequiorum exhibitionem à servo præstatur.

Ad ultimam respondet S. Thom. hoc art. 1. ad 3. *Quòd quia justitia æqualitatem importat, Deo autem non possumus æquivalens recompensare; inde est*

est, quòd justum secundùm perfectam rationem non possumus reddere Deo. Et propter hoc non dicitur propriè Jus *lex divina, sed* Fas; *quia videlicet sufficit Deo, ut impleamus, quod possumus.*

Dici etiam potest, S. Augustinum non loqui de justitia strictè, & ut est virtus specialis; sed de justitia latè, prout dicit collectionem omnium virtutum, quâ homo adæquatur cum lege, & perfectè Deo subjicitur: de qua loquitur Christus, Matth. 5. v. 6. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam*: & sancti homines in Sacris Paginis sæpè *Justi* vocantur. Ceterùm an justitia specialis virtus detur inter Deum, & homines, examinabitur infra.

XVII. Colligitur ex dictis, tres esse conditiones essentiales ad objectum justitiæ intrinsecè requisitas. Prima est debitum legale. Debitum enim purè morale simplicis honestatis est etiam commune cæteris virtutibus: & rursus debitum morale non fundatur in jure rigoroso, & activo unius supra alterum. Secunda, æqualitas, ut supradictum est. Tertia, alteritas. Tùm ex jam dictis. Tùm quia: justitiâ importat æqualitatem: nihil autem est sibi ipsi æquale, sed alteri ex D. Tho. 2. 2. *qu.* 58. *art.* 2. alteritas autem inducit diversitatem suppositorum. Imò nec sola alteritas suppositorum satis est ad objectum justitiæ, nisi conjungatur cum alterttate jurium, seu cum alteritate personarum, non solùm physicâ, sed etiam morali. Ubi enim est idem jus, ibi ratio debiti, & crediti legalis esse non potest, ut inferiùs dicetur.

DUBIUM II.

De Divisione Juris in Naturale, & Positivum Humanum.

§. I.

Traditur præfata Divisio.

I. Quia jus, seu justum, quod diximus esse objectum justitiæ, habet pro regula, & principio legem determinantem, quid ex justitia reddendum sit; quo pacto lex dicitur regula, seu principium juris: ideo jus ex parte suæ regulæ dividitur in jus naturale, & positivum, sive humanum (de quo agimus hic) & divinum, de quo agemus infra. De legum natura, & divisione egimus integro Tractatu, *Tom.* 2. *in* 1. 2. præcipuè, *Qu.* 1. *Dub.* 4. §. 1. nunc aliqua subjungemus. Jus ergo ex parte sui principii dividitur in jus naturale, & jus positivum humanum. Jus naturale est illud, quod à Deo auctore naturæ hominis ortum habet. Jus positivum humanum est, quod, vel privato pacto apud particulares personas, vel publico edicto Principis apud aliquam Provinciam, vel Regnum robur habet. Quare cum tot modis dicatur justum, quot modis dicitur jus: ideo justum etiam dupliciter dici potest, nempe, justum naturaliter: & sic justum dicitur illud opus, quod ex ipsa natura rei est alteri adæquatum: sicut cùm aliquis tantum dat, ut tantumdem recipiat. Justum verò secundùm jus positivum dicitur, quod est alteri adæquatum: vel ex privato condicto; sic justum dicitur esse pretium, quod inter venditorem, & emtorem conventum est: Vel ex publico edicto, aut populi in hoc consentientis, aut Principis hoc ordinantis; sicut justum dicitur pretium, quod vel populi consensu, vel Principis edicto taxatum est.

II. Inter jus naturale, & positivum qua-

quatuor assignat differentias M. Bannez, in 2. 2. q. 57. a. 2. Prima est ex parte causæ efficientis. Etenim naturalis juris causa efficiens est ipse Deus, ut auctor naturæ: juris autem positivi (de quo modò loquimur) causa efficiens est ipse homo modo supradicto. — Secunda differentia est ex parte causæ exemplaris. Exemplar enim juris naturalis est lex æterna; quatenus imprimitur mentibus hominum, mediante lumine naturalis rationis ostendente, quid sit bonum, & justum: at jus positivum habet pro regula legem humanam, quæ debet conformari legi naturali, ut sit justa. — Tertia differentia sumitur ex parte extensionis, seu amplitudinis potestatis. Etenim jus naturale omnes, & ubique obligat, sicut omnibus, & ubique communis est rationalis natura: at jus positivum obligat tantùm subditos Principi legislatori, vel Communitati statuenti. — Quarta differentia consideratur penes immutabilitatem, vel mutabilitatem utriusque juris. Etenim jus positivum mutabile est, secundùm Legislatoris beneplacitum: jus autem naturale, per se loquendo, immutabile est, sicut & sua regula immutabilis est, & firma. De quo egimus, *Tom. 2. in 1. 2. Tract. de Legibus, Qu. 3. Dub. 5.* quæ huc sunt revocanda.

III. Præsertim verò, quòd jus naturale non in omnibus præceptis parem habet immutabilitatem. Sicut enim in naturalibus quædam ita sunt necessaria, ut nullâ potentiâ possint variari, puta, quòd quatuor, & tria sint septem; alia verò, quæ nullâ quidem potentiâ naturali variari possunt, ut *Cœlum est*, *Angelus est*, potentiâ tamen divinâ aliter possunt se habere: insuper alia sunt necessaria regulariter, quia ut in pluribus ita contingit: ut hominem nasci duobus pedibus, duabus manibus, licèt aliquando aliter contingere videamus. Ita in moralibus quædam sunt ita immutabilia, ut neque per divinam potentiam mutari possint, qualia sunt ista, *Bonum est faciendum. Malum est fugiendum*. Alia sunt immutabilia quidem per totam naturam, & potestatem humanam, mutabilia tamen per divinam potestatem. Sic hoc jus naturale: *non est occidendus innocens: non est accipiendum alienum, invito domino*, ita immutabile est, ut non sit in toto Orbe potestas in oppositum. Nihilominus præcepit Deus Abrahæ, ut interficeret filium suum Isaac innocentem, filiis Israel, ut interficerent infantes innocentes Amorrhæorum, & Chananæorum; Israelitis, ut acciperent vasa argentea, & aurea, & vestes Ægyptiorum (*Exodi 12*) non quia Deus dispensaverit in lege naturali (Deum enim in lege naturali propriè dispensare non posse, ostensum fuit, dicto *Tract. de Legibus Q. 3. Dub. 6. §. 3.*) sed quia mutavit materiam: faciendo, ut quæ erat materia jure naturali vetita, amplius materia non esset, circa quam illud jus versatur. Occisio enim Innocentis est materia jure naturali prohibita, quatenus facta ab eo, qui non est dominus, & vitæ, & mortis. Sublatio etiam rei alienæ est materia naturali jure prohibita, quatenus facta ab eo, qui non est omnium humanarum rerum dominus. Cùm autem Deus sit Dominus vitæ, & mortis, & quorumcumque ab hominibus possidentur: ipso sic volente, & præcipiente, absque juris naturalis læsione potuerunt Abraham velle occidere filium suum, & filii Israel occidere filios Amorrhæorum, & Chananæorum, quamvis innocentes: sicut rapere spolia ab Ægiptiis, etsi nolentibus. Conferantur hæc cum èis, quæ, *in Tract. de Legibus*, dicta sunt.

IV. Alia item præcepta sunt, quæ regulariter stantibus humanis motibus rectis, & compositis non variantur; sed aliquando per accidens necesse est variari, propter malitiam alicujus hominis. Ut enim docet S. Thomas hâc q. 57. a. 2. ad 1. *Illud, quod est naturale habenti naturam immutabilem*,

apor-

oportet, quòd sit semper, & ubique tale. Natura autem hominis est mutabilis: & ideo id, quod naturale est homini, potest aliquando deficere: sicut naturalem aqualitatem habet, ut deponenti depositum reddatur; & si ita esset, quòd natura humana semper esset recta, hoc esset semper servandum: sed quia quandoque contingit, quòd voluntas hominis depravatur, est aliquis casus, in quo depositum non est reddendum, ne homo perversam voluntatem habens malè eo utatur: ut puta, si furiosus, vel hostis Reipublicæ arma deposita reposcat. Hæc S. Tho. Hoc autem non contingit, quia jus naturale mutetur; sed quia mutatur ille, cui reddendum erat depositum, & cui adæquandum erat tale jus.

Ratio autem hujus est. Quia in illo casu cum præcepto de reddendo deposito concurrit aliud præceptum, & jus naturale de defensione Innocentis, vel Reipublicæ: imò etiam præceptum de non occidendo. Quia si tunc redderem gladium depositum, essem ego cooperans ad mortem alterius: & quoniam ista præcepta sunt fortiora, & in concursu magis obligantia, quàm præceptum de reddendo deposito; ideo reddendum non est. Hujus rei aptum afferri potest exemplum ex naturalibus. Videmus enim, quòd quamvis grave habeat naturalem inclinationem ad motum deorsum: tamen aliquando, ut, quasi dicam, obediat superiori, & dominanti inclinationi ad bonum Universi (ne scilicet detur vacuum) cedit propriæ, & particulari inclinationi, & tendit sursum. Sic in moralibus præcepta, quæ sunt inferiora, cedunt quantùm ad exercitium præceptis superioribus, quando simul exerceri nequeunt. Cùm ergo in casu nequeant simul adimpleri præceptum de reddendo deposito, & præcepta de defendenda Republicâ, & non occidendi innocentem; præceptum de reddendo deposito cedere debet, ut alia duo præcepta, quæ superiora sunt, impleantur.

§. II.

Resolutiones Dubii.

V. Dico primò, Negare existentiam juris naturalis, & asserere, omne jus esse positivum humanum, error gravissimus, imò insania est. Contrarium senserunt quidam, qui, referente S. Augustino, *lib.* 3. *de Doctr. Christ. cap.* 14. justitiam naturalem negabant; & solùm vivendum esse secundùm cujusque Gentis consuetudinem, asserebant. Legem tamen naturalem dari, probavimus, in *Tract. de Legibus, Qu.* 3. *Dub.* 1. §. 1. quò Studiosum remitto. Nunc addo. Certum est, veteres Patriarchas, qui ante legem scriptam vixerunt, aliquâ lege, & jure fuisse regulatos: at non aliâ, quàm lege naturali; ergo &c. — Rursus: Ubi nulla est lex, ibi nullum est peccatum: sed ante omnem legem positivam fuit peccatum: Cain enim occidendo Abel peccavit, & quidem gravissimè; contra ergo aliquam legem peccavit; non contra legem positivam, quæ tunc nulla erat; ergo peccavit contra jus, & legem naturalem. Ulteriùs: inter ea, quæ prohibentur, aut præcipiuntur, quædam sunt, quæ prohibentur, quia naturâ suâ mala, & præcipiuntur, quia naturâ suâ bona; ergo non ex voluntate hominum, sed naturâ suâ habent malitiam, vel bonitatem; ergo datur jus naturale.

VI. Dico secundò. Præter jus naturale dari etiam debet jus positivum humanum. Hanc veritatem contra Lutherum, Calvinum, aliosque jus humanum civile, & maximè ecclesiasticum negantes, probavimus, dicto *Tract. de Legibus, Qu.* 6. *Dub.* 1. §. 2. & 3. illudque obligare in conscientia §. 4. asseruimus. Videantur ibi dicta. Interim recolenda est doctrina D. Tho. 1. 2. *q.* 91. *a.* 3. ita discurrentis. Sic se habent præcepta legis naturalis in practicis, sicut prima principia in speculabilibus: sed ex primis principiis

per

per industriam, & discursum humanum deducuntur aliquæ conclusiones, quæ non sunt naturaliter inditæ; ergo ex præceptis naturalibus quasi generalibus principiis potest homo procedere ad aliqua magis particularia disponenda: & hæc particularis dispositio humanâ industriâ facta jus humanum dicitur.

Confirmatur. Tot modis dicitur aliquid iustum, quot modis dicitur alteri adæquatum: sed multa sunt, quæ ex natura sua non habent alteri adæquationem, eam tamen habent ex voluntate, aut condicto humano: quòd enim frumenti modius quinque scuta pro justo pretio habeat, hoc certè non natura facit, sed vel humanum pactum, vel Principis edictum; ergo &c.

VII. Sed dices primò. Lex naturalis est participatio legis æternæ: sed per legem æternam omnia sunt ordinata; ergo lex naturalis sufficit ad omnia ordinanda.

Responderi primò potest, conc. præmissis, neg. conf. Hoc enim ipso, quòd lex naturalis sit participatio legis æternæ, infertur potiùs oppositum; quia participatio non totum capit, sed partem. — Claritatis tamen gratiâ, dist. maj. Participatio inadæquata, conc. maj. Adæquata, nego maj. Lex naturalis, ut in nobis participata derivatur quidem à lege æternâ quoad principia communia, non tamen quoad singulares directiones: unde ad has, ultra legem naturalem, requiritur, ut ratio humana procedat per discursum, & industriam, ad particulares casus attendendo: & hoc vocatur jus humanum. Vide S. Tho. 1. 2. *q.* 91. *a.* 3. *ad* 1.

VIII. Dices secundò. Lex, seu ius habet rationem mensuræ: sed ratio humana non est mensura rerum, sed potiùs è contra; ergo &c.

Respondeo, dist. min. Rerum, quæ sunt à natura, conc. min. Quæ sunt per hominem agenda, subdist. Ratio humana secundùm se, conc. min. Ut principiis naturalibus imbuta, nego min. *Ratio humana* (inquit S. Thom. a. 3. citato ad 2.) *secundùm se non est regula rerum: sed principia ei naturaliter indita sunt regula quadam generales, & mensura omnium eorum, quæ sunt per hominem agenda; quorum ratio naturalis est regula, & mensura, licèt non sit mensura eorum, quæ sunt à natura.*

IX. Dices tertiò. Mensura debet esse certa: sed dictamen humanum de rebus gerendis est incertum. Sap. 9. v. 14. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ*; ergo &c.

Rursus: Jus positivum dicitur, quia à voluntate humana procedit: sed non ideo aliquid est justum, quia à voluntate humana est; alioquin voluntas hominis injusta esse non posset; ergo &c.

X. Respondeo ad 1. dist. maj. Secundùm quod est possibile in genere suo, conc. maj. Aliter, nego maj. Ita D. Th. citato loco *ad* 3. his verbis: *Ratio practica est circa operabilia, quæ sunt singularia, & contingentia, non autem circa necessaria, sicut ratio speculativa. Et ideo leges humanæ non possunt illam infallibilitatem habere, quam habent conclusiones demonstrativæ scientiarum. Nec oportet, quòd omnis mensura sit omnino infallibilis, & certa, sed secundum quòd est possibile in genere suo.*

Ad secundum dist. maj. A' voluntate humanâ absolutè, nego maj. Ut regulatâ jure naturali, conc. maj. Sic enim iniusta esse non potest; estò injusta esse possit, si aliquid statuat legi naturali repugnans, juxta illud Isaiæ 10. v. 1. *Væ, qui condunt leges iniquas: & scribentes injustitiam scripserunt.*

DUBIUM III.

Juris Positivi Humani Divisio.

§. I.

Jus Ecclesiasticum, seu Canonicum.

I. JUs positivum humanum dividitur in jus Ecclesiasticum, seu Canonicum, & Civile.

Jus Ecclesiasticum illud est, quod Ecclesia, sive per seipsam, sive per Caput suum, sive per illos, qui jure divino, aut Ecclesiastico habent potestatem quasi supremam in Ecclesia, statuit, & condit ad bonum spirituale Fidelium: quod vocatur etiam jus Canonicum, utpote ex Canonibus constans. Estò autem Canones propriè dicantur solæ Decisiones Conciliorum: generaliter tamen pro omnibus Ecclesiasticis Constitutionibus usurpantur. Constat ergo jus Canonicum ex Decretis Summorum Pontificum, Conciliorum, tùm Generalium, tùm Provincialium. Item ex Decretis Legatorum, Abbatum, & aliorum Prælatorum inferiorum, ut habetur, *de Officio, & Potest. Delegati*. Imò ex dictis SS. PP. ut habetur, *C. Sancta Romana. dist.* 15. §. *Jam nunc*. Non tamen omnia præfata Decreta æqualis roboris sunt. Decreta enim Pontificum, & Conciliorum à Pontifice approbatorum omnimodæ firmitatis sunt. Decreta verò Prælatorum inferiorum non habent ex se firmitatem: prout tamen sunt in jure posita, videntur ab Ecclesia approbata, & hinc firmitatem accipiunt.

II. Jus Canonicum cæpisse creditur Apostolorum temporibus: ab iis enim accepit Ecclesia traditiones, quibus regeretur in ritibus, ac moribus, juxta illud Augustini, lib. 4. de Baptis. contra Donat. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum, rectissimè creditur*. Nisi fortè quis vellet dicere, jus Canonicum fuisse etiam tempore legis veteris: cùm etiam tunc essent regulæ ad regimen, & mores Ecclesiæ veteris, partim ex Moysi libris, partim ex Seniorum traditionibus excerptæ.

III. Primus juris Canonici collector fuisse fertur S. Clemens Papa I. qui Apostolorum Canones, & Constitutiones conscripsit; & habentur ad calcem secundæ partis Decreti Gratiani. Sed dictos Canones, & Constitutiones Apostolicas nuncupatas, esse Apostolis, & Clementi suppositas, ac proinde apocryphas, sentiunt viri eruditi non pauci, inter quos noster Natalis Alexandre, *Dissert.* 18. *& 19. in Hist. Ecclesiasticam seculi primi*.

IV. Post dictam Canonum collectionem à S. Clemente factam, vel ipsi suppositam, aliæ successu temporum collectiones Canonum factæ recensentur ab eodem Alexandre, *Dissert.* 21. *seculi* 1. Relictis verò aliis antiquioribus, celebris fuit collectio Dionysii exigui, quæ sexto seculo apud omnes ferè Ecclesias recepta erat. Huic, seculo nono, successit nova collectio Isidori Mercatoris, complectens veterum Romanorum Pontificum Decretales Epistolas, usque ad Siricium Papam. Sed has Epistolas ut supposititias, rejiciunt critici Recentiores. Circa annum 1020. novam Canonum collectionem adornavit Burchardus Womatiensis Episcopus, Scripturæ Sacræ, Patrumque sententias, Conciliorum Canones, Pontificum Decreta viginti libris ad certa disciplinæ ecclesiasticæ capita redigens. Post Burchardum, circa ann. 1100. alteram elaboravit Ivo Carnotensis, seu potiùs duas: unam, quam vocavit *Panormiam*, alteram, decretum *Ivonis*. In utraque plurima ex Digestis, Codice, & Novellis transcripsit, jus Civile cum Canonico præclarè conjungens.

V. Anno tandem 1151. Gratianus, S. Felicis Bononiensis Ordinis S. Benedicti Monachus, jus Canonicum in unum corpus redegit sub Eugenio III. Pont.

Pont. Dionysii exigui, Mercatoris, & Ivonis collectiones complectens, novis Constitutionibus Pontificum, Canonibus Conciliorum, & Patrum sententiis auctum, & locupletatum. Liber iste *Decretum Gratiani* vulgò inscribitur. Sed melius *Decretorum Collectanea*, seu, ut aliis placet, *Concordia discordantium Canonum* nuncupatur.

VI. Tres in partes dividitur Gratiani collectio. Prima distinctiones centum, & unam complectitur. Secunda causas triginta sex, quarum singulæ in quæstiones dividuntur, & quælibet quæstio in capita: excepta quæstione tertia causæ trigesimæ tertiæ de Pœnitentia, quæ in septem distinctiones per capita dividitur. Tertia pars quinque distinctionibus exhibet tractatum de Consecratione. Statim ac in publicum prodiit hæc Gratiani collectio multis erroribus, & quidem gravissimis, tùm contra historiam, tùm contra sanam Theologiam scatens apparuit. Quibus emendandis Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. viros eruditos adhibuerunt. Hinc opus istud quoad ea, quæ Gratianus de proprio addidit, exiguæ censetur auctoritatis; nullumque aliud robur habet, quàm illud, quo muniuntur Decreta in illo contenta. Quæ si fuerint Pontificum, aut Conciliorum generalium totam Ecclesiam obligabunt: si fuerint Conciliorum provincialium, solam Provinciam suæ jurisdictionis (per se loquendo) si tamen ab Ecclesia sint acceptata, omnes ubique obligabunt. Cætera nullum jus, & obligationem inducunt.

VII. Post Gratiani collectionem Gregorius IX. S. Raymundi ejus Capellani, ac Pœnitentiarii Ordinis Prædicatorum operâ Decretales omnes, ad ea usque tempora editas, in unum corpus collegit, & quinque libris disposuit. In quorum primo agitur de munere, & officio personarum Ecclesiasticarum. In secundo de judiciis, & ad judicia spectantibus. In tertio de pertinentibus ad Clericos, & ad Ecclesias. In quarto de laicis. In quinto de delictis, & eorum pœnis.

VIII. Quinque libris decretalium sextum addidit Bonifacius VIII. complectentem Decretales Pontificum, qui Gregorium IX. inter, & Bonifacium sederunt, & ipsius Bonifacii Constitutiones. His accesserunt Clementinæ, idest Clementis V. Constitutiones editæ in concilio Viennensi; quibus Joann. XXII. addidit viginti epistolas Decretales; aliique Pontifices usque ad Sixtum IV. suas Constitutiones adjecerunt, quæ *Extravagantes communes* appellantur: quia extra corpus juris Canonici, & ordinem Decretalium vagantur. Novissimè septimus Decretalium liber prodiit, ex variis Pontificum Constitutionibus à Petro Matthæi Lugdunensi consarcinatus. Constitutiones verò aliorum Summorum Pontificum successivè pro Ecclesiæ utilitate editæ, & promulgatæ sub nomine Bullarum in Bullario continentur. Hisce omnibus constat corpus juris canonici, quod hodie *Jus novum* vocitatur.

§. II.

Jus Civile.

IX. Jus civile est, quod quisque populus, vel quæcumque Civitas, aut ejus Princeps ad bonum regimen constituit. Ex quo patet, quòd jus civile non est idem apud omnes; sed pro populorum, & nationum diversitate diversum. Et ratio est. Quia jus civile non ita clarè, & facilè ex naturæ principiis deducitur; sed vario, longoque discursu, attentis locorum, ac personarum circumstantiis: quæ cùm pro diversitate regnorum, & nationum varientur, ideo jura, & leges variari necesse est. Non enim omnibus omnia congruunt; sed aliqua aliquibus, aliqua aliis.

X. Pro quo adverto: quod estò tàm jus Gentium (de quo infra) quàm jus

jus civile profluant à jure naturali, aliter tamen, & aliter. Nam propositiones juris Gentium sunt conclusiones, quæ faciliter, & immediatè deducuntur ex lege naturæ. Ex hoc enim principio juris naturalis: *Homo est animal sociabile, non potens se sustinere absque aliorum auxilio*, sequuntur istæ conclusiones, quæ sunt de jure gentium, nempe: *Fieri debent venditiones, locationes, commutationes, pacta*, ut homines convivere possint. Ex hoc principio: *Vita humana in pace conservanda est*, infertur hæc conclusio de jure gentium: *Bona sunt dividenda*. Quia stante naturæ corruptione difficulter homines vivere possunt pacificè, si omnia sint communia. Ex hoc principio naturali: *Humanum genus conservandum est per conjunctionem maris, & fœminæ*, inferuntur conclusiones juris Gentium de nuptiis, de filiorum successione &c. Verùm juris civilis conclusiones remotiùs, & difficiliùs ex jure naturæ deducuntur: & propterea suam variabilitatem, & mutabilitatem ex circumstantiis locorum, temporum, personarum patiuntur.

XI. Jus civile variè dividitur. Primò ratione administrationis, quâ Respublica regitur. Vel enim gubernatur regimine *Democratico*, idest, ab universo populo; & sic lex, quæ ab universo populo sancitur, vocatur *Plebiscita*. Vel gubernatur *Oligarchiâ*, idest, paucorum, horumque potentium regimine: & lex, quæ ab istis sancitur, vocatur *Jus Pratorium*. Vel regitur per *Aristocratiam*, idest, per principatum optimatum: & leges ab istis editæ vocantur *Senatus Consulta*. Vel tandem gubernatur per *Monarchiam*, idest, ab uno Rege, aut Principe: & hujusmodi leges vocantur *Constitutiones Principum*.

XII. Secundò dividitur jus Civile à tabulis, in quibus leges scriptæ, vel incisæ sunt. Sic apud Romanos erant leges *Duodecim*, apud Athenienses *Decem Tabularum*.

Tertiò dividitur ratione materiæ, seu rei, quæ præcipitur, aut prohibetur. Sic apud Romanos erant *L. ges agrariæ* ab agris, *Sumtuariæ* a sumtibus, *Frumentariæ* a frumento, *Feneбres* à fænore, seu usurâ.

Quartò dividitur primo loco, & auctoritate ferentium leges. Unde erant *leges Curiatæ*, quæ fiebant in Comitiis curiatis; *Centuriatæ*, quæ fiebant in Comitiis centuriatis. Aliæ *Tribunitiæ*, quæ vel in Comitiis Tribunitiis, vel Tribuno Plebis edebantur.

XIII. Communiùs tamen jus Civile dividitur ut supra in Plebiscita, Senatus consulta, Constitutiones Principum, jus Prætorium, & Responsa prudentum; eorum scilicet, qui à Cæsare constituti erant ad dirimendas lites, & finem contentionibus imponendum: dummodo tamen ea responsa a Principe approbata, & in futurum pro lege proposita fuissent.

XIV. Juri Civili restaurando sedulam sæculo sexto navavit operam Justinianus Imperator; eique in meliorem ordinem redigendo viros peritissimos, & consultissimos præfecit. Horum curis jus Civile Romanorum in unum corpus collectum est Libris Isagogicis, Principalibus, & Accessoriis constans. Isagogici sunt quatuor libri Institutionum: qui ad primam studentum informationem pertinent. Principales sunt libri Pandectarum, seu Digestorum, & Codicis; quibus tota ars boni, & æqui ex veterum Jurisconsultorum monumentis, ac Principum Constitutionibus plenè, perfectèque describitur. Libri accessorii sunt, in quibus vetera jura emendantur, explanantur, supplentur: & sunt *Authentica*, seu *Novella* Constitutiones Justiniani, & ejusdem edicta.

XV. Institutiones agunt de justitia, & jure, de divisione juris, de subjectis juris, scilicet de personis, rebus, & actionibus, quæ inter personas de rebus exercentur. Digesta dividuntur in tres partes, in Digestum vetus, Infortiatum, & novum. In his antiquorum

quorum Imperatorum leges, & Jurisperitorum consulta continentur. Codex Justinianæus continet leges Imperatorum, præsertim eorum, qui Christianam Religionem professi sunt. Unde exordium illius est Titulus: *De Summa Trinitate, & fide Catholica*, & dividitur in duo corpora. Unum retinet nomen Codicis, & continet novem libros. Aliud est volumen libros usque ad duodecim complectens. Novellæ Justiniani Constitutiones seu Leges authenticæ 157. numerantur à Justiniano editæ; in quibus multa etiam de personis Ecclesiasticis disponuntur, seu verius disposita referuntur. Et hæc satis sit viro Theologo, de iure Civili degustasse.

DUBIUM IV.

De Jure Gentium, an sit idem cum Jure Naturali.

§. I.

Paucis explicatis Resolvitur Dubium.

I. JUs Gentium illud est, quod communi hominum consensu, & quasi conspiratione sine scriptis inductum est. Quo circa jus Gentium dicitur, quia apud omnes, seu ferè omnes nationes, & Gentes receptum est; ad differentiam iuris Civilis, quod solùm apud aliquas Gentes, seu nationes robur habet. De jure Gentium quæstio occurrit: an pertineat ad jus naturale, an ad jus positivum humanum.

II. Quidam enim duplex jus naturale distinguunt. Unum, quod est commune homini cum brutis: & sub hoc continetur commixtio maris, & fœminæ ut ex ea generet, & parentis ad filium, ut eum nutriat, quod est commune non solis hominibus, sed etiam brutis. Aliud, quod proprium est naturæ, ut rationalis, & operantis per discursum: & sub jure naturali hoc modo sumto ponunt jus Gentium. Huic ponderationi videtur favere S. Thom. hâc 2. 2. q. 57. a. 3. *in Corp. & ad* 3. ubi dicit: quòd *Quia ea, quæ sunt juris Gentium, naturalis ratio dictat, puta ex propinquo habentia æquitatem; inde est, quod non indigent speciali aliquâ institutione, sed ipsa naturalis ratio ea instituit.*

Alii verò distinguunt duplex ius Gentium. Unum primævum, quod cum ipso humano genere cæpit, ut est observantia, & Religio erga Deum. Alterum secundarium, quod sibi universæ Gentes constituerunt. Primum dicunt, spectare ad jus naturale, secundum verò ad ius humanum.

III. Dico. Jus Gentium magnam quidem affinitatem habet cum jure naturali; propriè tamen sub illo non comprehenditur, sed sub iure positivo humano, & civili. Tres habet partes hoc Assertum. Quoad singulas probandum est.

Prior pars probatur, afferendo ea, in quibus jus Gentium cum iure naturali affinitatem habet. Primò enim jus naturale, & jus Gentium conveniunt in hoc, quòd neutrum jus oportet esse scriptum. Secundò in hoc, quòd ad sui promulgationem non requiritur convocatio hominum; sed in omnibus nationibus absque præcone acceptatur. Tertiò. Quia jus Gentium est veluti modus iuris naturæ: nimirum jus naturæ est principium, vel conclusio necessaria; at jus Gentium est quidam modus maximè necessarius, ut ius naturæ servetur. Quartò. Quòd jus naturæ, & jus Gentium ubique apud omnes gentes religiosè custodiri debent.

IV. Posterior verò pars, quæ controvertitur, probatur primò. Jus naturale est simpliciter, & absolutè justum, & ex natura rei necessarium, neque ullo modo pendet ex hominum beneplacito: at jus gentium non est hujusmodi, fuit enim introductum ex hominum voluntate: quia divisio rerum, quæ de jure Gentium introducta fuit, non est simpliciter necessa-

ria,

ria, & justa. Si enim homines essent, quales esse deberent, fideles, & probi, & quales fuissent, si natura non esset corrupta; possent absque rerum divisione agros communes colere, & pacificè illorum usum conducere, ut de primis Christianis, saltem Jerosolymis, *Act.* 2. *&* 4. legimus; ergo jus gentium non continetur sub jure naturali.

Secundò prob. Ea, quæ jure naturæ præcipiuntur, sunt per se bona, & quæ prohibentur, sunt per se mala; præcipiuntur enim, quia naturâ suâ bona, & prohibentur, quia naturâ suâ mala sunt: sed ea, quæ jure Gentium præcipiuntur, non sunt per se bona, nec quæ prohibentur, sunt per se mala; ergo &c. Min. prob. Rerum divisio, quæ de jure Gentium dicitur esse, non est per se bona: neque rursus communis rerum possessio est per se mala; ergo &c. Antec. prob. Ut enim dicebamus, temporibus Apostolorum multi, & modò in Religionibus benè ordinatis omnia sunt communia; quin hoc malum & peccatum sit, sed potiùs perfectio. Imò rerum divisio ex vitio naturæ per peccatum corruptæ, quæ pacificè absque meo, & tuo vivere nescit, ortum habuit. Cæterùm si natura humana integra mansisset, rerum divisiones non fuissent, ut docet S. Thom. 1. *p. qu.* 98. *a.* 1. *ad* 3.

V. Confirmantur dicta. Jus, quod non est à natura inditum, sed à ratione in his, vel illis circumstantiis discurrente inventum est, non est jus naturale: sed hujusmodi est jus Gentium; ergo &c. Min. explicatur. Quòd hoc prædium ab hoc proprio domino possideatur, & aliud ab alio, natura rerum absolutè considerata non magis exigit, quàm quòd omnia in communi possideantur: quia tamen prædium illud consideratum, ut ad ferendum fructus idoneum, & in pace possidendum, ratio advertit, quòd in statu naturæ corruptæ, in quo homines segniores sunt in procurando bono communi, & alieni sunt avidi, diligens prædiorum cultura, & pax inter ipsos haberi non potuisset, si omnia reliquisset communia; statuit, fieri rerum divisionem, & cuique proprium tradi.

Ex his sequitur tertia pars, quam etiam docuit S. Thomas 1. 2. *qu.* 95. *a.* 4. ubi dividit jus positivum in jus Gentium, & jus Civile. Jus enim, quod ab hominibus ortum habuit, ad jus positivum pertinet: at hujusmodi est jus Gentium, quod usu, & consuetudine apud Gentes inductum est; ergo &c.

§. II.

Solutio Contrariorum.

VI. Objiciunt primò, qui contrarium opinantur. D. Thom. hìc *a.* 3. expressè docere, quòd jus Gentium sit jus naturale, prout hominis proprium, his verbis: *Considerare autem aliquid comparando ad id, quod ex ipso sequitur, est proprium rationis; & ideo hoc idem est naturale homini secundùm rationem naturalem, quæ hoc dictat: & ideo dicit Cajus Jurisconsultus* (L. 9. ff. eodem) Quod naturalis ratio inter homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, vocaturque jus Gentium.

Confirmatur primò. Omnes homines non conveniunt, nisi in eo, quod est illis naturale: sed in jure Gentium omnes homines conveniunt; ergo est &c.

Confir. secundò. Servitus est de jure Gentium, ut hab. *dist.* 1. *c. Jus gentium & ff. de Just. & Jure, Lege Manumissiones*: sed ex Arist. 1. Polit. c. 3. & 4. *Multi sunt naturaliter servi*; ergo &c.

Confir. tertiò. Colere Deum, venerari parentes, secundùm Jurisconsultos, jus gentium est: sed nil naturalius est naturæ rationali, quàm colere Deum, & parentes venerari; ergo &c.

VII. Respondeo, S. Thomam solùm velle, jus Gentium esse naturale, quia ut

ut ait ibi *ad* 3. de propinquo accedit ad naturam hominis; eique est conforme, non absolutè sumtæ, sed in his, vel illis circumstantiis discurrenti. Quod autem non per naturam, sed per rationem dictantem inductum est, non potest dici naturale, quia hominis voluntate, non naturali instinctu sancitur: nisi naturale abusivè sumatur. Unde benè advertit Soto hîc, quòd Cajus in allata auctoritate non dicit, quod *Simplex lex naturæ* inter homines constituit, dicitur jus gentium; sed quod *Naturalis ratio* inter homines constituit.

VIII. Ad primam Confir. nego absolutè maj. Non enim omne illud, in quo omnes Gentes conveniunt, est naturale; sed vel naturale, vel aliquid naturæ congruum. & ex naturali jure per rationem prudentialiter discurrentem deductum: & hujusmodi sunt, quæ sub jure Gentium continentur.

IX. Ad secundam Confir. respondeo ex D. Thom. hoc *a.* 3. *ad* 2. dist. min. Naturaliter, sumtâ naturâ absolutè, nego min. Attentâ naturâ secundùm aliquam utilitatem inde consequentem, con. min. *Hunc* enim, *hominem esse servum, absolutè considerando, magis, quàm alium, non habet rationem naturalem; sed solùm secundùm aliquam utilitatem consequentem: inquantùm utile est huic, quòd regatur à sapientiori, & illi, quòd ab hoc juvetur.*

X. Ad tertiam Confir. nego maj. Nam Deum colere, & parentes venerari, præcepta Decalogi sunt; quæ non de jure Gentium sunt, sed naturali, ut in tract. de Legibus dictum est.

XI. Objiciunt secundò. Omne, quod colligitur per bonam consequentiam ex principiis naturalibus, ad jus naturale pertinet: sed jus Gentium est tale; ergo &c. Maj. probatur. Tum ex D. Thom. 1. 2. *q.* 95. *a.* 2. Tùm à simili. Nam conclusio, quæ per bonam consequentiam colligitur ex principiis physicis, pertinet ad ordinem naturalis luminis speculativi; ergo conclusio moralis, quæ per bonam consequentiam sequitur ex principiis moralibus, pertinet ad jus naturale morale, & practicum. Min. etiam ex dictis constat: quæ enim sunt de jure Gentium, sunt ex jure naturali per rationem naturalem deducta.

XII. Confirmatur primò. Quia ferè omnia præcepta Decalogi sunt conclusiones deductæ ex primis principiis moralibus, Bonum est faciendum, malum vitandum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: ex quibus deducitur, non esse occidendum, non esse furandum; ideo omnia præcepta Decalogi dicuntur esse juris naturalis, idest, naturalia homini, ut rationalis est, & per rationem discurrens: sed etiam quæ sunt de jure Gentium, sunt ex primis principiis naturalibus per rationem naturalem deducta; ergo sunt de jure naturali, ut proprio hominis.

XIII. Confirmatur secundò. Quia simplicem fornicationem esse illicitam infertur ex his duobus principiis naturalibus, nempe: conjunctio maris, & fœminæ in hominibus ordinatur, non solùm ad generationem animalis, sed etiam ad debitam educationem hominis, qui animal rationale est; & ex isto: sinè perpetuâ conjunctione maris, & fœminæ, quantùm est ex natura rei hoc connaturaliter fieri non potest; propterea dicimus; simplicem fornicationem esse jure naturæ illicitam, cum S. Tho. 2. 2. *q.* 154. *a.* 2. sed etiam hæc veritas de jure Gentium, quòd fiat rerum divisio, & dentur propria rerum dominia, infertur ex hoc principio naturali: quòd homines tenentur se ipsos sustentare, ex quo nascitur, quòd agri sint colendi, & ex isto: quòd agri non possint convenienter coli, nisi rerum divisio, & appropriatio fiat, quia homines negligentes sunt in cultura rerum communium; ergo &c.

XIV. Ut huic argumento respondeam, suppono, quòd ut aliqua lex, seu

seu jus sit naturale, non sufficit, ut ex lege, seu jure naturali derivetur, vel ex illo inferatur. Si enim hoc esset, cùm secundùm S. Tho 1. 2. q. 95. a. 2. omnis lex humana etiam civilis, si justa sit, à lege naturali derivetur; imò intantùm habeat de ratione legis, inquantùm à lege naturæ derivatur, si enim in aliquo ab ea discordaret, jam non esset lex, sed legis corruptio: fieret consequens, nullam dari legem humanam, sed omnem legem esse naturalem.

Sciendum ergo est, quòd aliquid potest à lege naturali derivare dupliciter. Uno modo, sicut conclusiones per necessariam consequentiam inferuntur ex principiis: sicut non esse occidendum infertur per necessariam consequentiam ex hoc principio naturali: nulli est faciendum malum: & quæ sic inferuntur, quo pacto præcepta Decalogi inferuntur, ad jus naturale directè pertinent. Alio modo à lege naturali derivare potest, per consequentiam solùm probabilem, & prudentialem. Et hoc dupliciter. Vel enim infertur per consequentiam usque adeo probabilem, & utilem, ac humanæ societati congruam; ut nullæ sint nationes, quæ talem consequentiam non admittant: & quod sic deducitur, ad jus Gentium pertinet. Vel estò derivet à jure naturali etiam per consequentiam probabilem, non tamen hæc derivatio ab omnibus percipitur, nec ab omnibus consideratur utilis, & congrua: neque enim necesse est, ut lex naturæ determinetur eodem modo apud omnes, quoad ea in quibus solùm probabiliter apparet. Et quod hoc modo ex jure naturali deducitur, pertinet ad ius Civile. His ergo suppositis

XV Respondeo ad argum. dist. maj. Quod colligitur per consequentiam necessariam, co. maj. Quod colligitur per consequentiam solùm probabilem, & factâ aliquâ suppositione, nego maj. Hoc autem modo infertur ex naturali principio conclusio de jure Gentium: cujus probabilitas, & congruentia, estò à nulla Gente negetur, non tamen ita necessaria judicatur, ut sinè illâ ius naturale violaretur. Hæc enim conclusio: oportet, quòd agri ut benè colantur, dividantur, & approprientur, licèt optime inferatur, non tamen est absolutè, & simpliciter necessaria, nec per consequentiam absolutè necessariam deducitur; cùm in statu innocentiæ agri fuissent diligenter exculti, absque eorumdem divisione; possentque homines, si probi essent, æquè benè illos colere non divisos, ac divisos: sed solùm infertur, ut maximè conveniens, suppositâ naturæ corruptione, & hominum magnâ in rebus communibus incuriâ, multorumque cupiditate, & tyrannide. Hinc

XVI. Ad primam Confirm. patet disparitas. Quia præcepta Decalogi deducuntur per consequentiam, & per medium ex natura rei absolutè necessarium: ita ut non posset stare veritas antecedentis, sinè veritate consequentis. At quæ sunt de jure Gentium, non deducuntur ex principiis juris naturæ, per medium, & consequentiam absolutè necessariam, sed solùm probabilem: & posset stare veritas legis naturæ, etsi conclusio, quæ modò est de jure Gentium, non esset vera: Sicut si natura non esset corrupta, & omnes homines essent probi, pax in Republica humanâ conservaretur, & communia sedulò absque rerum divisione procurarentur.

XVII. Ad secundam Confirm. eodem modo dico, simplicem fornicationem ideo esse illicitam, quia ex illis principiis deducitur per consequentiam absolutè necessariam: ita ut nequeat stare veritas illorum naturalium principiorum sinè veritate illius conclusionis. At agros esse dividendos, non ita deducitur ex illis principiis, sed solùm per consequentiam probabilem, & congruitatis statui naturæ corruptæ, ut dictum est.

XVIII. Objiciunt tertiò. Id, quod ab

ab omnibus Gentibus observatur, & ad illud statuendum nunquam convenerunt, de jure naturali dici debet: sed quæ juris Gentium sunt ab omnibus gentibus observantur, & ad ea statuenda nunquam convenerunt; ergo &c.

Respondeo, neg. maj. absolutè. Non enim ex eo, quòd aliquid ab omnibus observetur, & ad illud statuendum nunquam convenerint, infertur, illud esse de jure naturali directè: sed solùm quòd ita faciliter ex jure naturali, tanquam congruum deducatur; ut omnes, ejus congruitate perceptâ, nullo facto conventu, in illud consenserint: talia autem sunt, quæ ad jus Gentium pertinent. Quare solùm sequitur, ea habere quidem quamdam cum jure naturali cognationem, ut dictum est, non tamen directè ad jus naturale pertinere.

XIX. Objiciunt quartò. Quæ de jure positivo humano sunt, sicut humano consensu sunt statuta; ita humano consensu, & voluntate possunt abrogari, vel saltem dispensari: at quæ sunt de jure Gentium, non possunt humana voluntate dispensari, & multò minus abrogari. Si enim aliquis Princeps auferret à particularibus dominia, nemo condemnaret proprios rerum dominos, quòd defenderent bona sua, sive à Principe, vel ab aliis, qui ea usurpare tentarent.

Hæc instantia ut solvatur, ponitur.

§. III.

Aliqua Quæsita circa Jus Gentium.

XX. Quæritur ergo primò: An supra jus Gentium cadere possit mutatio, vel dispensatio?

Dupliciter potest in jure Gentium fieri mutatio, aut dispensatio. Uno modo generaliter, & in totum: alio modo solùm in parte, quoad hoc, vel illud Regnum. Insuper hæc mutatio fieri potest, vel à sola Principis voluntate absque consensu Populi, vel à Principis simul, & Populi consensu.

XXI. Respondeo ergo, quòd circa jus Gentium potest dari dispensatio, aut etiam mutatio, non in totum, sed saltem in parte. Hæc tamen dispensatio, seu mutatio non à solo Principe facienda esset; sed requireretur consensus Populi. Tres habet partes hoc responsum.

Prima probatur. Primò. Quia ea, quæ de jure Gentium sunt, ideo sunt observanda, quia ad humanum convictum conducentia sunt: at dari potest casus, quòd ad humanum convictum hìc & nunc aliter faciendum esse conveniat; ergo &c. Min. prob. De jure Gentium est rerum divisio, & proprietas dominiorum: & tamen sanctissimè in exordio Ecclesiæ multi, & nunc in Religionibus reformatis melius judicarunt oppositum.

Secundò à priori. Ea, quæ sunt de jure Gentium, non sunt per se bona, neque ea, quæ jure Gentium prohibentur, sunt per se mala; quin pro loco, & tempore possint variari. Si enim rerum divisio per se bona esset, nec primitiva Ecclesia, nec Religiosorum Ordines licitè possent indivisè, & in communi vivere: sicut quia venerari parentes per se bonum est, nulla datur justa causa, quâ à venerandis parentibus possit recedi — Et confirmatur etiam. Nam servitus eorum, qui capiuntur in bello, jure Gentium introducta est: & tamen Ecclesiastica consuetudo admittit, & quidem justissimè, ne Christiani à Christianis in bello justo capti, servi fiant.

XXII. Secunda pars probatur. Quia cùm jus gentium vim obligandi habeat ex omnium nationum consensu, non poterit saltem in totum tolli sine omnium nationum consensu.

XXIII. Tertia etiam pars probatur. Quia licèt Populus, & Regnum dicatur transferre in Regem totam suam auctoritatem; tamen sicut non intendit eam sic transferre, ut Rex possit cum illis, quæ sibi debentur jure natura-

turali privare: ita neque iis, quæ sibi iure Gentium, & omnium Nationum consensu conceduntur. Unde Rex non posset subditos bonorum suorum dominio spoliare, nisi accedat eorum consensus: Princeps enim bonorum suorum subditorum custodes sunt, non domini. Sic etiam à jure pacificè recipiendi Legatos, quod de jure Gentium est, non potest Princeps recedere sinè consensu Principis, à quo Legati missi sunt.

XXIV. Quæres secundò: An connubia dici debeant esse de jure naturali, an de iure Gentium? Ratio dubitandi est. Nam matrimonium cùm non proveniat ex hominum natura, sed ex libero contrahentium arbitrio, ad jus Gentium spectare videtur.

Verùm dicendum est, matrimonium esse de jure naturali: non quia sit aliquid ex propriis naturæ visceribus procedens, sicut tendere deorsum est naturale terræ: sed quia est secundùm naturalem inclinationem. Pro quo noto, quòd natura duo intendit in quolibet individuo. Unum seipsam in illo conservare, & perficere: alterum est conservare speciem, in qua seipsam multiplicet. Cùm enim in uno individuo nequeat se perpetuò conservare; hoc procurat assequi mediâ individuorum successivâ multiplicatione. Ad has conservationes natura duos indidit appetitus. Unum ad cibum, & potum, quibus animal conservat seipsum, quantum potest: alterum ad generationem, medio viri, & fæminæ conjugio, per quam individua multiplicentur, & species conservetur.

XXV. Quæres tertiò: An liberorum successio in bonis parentum sit de jure naturæ, an Gentium?

In hoc Quæsito variæ sunt Auctorum opiniones. Aliquibus enim Jurisperitis placet, liberorum successionem in bonis parentum esse de jure naturæ. Quod probant ex *Cap. Raynaldus de Testamentis*: ubi Pontifex vocat partem legitimam debitam jure naturæ. Et ex *C. Raynutius* ibid. ubi eadem legitima vocatur portio iure naturæ debita. Quod idem videtur colligi ex Jure Civili, *Lege Nam etsi Parentibus ff. de Inoffic. Testam.* nec videtur deesse ratio. Nam parentes tenentur jure naturæ alere filios; ergo tenentur eis propriam hæreditatem relinquere, quæ locum habeat alimentorum; ut filius patre mortuo hæreditate patris alatur.

XXVI. Aliis verò placet, filiorum successionem in bonis parentum esse tantùm de jure Civili. Primò. Quia successio ab intestato est de jure Civili, *L. hoc venire ff. de Verb. signif. §. In testatorum*. Legitima autem est quædam species successionis ab intestato — Secundò. Quia constat, filiorum legitimam fuisse lege, & consuetudine mutatam. Antiquissimo enim tempore bona omnia patris, etiam patre vivente, ad filios deferebantur. Postea jure Digestorum, & Codicis quarta tantùm pars pro filiorum legitima constituta est. Demum jure novissimo Authenticarum tertia pars est decreta. — Tertiò. Quia licet filios in quibusdam casibus hæreditate, & legitimâ privare; quod certè fieri nequiret, si filii jure naturæ in bonis parentum succederent. — Quartò. Quia cum naturalis lex nullam faciat differentiam inter filios legitimos, & naturales; si filii jure non civili, sed naturali in bonis parentum succederent, æqualiter succedere deberent naturales, ac legitimi; cùm tamen lex civilis diversimodè disponat de legitimis, & naturalibus, ac spuriis.

XXVII. Aliis tandem, quibus libenter subscriberem, placet, dictam successionem esse de jure Gentium. Nam idem judicium ferendum est de successione in bonis, ac de bonorum divisione, & particulari rerum dominio; quia si non esset rerum divisio, neque meum, & tuum, sed omnia essent communia, non esset locus quæstioni: atqui rerum divisio neque est de jure purè civili, neque de iure natu-

naturæ absolutè, sed solùm de jure Gentium, ut dictum est: quatenus in hoc rerum ordine, in quo natura humana corrupta est, ut detur pax, & utilitas Reipublicæ, omnes Gentes convenerunt, dandam esse rerum divisionem. Quòd si natura integra perseverasset, sicut neque fuissent dominia, sic neque successio in bonis fuisset; ergo &c.

Quando itaque jura videntur, ut supra, dicere, successionem filiorum esse de jure naturæ, sumunt jus naturæ latè: sive pro jure ex nativitate contracto, sive pro jure Gentium, quod in jure naturæ attentâ ejus corruptione, fundatur — Cùm verò in secunda opinione dicitur, talem successionem esse de iure Civili; de successione sermo est, non quoad substantiam, & absolutè sumta, sed quoad quantitatem: nam esto filium absolutè succedere in bonis parentum sit de jure gentium, determinare tamen, in qua quantitate debeant filii succedere, relictum fuit dispositioni Legum Civilium, ad quas pertinet determinare jus commune ad casus particulares.

§. Ultimus.

Dividitur Jus Theologicè.

XXVIII. Dividentes supra cum S. Thoma jus in naturale, & positivum, Philosophi moralis partes egimus. Modò theologicè juris divisio à sui prima origine investiganda est, & res altiùs repetenda. Jus ergo latissimè sumtum primò dividitur in jus Divinum, cujus Deus est Auctor, & Humanum, cujus est conditor homo. Juris Humani divisionem in jus Gentium, Ecclesiasticum, & Civile jam subjecimus.

XXIX. Jus ergo Divinum dividitur in Divinum pertinens ad naturæ ordinem, & in divinum pertinens ad ordinem gratiæ. Exemplum primi sunt præcepta Decalogi. Exemplum secundi sunt præcepta fidei, spei, & caritatis — Rursus: Divinum jus ad naturæ ordinem pertinens dividitur in jus naturale, & jus superadditum ex beneplacito Dei. Jus naturale dicitur non solùm, quia pertinet ad naturæ ordinem; sed quia naturali instinctu luminis naturalis cognoscitur, & obligat: vel quia per consequentiam necessariam ex principiis lumine naturali notis deducitur, qualia sunt multa Decalogi præcepta. At jus Divinum pertinens ad ordinem naturæ, sed superadditum ex beneplacito Dei, est illud, quod per specialem Dei revelationem constituitur hominibus ad bonam gubernationem Reipublicæ, secundùm humanam politiam. Talia erant præcepta Judicialia veteris legis, quæ ex parte objecti, & materiæ non excedebant ordinem naturæ; & ex mero Dei beneplacito vim obligandi habebant.

XXX. Denique jus Divinum pertinens ad ordinem gratiæ, ut colligitur ex S. Thom. hâc *q. 57. a. 2. ad 3.* dividitur in jus connaturale ipsi gratiæ, & immutabile, & in jus positivum. Ad primum pertinent præcepta credendi, sperandi; & amandi Deum, sinè quibus impossibile fuit omni tempore placere Deo: sunt enim velut præcepta naturalia ordinis gratiæ, & præcepta, quia ex natura sua bona. Ad secundum verò pertinent præcepta de Sacramentis, tam in veteri, quàm in nova lege; hæc enim obligant, & bona sunt, quia præcepta: & licèt sinè illis gratiam non consequamur, hoc non est, quia natura gratiæ sic exigat, sed quia Christus, & Deus ita instituit: *Sunt enim* (inquit S. Th. citato loco) *in lege divina quædam præcepta, quia bona; & probibita, quia mala: quædam verò sunt bona, quia præcepta; & mala, quia probibita.*

Nota tamen: quòd in his divisionibus iuris theologicè accepti, accepimus jus in sui maxima universalitate; & proinde non solùm, ut est objectum iustitiæ specialiter dictæ;

 sed

fed etiam, ut est objectum omnis virtutis, cujus actus est in præcepto. Omnia enim ea, quæ sub præcepto cadunt, sub jure clauduntur, & justa sunt; quia leges observare, ad iustitiam legalem pertinet.

QUÆSTIO II.

De Justitia, ejusque Natura.

Examinato jure, seu justo, quod est iustitiæ objectum, ad examen de iustitia, ejusque natura procedendum est.

DUBIUM I.

Quid sit Justitia.

§. I.

Definitio Justitiæ,

I. Justitiæ nomen varias subit significationes. Primò significat collectionem omnium virtutum: quo pacto in Sacris Paginis homines, omnibus virtutibus moralibus ornati, justi dicuntur. Sic de S. Joseph dicitur, Matth. 1. v. 19. *Joseph autem vir ejus cum esset justus.* Lucæ 1. v. 6. de Zacharia, & Elisabeth dicitur: *Erant autem justi ambo ante Deum.* Et Psalm. 33. v. 17. *Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos.* Secundò accipitur iustitia pro forma incompossibili cum peccato: sic dividi potest in iustitiam originalem, supernaturalem, & naturalem. Originalis est donum quoddam supernaturale primis parentibus infusum perfectam inducens in anima, quoad omnes ejus partes, tranquillitatem, & ordinem. De hac egimus *Tom. 6. in 1. p. Qu. 3. Dub.* 4. Supernaturalis, seu gratuita, est gratia sanctificans, quæ nos justos, seu justificatos reddit. Naturalis verò est rectitudo voluntatis ad bonum: tunc enim voluntas justa dicitur, quando rectè agit in ordine ad bonum rationis. Sed de iustitia hisce modis acceptâ non agimus hic — Tertiò modo iustitia dicitur virtus specialis, una ex virtutibus moralibus cardinalibus: & hanc intendimus definire in præsenti cum S. Thom. 2. 2. *q.* 58. *a.* 1.

II. Definitur ergo iustitia cum S. Thoma, & Juristis ex Ulpiano *L.* 10. *ff. de Justitia, & Jure*, quòd sit: *Constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens.* Quæ definitio ab omnibus recta judicatur. Ly enim *Constans, & Perpetua* ponitur loco generis: omni enim virtuti commune est, ut conferat facilitatem operandi in propria materiâ victricem omnium difficultatum, quæ possent ejus actus impedire, vel retardare: & hoc *Constantia* nomine designatur. Quæ constantia debet esse *Perpetua*; non quidem ex parte subjecti (aliàs homo semel justus nunquam fieri posset injustus) sed affectivè, & objectivè: quatenus iustitia ponit in homine propositum, & intentionem semper jus suum unicuique tribuendi: & hoc per ly *perpetua* designatur. Vide S. Th. hic *ad* 3. *&* 4.

Additur *Voluntas*. Non quòd iustitia sit ipsa potentia rationalis indifferens ad opposita: sed, ut ait D. Th. hoc a. 1. ad 1. *Voluntas hic nominat actum non potentiam. Est autem consuetum, quòd apud Auctores habitus per actus definiantur, sicut Augustinus dicit super Joann.* (Tract. 79.) *quòd fides est credere, quod non vides.* Quòd si quis præfatam definitionem ad rigorem dialecticum velit reducere, dicere potest sic: *Justitia est habitus, secundùm quem quis constanti, & perpetuâ voluntate jus suum unicuique tribuit*, vel ad tribuendum inclinatur.

Dicitur *Jus suum*. Quibus exprimitur ratio differentialis propria iustitiæ, quæ pro objecto suo respicit jus ut adæquandum, seu justum faciendum, ut dictum est. Ly verò *Unicuique* indicat, justitiam inclinare ad jus suum reddendum non uni, vel alteri, sed

cui-

cuique: & non particularibus personis, sed etiam cuilibet multitudini, aut Reipublicæ, si gerat vices personæ privatæ. Tandem ly *Tribuens* accipiendum est, & positivè. & negativè. Ad iustitiam enim pertinet, nedum dare nondum habenti; sed etiam non auferre jam habenti, quod suum est.

III. Ex his infertur primò, iustitiam esse virtutem. Quod probat S. Thom. hàc *q.* 58. *a.* 3. Nam virtus est, quæ bonum reddit actum humanum, & ipsum hominem bonum facit: ars enim pictoris facit bonum pictorem, ars medica bonum medicum, neutra tamen facit bonum hominem: virtus intellectualis facit quidem hominem doctum, non tamen per se facit bonum hominem: sola virtus moralis hoc præstat, quia sola attendit regulam rationis, secundùm quam homo, & actus humani rectificantur. At justitia actum hominis facit bonum; ipsum enim rectificat secundùm regulam rationis, quæ dictat, unicuique reddendum esse quod suum est: homo autem ita rectificatus absolutè bonus est; ergo &c.

IV. Infertur secundò, iustitiam residere in voluntate, non in intellectu, aut appetitu sensitivo. Hoc constat ex allata definitione, deinde prob. à D. Thom. hìc *a.* 4. Non enim est in intellectu: nam justi non sumus, dum justum cognoscimus, sed dum justum facimus. Nec etiam est in appetitu sensitivo: nam cùm iustitia sit ad alterum, debet procedere ab ea parte appetitus, quæ regitur à cognitione unius cum comparatione ad alterum: sed pars appetitiva sensus regitur apprehensione sensitivà, quæ unum cum proportione ad alterum attingere non valet: hoc enim solius rationis est; ergo &c.

§. II.

Solvuntur ea, quæ Obstant contra Dicta.

V. Contra datam definitionem obstat primò. Sola Dei voluntas est constans, & perpetua; ergo vel hoc non convenit justitiæ, vel justitia non est in homine. — Rursus: rectitudo voluntatis non est voluntas; alioquin si voluntas esset sua rectitudo, nulla voluntas esset perversa: sed secundùm Anselmum, lib. de Verit. cap. 13. *Justitia est rectitudo;* ergo justitia non est voluntas. — Tertiò. Neque dici potest constans, & perpetua, quia omne perpetuum est constans, quia immutabile; ergo ly *Constans* superfluè ponitur.

VI. Respondeo ad primum cum S. Tho. hàc *qu.* 58. *a.* 1. *ad* 3. quòd sola Dei voluntas est perpetua ex parte actus, qui perpetuò durat. Ex parte verò objecti etiam voluntas humana perpetua esse potest; quia potest velle perpetuò facere aliquid. Et hanc voluntatem requirit justitia: *Non enim sufficit ad rationem justitiæ, quòd aliquis velit ad horam in aliquo negotio servare justitiam: quia vix invenitur aliquis, qui velit in omnibus injustè agere: sed requiritur, quòd homo habeat voluntatem perpetuò, & in omnibus justitiam conservandi.* Ad id, quod secundò dicitur, respondeo cum S. Tho. citato *ad* 2. quòd *Neque etiam justitia est essentialiter rectitudo, sed causaliter tantùm: est enim habitus, secundùm quem aliquis rectè operatur, & vult* — Neque officit. 3. Nam, ut ait S. Thom. ibi ad 4. *Sicut per hoc, quod dicitur* Perpetua voluntas, *designatur, quòd aliquis gerat in proposito perpetuò justitiam conservandi: ita etiam per hoc, quòd dicitur* Constans, *designatur, quòd in hoc proposito firmiter perseveret.*

VII. Obstant secundò contra ly *Jus suum*. Primò. Etiam per caritatem jus suum unicuique tribuitur: caritas enim omne bonum alterius vult; ergo non

non est proprium justitiæ. — Secundò. Reddere cuique jus suum pertinet ad Principem; ergo si hoc est actus proprius justitiæ, hæc erit in solo Principe.

VIII. Respondeo ad primum, vel negando, quòd caritas respiciat bonum alteriùs, ut ipsi debitum debito legali, ut est iustitiæ proprium. Vel dato, quòd etiam hoc modo bonum alteriùs respiciat; illud non respicit, ut materiam propriam, sed ut materiam à se imperatam, & causaliter. Cùm enim caritas sit virtus universalis, & imperans omnibus, potest cujusque virtutis actus esse materia imperata à caritate & sic etiam actus iustitiæ a caritate imperari — Ad secundum dico cum S. Thom. hìc a. 1. ad 5. *Quòd Judex reddit, quod suum est, per modum imperantis; & dirigentis, quia Judex est* iustum animatum, *& Princeps est* custos justi, *ut dicitur in 5. Ethic. (c. 4. & 6.) sed subditi reddunt, quod suum est unicuique per modum executionis.*

IX. Obstat contra id, quod diximus, iustitiam esse virtutem primò. Actus iustitiæ inutilis est: reddit enim alteri, quod debet, juxta illud, Lucæ 17. v. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus:* sed facere opus virtutis, non est inutile; ergo &c. — Secundò. Actus, qui fit ex necessitate, non est virtuosus: sed reddere, quod suum est, quod est actus iustitiæ, est necessitatis; ergo &c. — Tertiò. Omnis virtus moralis versatur circa agibilia: at iustitia cum versetur circa exteriora, versatur potius circa factibilia; ergo &c. — Quartò. Qui facit actum virtutis, laudem meretur: sed qui frequentat actus iustitiæ, laudem non meretur: non enim laudantur mercatores ob mercaturam; quamvis isti emendo, & vendendo frequentent iustitiæ actus; ergo &c.

X. Respondeo ad singula. Ad 1. dicit S. Thom. q. 58. citatâ a. 3. ad 1. *Quòd cum aliquis facit, quod debet, non affert utilitatem lucri ei, cui facit, quod debet, sed solùm abstinet à damno ejus: sibi tamen facit utilitatem, inquantùm spontaneâ, & promtâ voluntate facit illud, quod debet, quod est virtuosè agere. Unde dicitur, Sap. 8. v. 7. Quòd* Sapientia Dei sobrietatem, & justitiam docet, prudentiam, & virtutem; quibus in vita nihil est utilius hominibus, *scilicet virtuosis.*

Ad secundum idem S. Doctor (ibidem *ad* 2.) distinguit maj. Qui fit ex necessitate coactionis, con. maj. *Hæc enim, quia repugnat voluntati, tollit rationem meriti.* Ex necessitate obligationis præcepti, sive ex necessitate finis: *Quando scilicet aliquis non potest consequi finem virtutis, nisi hoc faciat,* neg. maj. *Talis* enim *necessitas non excludit rationem meriti, inquantùm aliquis hoc, quod sic est necessarium, voluntariè agit.* (aliàs nullus actus, quòd est in præcepto, esset virtuosus) *Excludit tamen gloriam supererogationis, secundùm illud, 1. ad. Cor. 9. v. 16.* Si Evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit.

Ad tertium dist. min. Circa factibilia, faciendo ea, nego min. Utendo iis, con. min. Ita S. Thom. *ad* 3. dicens: *Justitia non consistit circa exteriores res, quantùm ad hoc, quòd est facere, quod pertinet ad artem: sed quantùm ad hoc, quòd utitur eis ad alterum.*

Ad quartum, nego min. Quòd si mercatores regulariter laudem non merentur ex mercatura, ratio est: quia justitiæ actus, vel non integrè faciunt, vel si faciunt, eos faciunt, non ex honestate virtutis: & sic non faciunt justum formaliter, sed animo lucrandi, quod est actibus justitiæ potiùs abuti.

XI. Obstat insuper contra id, quod diximus, iustitiam esse in voluntate. Et probatur, eam esse in intellectu, sic. Actus justitiæ sunt, ordinare unum ad alterum, & judicare de æquo, & justo; sed sunt actus intellectus; ergo &c.

XII.

XII. Respondeo ad primam partem majoris, quòd actus justitiæ est ordinare, non formaliter (hoc enim pertinet ad intellectum) sed volendo ordinem à ratione propositum. *Voluntas* (inquit S. Tho. hâc qu. 58. a. 4. ad 2.) *fertur in suum objectum consequenter ad apprehensionem rationis. Et ideo, quia ratio ordinat in alterum, voluntas potest velle aliquid in ordine ad alterum, quod pertinet ad justitiam.* — Ad secundam partem majoris, nego, quòd judicare de justo, & æquo sit actus primarius, & proprius justitiæ; cùm potiùs sit actus justitiam consequens. Ex quo enim voluntas afficitur erga justum, nascitur in intellectu judicium de justo, & æquo. Neque obest, quòd justitia sit in voluntate, & aliqui actus ab ea velut imperati sint in intellectu. Nam virtus Religionis est in voluntate; cùm tamen oratio, quæ ad Religionem pertinet, sit in intellectu.

XIII. Probatur insuper, Justitiam esse in appetitu sensitivo, sic. Voluntas ex natura suâ est determinata ad bonum rationis prosequendum; ideo enim dicitur appetitus rationalis; ergo non indiget habitu justitiæ ipsi superaddito, sed potiùs appetitus sensitivus, in quo potest esse difficultas. Et hac ratione virtus temperantiæ, & fortitudinis ponitur non in voluntate, sed in appetitu sensitivo, in quo sunt passiones repugnantes; & propterea per virtutem vincendæ.

XIV. Respondeo. dist. ant. Ad bonum rationis proprium, co. ant. Ad bonum rationis, quod est ad alterum, nego ant. Responsio hæc sumitur ex D. Tho. *q. 1. de Virtutibus a. 5. in corp.* ubi docet, quòd voluntas indiget habitu solùm ad bonum, quod transcendit proportionem potentiæ. Dupliciter autem potest aliquod bonum excedere proportionem voluntatis. Vel ratione speciei, quomodo eam excedit bonum divinum: & ad hoc voluntatem hominis elevat caritas, & similiter spes. Vel ratione individui, nimirum quòd voluntas quærat etiam id, quod est alterius bonum: & ad hoc datur in voluntate justitia, & aliæ virtutes ad alium tendentes, ut liberalitas, & alia hujusmodi. Et subjungit: *Sic ergo duæ virtutes sunt in voluntate, scilicet caritas, & justitia. Cujus signum est, quòd istæ virtutes quamvis ad appetitivam pertineant, non tamen circa passiones consistunt, sicut temperantia, & fortitudo. Unde patet, quòd non sunt in sensibili appetitu, in quo sunt passiones, sed in appetitu rationali, qui est voluntas, in quo passiones non sunt.* Quibus respondet etiam ad exemplum allatum de temperantia, & fortitudine; quæ cùm sint circa passiones, in appetitu sensitivo poni debent. Videatur etiam S. Doct. *in 3. dist.* 33. *q.* 2. *a.* 4. *q.* 3.

DUBIUM II.

Variorum Examen circa Naturam Justitiæ.

§. I.

An debeat esse ad Alterum?

I. SAnctus Thomas hâc 2. 2. q. 58. a. 2. affirmativè respondet, loquendo de justitia propriè tali. Quia justitia æqualitatem importat, ut dictum est: sed nihil est æquale sibi, sed alteri; ergo justitia est ad alterum.

Addit deinde S. Doct. quòd cum justitia rectificet actus humanos; necesse est, ut æqualitas ista, quam facit justitia, sit diversorum agere potentium. Cùm autem agere proprium sit suppositi, & totius, *Non autem propriè loquendo partium, aut formarum, aut potentiarum: non enim propriè dicitur, quòd manus percutiat, sed homo per manum: neque propriè dicitur, quòd calor calefaciat, sed ignis per calorem:* ideo justitia *propriè dicta requirit diversitatem suppositorum. Et ideo non est nisi unius hominis ad alium.*

Si

Si autem per similitudinem velimus loqui, cùm in eodem supposito hominis sint diversæ potentiæ, tanquam diversa principia actionum, & quasi diversa agentia, videlicet, ratio, irascibilis, & concupiscibilis: sic *Metaphoricè in uno, & eodem homine dici potest esse justitia, secundùm quòd ratio imperat irascibili, & concupiscibili; & secundùm quòd hae obediunt rationi: & universaliter secundùm quòd unicuique parti hominis attribuitur, quod ei convenit.* Hac ratione homo, dùm ex impio fit pius, dicitur esse justus justitiâ metaphoricè dictâ: quatenùs cuilibet parti animæ tribuitur, quod ei convenit: nempe, ut ratio humana sit subjecta Deo, & inferiores vires obediant rationi.

II. Estò autem justitia debeat esse ad alterum distinctum suppositum; non requiritur tamen, quòd ille alter, ad quem est justitia, realiter, & quoad effectum existat. Exemplum est in divina justitia, quæ est æterna; cùm tamen creaturæ, quibus reddenda est, fuerint solùm in tempore. Quia, ut docet S. Tho. hâc q. 2. 2. ad 3. *Justitia Dei est ab æterno secundùm voluntatem, & propositum æternum; & in hoc præcipuè justitia consistit: quamvis secundùm effectum non sit ab æterno: quia nihil est Deo coæternum.* Hinc etiam in humanis tenetur aliquis ex iustitia servare legatum paterni testamenti in favorem nepotis, qui nondum natus est. Hæc stando, in ordine naturali, perspicua sunt.

III. Verùm ascendendo ad ordinem supernaturalem, in quo, supposito Mysterio Incarnationis fateri debemus, Christum satisfecisse ex iustitia pro peccatis nostris, non solùm Patri, sed etiam sibi; cùm tamen Christus, ut satisfaciens, non sit alius à se, ut recipiente satisfactionem: in Christo enim una tantum est Persona Verbi Divini in duplici natura subsistens divinâ, & humanâ, ut fides docet contra Nestorium: maior difficultas exsurgit in salvando alteritatem requisitam ad iustitiam. Estò autem quæstio hæc fusè examinanda sit in Tract. de Incarnatione; ut eius tamen aliquali notitiâ Candidatus meus imbuatur,

IV. Suppono, quòd quando dicitur, ad veram iustitiam requiri alteritatem suppositorum, non loquimur de præcisa alteritate in esse entis, & physicâ. Nam pater, & filius, servus, & dominus sunt duo supposita dicentia alteritatem physicam: & tamen, ut dicemus, inter patrem, & filium, servum, & dominum dari non potest vera, & rigorosa iustitia. Ut detur vera iustitia requiritur alteritas moralis, seu iuris: ita ut suppositum actus iustitiæ exercens habeat distinctam naturam, distinctum ius, distinctum dominium, distinctamque libertatem à iure, dominio, & libertate eius, cui iustum, seu ius redditur.

V. Cùm ergo licèt suppositum, seu Persona Divini Verbi, ut subsistens in natura divinâ, & ut subsistens in natura humanâ Christi, sit unum, & idem in esse physico; prout tamen subsistit in una naturâ importat distinctum ius, dominium, & libertatem à iure, dominio, & libertate, quam importat, ut subsistit in alia natura, sicut & distinctam voluntatem, & distinctas operationes: nam quemadmodum, contra Nestorium, fatemur in Christo unum tantùm suppositum, ita, contra Eutichetem, confitemur in Christo duas naturas, & contra Monothelitas, duas voluntates, duas operationes cum duplici libertate, divinâ scilicet, & humanâ: propterea dicimus, Personam Christi ut subsistentem in natura humanâ, fuisse moraliter, & in iure alteram à se ipsa, ut subsistente in natura divinâ: & consequenter per operationes, quas faciebat in natura, & libertate humanâ, potuisse de rigore iustitiæ satisfacere sibi ipsi, ut subsistenti in natura divinâ. Sed hæc extremis labiis degustasse sufficiat.

§. II.

§. II.

An Justitia debeat esse ex Propriis?

VI. Conveniunt omnes, quòd iustitia debeat procedere ex propriis. Nam si quis debens centum alteri, ei centum furetur, & reddat, non extinguit debitum; sed solùm extinguit obligationem ex furto provenientem.

Difficultas est: An possit quis ex iustitia alteri satisfacere ex condonatis, seu donatis à creditore. Pro quo noto, extinctionem debiti apud Jurisperitos esse duplicem. Una dicitur ex rigore iuris, seu ex iustitia: alia dicitur perfecta, & stricta iustitia. Prima attendit æqualitatem debiti: & dummodo ad æqualitatem illud extinguat, parum curat, an ex propriis, an ex condonatis, & acceptis à creditore hoc faciat. Quapropter si Petrus debeat decem Paulo, & Paulus donet decem Petro; si Petrus illa decem sibi donata Paulo solvat, dicetur de rigore juris satisfecisse, nec Paulus illa decem potest repetere: cùm iam debitum extinctum sit, & posita æqualitas inter ius Pauli, & debitum Petri. Secunda verò debiti extinctio ex perfecta, & strictâ iustitiâ est illa, quæ non solùm servat æqualitatem, sed omnes etiam conditiones perfectæ, & strictæ iustitiæ, & maximè quòd in gratia, & dono creditoris non fundetur. Et hæc iustitia non intervenit in casu, quo quis extinguat debitum ex sibi à creditore donatis; sed dicitur extinctum partim ex iustitia, partim ex gratia. Qua ratione pura creatura nequit ex iustitia rigorosâ Deo satisfacere.

VII. Si tamen velimus ad satisfactionem Christi ascendere, quærendo: an fuerit ex iustitia primo, an secundo modo; seu, an ex propriis, an ex donatis, & acceptis à Deo creditore: certum est primò, eam fuisse ex rigore iuris, quia quoad æqualitatem, imò ad superabundantiam debitum extinxit. Quæstio est inter Theologos: an fuerit etiam de perfecta, & strictâ iustitiâ, nimirùm, ex non acceptis, & donatis, sed ex propriis ipsius Christi.

VIII. Pro hoc noto, duo in actionibus satisfactoriis Christi consideranda esse. Unum illarum entitatem, seu essentiam specificam: alterum earum dignitatem circumstantialem ex reflexione supra Personam Verbi, ratione cuius dicuntur, & sunt operationes Theandricæ, seu Dei hominis. Quoad primum proportionatæ non sunt ad ponendam satisfactionem ex stricta iustitiâ: sunt enim à Deo acceptæ, & donum ipsius. Quoad secundum verò, idest, quatenus reflexivæ supra Personam Verbi, eiusque propriæ, ita erant Verbi Incarnati, ut nulli alteri divinarum Personarum (imò neque ipsi Personæ Verbi, ut subsistenti in natura divina) convenirent, vel sub illarum dominio essent. Et hac ratione potuit Christus per illas ex propriis, & ex rigorosa iustitiâ Deo satisfacere; quatenus satisfaciebat per actiones Verbi proprias, ut in natura humana subsistentis. Sed hæc in Tractatu de Incarnatione pro dignitate discutientur.

§. III.

An Justitia Procedere debeat ex Indebitis?

IX. Justitiam ex indebitis, non autem ex debitis, peragendam, esse omnes conveniunt. Unde qui duplici titulo debet alteri centum, puta *centum* ex mutuo, & *centum* exemtione, non satisfacit illi duplici obligationi, solvendo *centum*: quia non reddit æquale debito, quod ad justitiam necessariò requiritur. Quare licèt in aliis materiis possit quis una actione satisfacere duplici obligationi, puta unico jejunio satisfacere, & præcepto Ecclesiæ, & Confessarii: non tamen in adimpletione debiti ex justi-

iustitia. Alioquin non redderetur æquale; quia debitum *ducentum*, non extinguitur *per centum*, cùm *centum* non adæquet *ducentum*.

X. Sed dices. Etiam in materia iustitiæ potest quis unicâ actione duplici satisfacere obligationi; ergo &c. Ant. exemplo probatur. Quis ob negotium debet mittere Neapolim nuncium, & convenit de pretio cum Titio; qui sciens, alterum debere illuc mittere nuntium ob aliud negotium, cum eo etiam convenit, & sic accipit duo æqualia stipendia: sed iste, in casu, unico itinere satisfacit ex iustitia duplici obligationi, modò negotium utriusque benè, & fideliter exequatur; ergo &c.

XI. Respondeo, ita esse in casu dicto, & similibus, non verò in casu extinctionis debiti, de quo loquimur. Ideo namque in casu allato potest quis unicâ actione duplici obligationi satisfacere; quia opus præstitum est æquè utile, & æquale, si fiat pro pluribus, ac si fiat tantùm pro uno: neque ex hoc, quòd fiat pro pluribus, fit minus utile singulis, ac proinde totum censetur factum pro singulis: & quamvis unum, est tamen virtute multiplex, quia sic ponit æquale, & iustum, ac si re ipsa esset multiplex. At in casu extinctionis debiti non currit sic: cum datio *centum*, quæ sint debita titulo emtionis, non sit æqualis, aut æquè utilis, ac datio *ducentum*, quæ sint debita ex emtione, & mutuo.

XII. Difficultas procedit: an iustitia debeat esse ex omnino indebitis; puta, an si Petrus debeat Paulo *centum*, titulo gratitudinis, ob accepta beneficia, & alia *centum* titulo iustitiæ; dando *centum*, quæ debet titulo gratitudinis, extinguat obligationem dandi alia centum, quæ debet titulo iustitiæ: seu, an dando centum, possit utramque obligationem, & debitum, nimirum, gratitudinis, & iustitiæ adæquare.

XIII. Cui respondeo negativè. Nam quælibet obligatio, & gratitudinis, & iustitiæ seorsim sumta petit adæquari per *centum*: unde qui solvit solum centum, nequit utrique satisfacere, sed uni tantum — Verùm si opus tantæ quantitatis, & tanti valoris esset, ut adæquaret utramque obligationem, neque posset per unam solam absorberi; tunc, si utrique obligationi applicetur, utrique poterit satisfieri: quòd si pro una solâ applicetur, eam solam, sed abundantiùs extinguet. Explico hoc in Christo, qui omnia opera sua tenebatur applicare, & offerre Deo ex debito gratitudinis ob beneficia recepta, nempe, ob beneficium assumtionis, & sustentationis suæ humanitatis; & ex titulo iustitiæ pro nostra redemtione, & ex pacto inito: & tamen utrique obligationi satisfecit, applicando opera sua pro utriusque obligationis extinctione; quia ea opera erant valoris infiniti, ideoque sufficientia ad utramque obligationem adæquandam.

§. IV.

An Medium Justitiæ sit Medium Rei, an Rationis?

XIV. Omnis virtus moralis dicitur consistere in medio, eo quòd versetur circa id, quod est medium inter excessum, & defectum. Sic liberalitas tenet medium inter avaritiam, & prodigalitatem; quia nec nimis parum erogat, ut avaritia, nec nimis multum, ut prodigalitas. Porro hoc medium distinguitur in medium rationis, & medium rei. Medium rationis est, quod consideratis omnibus circumstantiis, & factâ comparatione ad operantem, recta ratio prudenter judicat esse medium inter excessum, & defectum. Medium autem rei est, quod desumitur per comparationem ad res exteriores; puta debiti unius ad jus alterius, vel unius rei ad aliam rem. Unde hoc medium semper involvit æqua-

æqualitatem, vel arithmeticam, puta, decem ad decem, prætii ad mercedem, ut in justitia commutativâ; vel geometricam, & proportionalem, ut inter personam, & officium, ut in justitia distributivâ.

Medium rationis est variabile: aliud enim medium servat virtus temperantiæ in homine sano, & robusto, aliud in infirmo, & debili. Medium autem rei est invariabile, atque idem est respectu omnium. His suppositis

XV. Dico. Justitia in hoc à cæteris virtutibus moralibus distinguitur, quòd istæ respiciunt pro formali medium rationis, illa respicit pro formali medium rei. Explicatur exemplo. Temperantia consistit in medio rationis, nempe, ut non plus, minusve sumas, quàm oportet: hoc autem plus, & minus non sumitur ex natura rerum, ut scilicet libram omnes sumant, aut tali certâ horâ: sed prout prudenter judicatur expedire cujusque valetudini, pro loco, & tempore. Quare quod parcissimo Diogeni multum erat, voracissimo Miloni, qui, ut legitur, integrum edebat bovem, parum erat. Medium autem justitiæ non ex illo rationis perpendiculo, & arbitramento sumitur, sed ex ipsa natura rerum: verbi gratia, emis domum, aut conducis operam alienam, debes domui, & operæ pretium æquare.

XVI. Prob. autem sic. Id formaliter respicitur à justitia, ad quod tendit ejus intentio: sed intentio justitiæ est ponere æqualitatem inter res, seu tollere excessum, & defectum inter debitum unius, & jus alterius, & quousque talis æqualitas inter res non ponatur, quamvis quis prudenter existimet, se eam posuisse, obligationi justitiæ non est satisfactum; ergo &c. Min. prob. Qui enim bonâ fide solvit decem, credens, se nihil plus debere, non propterea extinguit debitum, si re ipsa debebat viginti, sed cognito errore, tenetur reddere alia decem, non secus, ac si malâ fide tantùm decem solvisset. At qui in materia alterius virtutis passus ignorantiam invincibilem, operatus est conformiter ad dictamen fundatum in illa, nec resarcire tenetur cognitâ postea veritate. Si enim quis existimans, se non plus comedere, quàm debet, unâ die plus comedat, quàm deberet; non propterea tenetur sequenti die minus comedere, ut compenset excessum materialem diei præcedentis: sed cessat omnis obligatio ex eo, quòd prudenti æstimatione medium rationis attigerit.

XVII. Hinc optimè S. Thom. hâc 2. 2. *q.* 58. *a.* 10. *&* *q.* 57. *a.* 1. dicit, objectum aliarum virtutum moralium sumi per comparationem ad agens, seu operans: objectum verò justitiæ per comparationem ad alterum, seu ad res. Nam medium, in quo cæteræ virtutes consistunt, debet ex dispositione agentis pensari: ita ut quod uni est medium, & virtuosum, alteri sit extremum, & vitiosum. At medium justitiæ ex rebus ipsis pensatur, nempe, ex æqualitate proportionis rei exterioris ad personam exteriorem; ut ei nec plus, nec minus detur, quàm ei debetur: in quo consistit æqualitas, seu medium rei.

XVIII. Verùm acutè notat Soto, quòd iustitia non sic dicitur respicere medium rei, ut res distinguitur contra rationem, quasi tale medium non sit rationi consonum; nihil enim magis dictat ratio, quàm, ut debito æquale reddatur: sed quia in materia justitiæ ratio mensuratur à rebus. Non enim ideo hoc est justum, quia ratio sic dictat: sed ideo justum, & rationi consonum est, quia in rebus æqualitas ponitur.

Neque insuper medium aliarum virtutum ideo rationis dicitur, quia non sit in rebus; medium enim temperantiæ est inter appetitum sumendi multum, & appetitum sumendi parum: sed quia viceversâ tale medium ex natura rerum non provenit, sed à ratione constituitur. Quòd enim tanta

D 2 quan-

quantitas panis sit meæ comestionis medium, quæ alteri est extremum; recta ratio, considerata qualitate, & conditione meæ personæ, facit.

XIX. Sed dices. Etiam justitia diversimodè procedit per comparationem ad diversas personas; non enim eâdem pœnâ punit, qui percutit Principem, ac qui percutit personam privatam, sed longè graviori; ergo justitia respicit medium rationis.

Respondeo, neg. conf. Ideo enim majori pœnâ justitia punit percussionem Principis, quàm personæ privatæ; quia major inæqualitas ponitur majori pœnâ adæquanda. Unde S. Th. hâc qu. 58. a. 10. ad 3. *Injuria* (inquit) *illata aliam proportionem habet ad Principem; & aliam ad personam privatam: & ideo oportet aliter adæquare utramque injuriam per vindictam, quod pertinet ad diversitatem rei, & non solùm ad diversitatem rationis.*

XX. Ex his patet etiam diversitas inter justitiam, & alias virtutes morales. Quòd aliæ virtutes morales totam suam rectitudinem desumunt per ordinem ad operantem. Unde si operans malè afficiatur, non habetur materia virtutis; si enim quis ob vanam gloriam jejunet, non habetur materia temperantiæ. At in materia justitiæ quomodocumque operans afficiatur, invenit prudentia rectitudinem, & medium proprium justitiæ; quia istud sumitur ex ordine ad alterum, cui jus redditur. Quòd si actus justitiæ aliquando careat bonitate morali, ut si quis non ex amore justitiæ, sed vanægloriæ debitum solvat; id non est, quia actui justitiæ desit propria rectitudo, sed per accidens, ex defectu circumstantiæ communis omni actui virtutis.

QUÆSTIO III.

De Divisione Justitiæ.

EXplicatâ naturâ justitiæ, ejus divino nos vocat, ut videamus, quænam, & quot sint ejus species.

DUBIUM I.

De Justitia Generali, & Particulari.

§. I.

Asseritur Divisio, & Explicatur.

I. QUia (ut docet S. Thom. hâc *q. 58. a. 5.*) justitia ordinat hominem ad alterum; potest illum ordinare ad alterum dupliciter: ut ad personam singularem, & privatam; vel ut ad totum quoddam, bonumque commune. Sicut enim in corpore naturali unaquæque pars habet duas habitudines: unam ad aliam partem; aliam ad totum corpus, ad quod omnes partes ordinantur: ita in Republica unusquisque Civis habet duas similes habitudines: unam ad quemcumque alium civem, tamquam privatum hominem; alteram ad totam Rempublicam, seu Communitatem. Quæ priori modo hominem ordinat, est justitia particularis: quæ posteriori, est generalis. Prima inclinat ad reddendum jus unicuique, ut est persona privata, & facit æqualitatem inter illos, ut sunt particulares Cives: & hac regulantur emtiones, venditiones, locationes, restitutiones, mercedum solutiones, aliique contractus, qui inter particulares personas exercentur. Secunda inclinat ad curandum bonum commune, & hominem, ejusque operationes ad illud ordinat: eo quòd (sive) habent peculiare quoddam debitum erga Rempublicam, cujus sunt membra, & Respublica habet peculiare quoddam jus erga cives.

II.

II. Hæc justitia vocatur generalis; non quia (ut ait S. Tho. hâc *qu.* 58. *a.* 6.) sit talis per prædicationem, sicut animal est generale ad hominem, & equum: sed dicitur generalis à fine, & objecto, respicit enim bonum commune, quod est generale, & etiam secundùm virtutem, inquantùm scilicet ordinat, & movet actus aliarum virtutum, eos imperando ad bonum commune. Ipsa enim est, quæ imperat in bello fortiter agi propter commune bonum patriæ, & abstinendum ab alieno thoro, propter ejusdem boni communis conservationem: *Sicut enim caritas potest dici virtus generalis, inquantùm ordinat actus omnium virtutum ad bonum divinum: ita etiam justitia legalis, inquantùm ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune.* Et sicut hoc non obstante caritas est virtus specialis; ita etiam justitia generalis: *Quæ principaliter, & quasi architectonicè* est in Principe: *In subditis autem secundariò, & quasi administrativè*,

Dicitur quoque legalis. Nam *Quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune, ut supra habitum est.* (1. 2. qu. 90. a. 2. & in Tract. de Legibus documus) *inde est, quòd talis justitia prædicto modo generalis, dicitur justitia legalis: quia scilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune* (S. Thom. hâc *q.* 58. *a.* 5.)

III. Ex his infertur, justitiam particularem esse distinctam à justitia generali, & legali. Ita S. Tho. *qu.* 58. *art.* 7. cujus ratione probatur sic: *Sicut dictum est* (art. 6.) *justitia legalis non est essentialiter omnis virtus. Sed oportet, præter justitiam legalem, quæ ordinat hominem immediatè ad bonum commune, esse alias virtutes, quæ immediatè ordinant hominem circa particularia bona; quæ quidem possunt esse, vel ad seipsum, vel ad alteram singularem personam. Sicut ergo, præter justitiam legalem, oportet esse aliquas virtutes particulares, quæ ordinant hominem in seipso, puta temperantiam, & fortitudinem: ita etiam præter justitiam legalem oportet esse particularem quandam justitiam, quæ ordinet omnia circa ea, quæ sunt ad alteram particularem personam.*

IV. Confirmatur. Non obstante, quòd caritas sit virtus generalis ordinans actus omnium virtutum ad bonum divinum, dantur tamen virtutes particulares ab ea distinctæ: & non obstante, quòd justitia legalis sit generalis virtus ordinans actus omnium virtutum ad bonum commune, dantur tamen aliæ virtutes particulares; ergo non obstante, quòd actus justitiæ inter particulares personas ordinentur ad bonum commune per justitiam legalem, danda erit justitia particularis, quæ immediatè respiciat bonum alterius particularis personæ. Qui enim mercedem operario solvit, non tenetur semper hoc facere, ut obediat legi, aut ob bonum commune; sed aliquando facit, ut reddat operario quod suum est: in quo casu actus iste non est à justitia legali. — His ergo præmissis, quod in controversiam vocatur, est: an hæc divisio justitiæ in generalem, & particularem, sit univoca, an solùm analoga, idest, an tàm justitia generalis, quàm particularis veram justitiæ naturam habeant. Et quidem de justitia particulari nulli unquam in dubium venit. Quare de justitia generali solùm difficultas erit.

§. II.

An Justitia Legalis Veram habeat Rationem Justitiæ?

V. Dico. Justitia generalis, seu legalis habet veram, & rigorosam rationem justitiæ. Probatur ex jam dictis cum S. Thoma hâc 2. 2. *q.* 80. *a.* 1. Tres conditiones requiruntur ad veram, & perfectam rationem justitiæ: scilicet, debitum rigorosum, & legale, defectu cujus liberalitas deficit

ficit à stricta ratione justitiæ; quia non ex debito stricto, sed solùm morali, scilicet, ex quadam honestate, & congruitate bona sua dat aliis. Secunda, æqualitas inter debitum unius & jus alterius; defectu cujus à vera, & strictâ ratione justitiæ declinat pietas, religio, & observantia: quia parentibus, à quibus accepimus vitam, Deo, à quo esse accepimus, & sustentamur, & iis etiam, à quibus accepimus disciplinam, numquam possumus reddere æquale. Tertia, alteritas jurium; defectu cujus inter patrem, & filium non emancipatum, servum, & dominum, non datur vera, & rigorosa justitia: sed hujusmodi tres conditiones in justitia legali inveniuntur; ergo &c.

Min. prob. quoad singulas, & quoad primam quidem, sic. Quia debitum, quod quisquis habet erga bonum Communitatis, fortius est debito, quod habet erga particularem personam: & jus, quod habet Communitas in quemcumque civem, prævalet juri, quod habere potest quælibet particularis persona. — Quoad secundam. Quia æqualitas in hoc consistit, quòd quis reddat quantùm debet; quod optimè fit per justitiam legalem. Si enim Princeps, in quo justitia legalis residet principaliter, & subditi, in quibus residet executivè, tantùm tribuant Communitati, quantum hìc & nunc exigit commune bonum: ille justas leges sanciendo, isti talibus legibus obtemperando, vel aliis actionibus sua debita implendo, reddunt Communitati quantùm debent. — Quoad tertiam tandem. Quia aliud est jus Communitatis, aliud est jus Civium particularium. Estò enim Communitas habeat jus in bona subditorum; hoc tamen est jus alti dominii, quod non tollit, quin in particularibus sit suum jus particulare utile, & bassum.

VI. Sed argues primò. Justitia legalis non dicit rigorosum debitum, & jus: qui enim illud violat, non tenetur ad restitutionem. Privatus enim, qui non prohibet incendium, vel aliud damnum Reipublicæ, cùm possit, peccat quidem graviter; non tenetur tamen damna restituere, nisi ex officio hoc ei incumberet, ut docet S. Thom. infra *qu. 62. a. 7. ad 3.* Similiter nec Civis, qui pro bono communi propria bona non expendit, nec dives, qui pauperibus necessitatem patientibus non subvenit, unde vel pestis, vel alia damna poterant obvenire; etiam mandato Principis existente, adhuc tamen restituere, nec compensare damna tenetur: & tamen peccat contra justitiam legalem.

VII. Respondeo, neg. ant. ad prob. conc. ant. nego cons. Nam restitutio non est actus cujuscumque justitiæ, sed commutativæ, ut docet S. Thom. hâc 2. 2. *q. 62. a. 1.* adeo ut probabile sit, violationem justitiæ distributivæ, quæ tamen species veræ justitiæ est, non inducere onus restituendi; nisi quatenus cum ea involvitur violatio justitiæ commutativæ, ut docet S. Thom. citatus *ad 3.* Dicendum ergo est, quòd qui justitiam legalem violat, expoliat quidem Rempublicam jure suo, seu re illi debitâ, non tamen fit restitutioni obnoxius; quia quod Cives debent Reipublicæ, quandiù apud eos manet, nondum est Reipublicæ appropriatum: neque admiscetur violatio justitiæ commutativæ, nisi is, qui transgreditur, sit pacto à Republica conductus, ut ejus bono speciali curâ adsistat, ut Princeps, Senator, justitiæ minister. Hi enim ad restitutionem tenebuntur, si ex eorum negligentia, aut malitia aliquod grave damnum Reipublicæ evenerit; quia in eis cum justitia legali concurret justitia commutativa.

VIII. Quapropter noto, quòd estò Communitas absolutè comparetur ad Civem, ut totum ad partem; potest tamen dari casus, quo ad illum compareiur, ut pars ad compartem. Unde Civis contractum iniens cum Republica, eam respicit, non ut pars totum, sed ut pars compartem; ideo-

que

que sicut particulare particulari possunt mutuò obligari: & tunc inter Civem, & Rempublicam dabitur non justitia legalis, sed commutativa. Sic Princeps, vel Gubernator, quatenus à Republica constituitur, ut eam regat, non tàm tenetur ei sua officia præstare ex justitia legali, ut alii cives; sed ex justitia etiam commutativâ. Considerantur enim ut duo contrahentes: Respublica, constituendo Gubernatori, aut Principi stipendia, ut eam regat: Gubernator, vel Princeps operam suam ei devinciendo. Ex quo fit, teneri ad damna Reipublicæ compensanda, si talem custodiam negligat, non ex justitia legali, sed commutativâ.

IX. Argues secundò. Justitia legalis non servat alteritatem. Quod probatur. Exerceturenim inter partes, & totum: sed inter partes, & totum non datur alteritas: quia pars est aliquid totius, sicut filius est aliquid patris; ergo sicut inter patrem, & filium non datur vera justitia: ita neque iustitia legalis, quæ datur inter partem, & totum, erit vera, & stricta iustitia. Et hac ratione S. Thomas hâc *q.* 58. *a.* 7. *ad* 3. æconomicam reiicit à vera ratione iustitiæ, quia non datur nisi inter personas: *Quarum una est quasi aliquid alterius*. Hac ratione moti, justitiam legalem à vera ratione justitiæ aliqui reiiciunt. Stando tamen in dictis

X. Respondeo, neg. ant. Ad prob. dist. mai. Inter partes, & totum habentia tamen diversa iura, co. mai. Non habentia diversa iura, nego mai. Et similiter dist. min. nego conf. Civis ergo, & Respublica, estò se habeant ut pars, & totum; habent tamen alteritatem sufficientem ad strictam rationem iustitiæ, fundatam in diversitate iuris, quod est in cive, ab eo, quod est in Republica, ratione cuius habentur pro moraliter distinctis; pater autem, & filius non sunt in esse iuris, & morali personæ distinctæ: quare exemplum non est ad rem. Id verò, quod additur ex D. Tho. de Æconomica, potiùs nobis favet. Nam S. Tho. citato loco contrapositivè loquitur de æconomica, ac de iustitia legali; ergo dum negat, æconomicam esse veram iustitiam, hoc affirmat de legali.

XI. Aliter quoque dici potest, quòd sicut filius potest considerari, ut est moraliter aliquid patris; & sic moraliter est idem cum patre, nec habet ius ab illo distinctum; & rursus quo ad aliqua bona, ut sunt castrensia, vel quasi castrensia; & quoad ista habet ius proprium, & distinctum à iure paterno: ita Civis sumi potest, vel ut pars Communitatis, & quatenus est unum cum Communitate moraliter; & sic non habet sufficientem alteritatem ad iustitiam: & hoc modo Religiosi sunt pars Communitatis, nullum jus proprietatis habentes distinctum à jure Communitatis. Vel sumi potest Civis, ut persona particularis, habens jura propria distincta à jure Communitatis, quibus independenter à Communitate uti potest, disponendo liberè de bonis, quæ sub proprietate possidet: & hoc modo est capax justitiæ erga Communitatem, non legalis solùm, sed etiam commutativæ: potest enim eum Republica rigorosos inire contractus.

XII. Argues tertiò. Patriæ, & parentibus non potest reddi æquale: sed justitia legalis exercetur inter Civem, & patriam; ergo non reddit æquale. Maj. patet. Ideo enim pietas, qua debitum jus patriæ, & parentibus redditur, non est vera justitia, ut docet S. Tho. 2. 2. *q.* 101. *a.* 1. & 3. & *q.* 102. *a.* 3.

XIII. Respondeo, dist. maj. Patriæ, & parentibus, ut sunt nobis principium essendi, conc. major. Sub alia ratione, nego maj. Responsio est S. Tho. citatâ *q.* 101. *a.* 3. *ad* 3. Patria ergo considerari potest, ut est nobis principium essendi, & hoc modo colimus patriam virtute pietatis; sicque illi non possumus reddere æquale,

le: nihil enim potest æquari vitæ. Potest etiam considerari patria, ut est bonum commune, in quo sub uno Principe communicamus; & hoc modo respicitur à justitia legali: unde sic, cùm civis pro ea facit, quod debet, reddit ei æquale.

§. III.

Aliqua pro Pleniori Justitia Legalis Notitia.

XIV. Quæritur primò: An Justitia legalis, quæ residet in Principe, seu Gubernatore, sit ejusdem speciei cum ea, quæ est in subditis?

Videtur, quòd non. Quia justitia, ut in Principe, habet pro actu leges condere, ut in subditis autem habet pro actu legem implere: actus autem condendi leges specie distinguitur ab actu legem implendi.

Secundò. Justitia legalis, ut in Principe, est architectonica, ut in subditis, est ministerialis, ut ait D.Th. hàc *qu.* 58. *art.* 6. sed artes architectonicæ, & ministeriales specie distinguuntur, ut patet in equestri, & frænofactiva; ergo &c.

Tertiò. S. Tho. 2. 2. *q.* 47. *a.* 12. & *q.* 50. *a.* 2. Prudentiam, quæ est in subditis, videtur distinguere à prudentia, quæ est in Principe, quamvis utraque respiciat commune bonum: quia *in Principe est ad modum artis architectonicæ, in subditis autem ad modum artis manu operantis*. Attamen

XV. Dico. Probabilius videri, justitiam legalem, quæ est in Principe, non esse specie formali distinctam ab ea, quæ est in subditis. Et probo. Tam enim justitia legalis, quæ est in Principe, quàm ea, quæ est in subditis, respicit idem formale objectum, nempe, bonum, seu ius commune, ut adæquabile per exhibitionem actus legaliter debiti: sed de eodem formali objecto non dantur habitus specie formali diversi; ergo &c.

XVI. Confirmatur. Tota distinctio, quæ est inter justitiam legalem, ut in Principe, & ut in subditis, se tenet ex parte subjecti: at distinctio, quæ se tenet ex parte subjecti, utpote materialis, non est specifica; ergo &c. Maj. prob. Justitia legalis sive in Principe, sive in subditis, respicit idem commune bonum, cum hac differentiâ, quòd in Principe, qui est principalis, respicit legem condendo; in subdito, qui est ministerialis, legem implendo: sed hæc differentia provenit à subjecto, nempe, à conditione Principis, & subditi; ergo &c.

Neque obest, quòd Princeps bonum commune procuret per rationes universaliores, quàm subditi. Hoc enim cum proveniat ex diversa conditione subjecti, non mutat rationem justitiæ. Sicut nec fidei ratio mutatur per hoc, quòd Prælati, & doctiores per Scripturas, & argumenta difficiliora de fide judicent; subditi verò, & idiotæ solam Ecclesiæ propositionem attendant.

XVII. Ad primum ergo in contrarium, dist. min. Specie materiali, & inadæquatâ, conc. min. Formali, & adæquatâ, nego min. & cons. Ab eâdem enim virtute possunt prodire actus specie solùm materiali distincti; quando nimirum ordinantur ad idem objectum formale virtutis: unde ab eadem virtute caritatis procedit amor Dei, & proximi, & ab eadem scientia diversæ specie materiali demonstrationes procedunt. Cùm ergo tàm actus condendi leges, quàm actus legem implendi, ad eundem finem proximum justitiæ legalis ordinentur; nempe, ad bonum commune, ut adæquabile per actum legaliter debitum; inde est, quòd sunt actus specie tantùm materiali distincti, & proinde ab eadem specie justitiâ in diversis subjectis positâ procedentes.

XVIII. Ad secundum, dist. min. Quando habent distinctum motivum formale, conc. min. Quia præcisè architectonicæ, & ministeriales ratione

subje-

subjecti, nego min. Ideo igitur in exemplo allato ars architectonica specie distinguitur à ministeriali; quia distinguuntur ex objecto formali, & non tantum ex conditione subjecti, ut in re nostrâ. Unde subditus benè affectus ad bonum commune, si fiat Princeps, ex eadem justitiâ legali, quâ priùs, solo variato statu, sua munia exercebit circa bonum commune. At faber fræni, seu navis, si fiat miles, aut nauta, egebit arte specie diversâ ad equitandum, & gubernandam navem.

Neque oppositum censet S. Tho. citato loco. Neque dicit, justitiam legalem in Principe esse architectonicam absolutè, & quasi altiorem finem respicientem, quàm in subdito: sed tanquam de una, eàdemque justitiâ loquens, in diverso tamen subjecto positâ dicit: quòd *Est in Principe principaliter, & quasi architectonicè; in subditis autem secundariò, & quasi administrativè*.

XIX. Ad tertiam disparitas est. Quòd Prudentia per se versatur circa media, non circa finem: sunt autem alia media, & in illis alia est difficultas, in gubernanda Republicâ, à mediis, & difficultate in obediendo legi, & inserviendo: & ideo alia est prudentia legislativa, alia politica in subdito. At justitia legalis est de fine: cùmque sive sit in Principe, sive in subdito, eumdem habeat finem, non habet essentialem diversitatem.

XX. Quæres secundò: An justitia legalis strictè dicta sit specie distincta ab Epicheja, seu Epykia?

Noto cum S. Tho. hâc 2. 2. q. 120. a. 1. quòd cùm leges dentur de actibus humanis: actus autem humani *In singularibus contingentibus consistant, quæ infinitis modis variari possunt; non fuit possibile aliquam regulam legis institui, quæ in nullo casu deficeret. Sed Legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, secundùm hoc legem ferentes: quam tamen in aliquibus casibus servare, est contra aequalitatem justitiæ, & contra commune bonum, quod lex intendit. Sicut lex instituit, quòd deposita reddantur, quia hoc in pluribus justum est. Contingit tamen aliquando esse nocivum, puta, si furiosus deposuit gladium, & eum reposcat, dum est in furia: vel si aliquis reposcat depositum ad patriæ impugnationem. In his ergo, & similibus casibus malum est sequi legem positam: bonum autem est, prætermissis verbis legis, sequi id, quod poscit justitiæ ratio, & communis utilitas. Et ad hoc ordinatur* Epicheja, *quæ apud nos dicitur* Æquitas.

Ex his infertur, objectum Epicheiæ (seu Epykiæ) esse ipsum bonum commune, non sub quacumque ratione, sed sub ea, quæ præter communes regulas, & præter verba legis in quibusdam particularibus casibus, quos ex S. Thoma retulimus, est quærenda. Ad quæsitum ergo, circa quod varietatem in Doctoribus invenio,

XXI. Dico. Si justitia legalis dicatur, quæ obtemperat legi, sive quantùm ad verba legis, sive quantùm ad intentionem Legislatoris, quæ potior est; sic Epicheja est pars potior legalis justitiæ. Si verò justitia legalis dicatur solùm, quæ obtemperat legi secundùm verba legis; sic Epicheja non est pars legalis justitiæ: sed est pars justitiæ communiter dictæ divisa contra justitiam legalem, sicut excedens ipsam. Ita eisdem verbis S. Thó. hâc q. 120. a. 2. ad 1. Quibus in hac parte conciliantur Auctores. Cum enim Legislator in lege ferendâ duplicem finem habeat; unum immediatum, ut observetur id, quod lege præcipitur; alterum, mediatum quidem, sed magis principale, ut nempe bonum, & salus Reipublicæ servetur: si utrumque finem justitia legalis inspiciat, Epicheja sub illa continebitur, tanquam potior pars subjectiva ejusdem. Si verò justitia legalis habeat pro fine unico observantiam verborum legis, ut in pluribus contingit, non autem respiciat ad ea-

sus particulares: sic Epicheja, quæ istos per se considerat, erit virtus contradistincta à iustitia legali. Eo modo, quo *Synesis*, quæ tantùm iudicat secundùm leges, & regulas communes, distinguitur à *Gnome*, quæ de eisdem rebus iudicat, præter regulas, & leges communes, sed per altiora, & universaliora principia, ut docet S. Tho. hâc 2. 2. *q.* 51. *a.* 3. & 4.

DUBIUM II.

De Justitia Distributiva, & Commutativa.

§. I.

Dividitur Justitia Particularis in Distributivam, & Commutativam.

I. SAnctus Thomas hâc 2. 2. *q.* 61. *a.* 1. justitiam particularem dividit in distributivam, & commutativam; quam divisionem probat hoc discursu. Tot sunt species iustitiæ particularis, quot modis iustitia ordinatur ad aliquam privatam personam, quæ comparatur ad Communitatem, sicut pars ad totum: sed ad partem Commmunitatis duplex ordo potest attendi, unus regulabilis per iustitiam commutativam, alius per distributivam; ergo &c. Mai. patet. Quia sicut iustitia legalis, seu generalis dicitur per ordinem ad totum; ita particularis dicitur per ordinem ad partes. Min. probatur. Partium duplex ordo potest attendi: unus quidem partis ad partem, cui similis est ordo unius personæ ad aliam: alter totius ad partes, cui similis est ordo Communitatis ad singulas personas: sed primum ordinem dirigit iustitia commutativa, quæ consistit in his, quæ mutuò fiunt inter duas personas ad invicem: secundum dirigit iustitia distributiva, quæ est distributiva communium privatis personis, secundùm proportionalitatem; ergo &c. Et ideo sunt duæ iustitiæ species, scilicet distributiva, & commutativa.

II. Quare tres ordines in hac materia constitui debent. Primus partium ad totum; & hunc dirigit iustitia legalis, cuius, ut vidimus, est, partes, seu privatas personas ad bonum commune ordinare. Secundus totius ad partes; & hunc dirigit iustitia distributiva, cuius est, communia partibus, idest, particularibus, & privatis personis dispensare. Tertius partis ad partem; & hunc dirigit iustitia commutativa, cuius est, regere ius unius partis ad aliam, seu unius personæ ad aliam.

III. Dices. Justitia distributiva videtur potiùs esse membrum iustitiæ generalis, quàm particularis. Nam iustitia, quæ ordinat partes ad bonum totius, est iustitia generalis: cur ergo non erit iustitia generalis distributiva, quæ ordinat totum ad partes, cùm ordo superioris ad inferiora sit ordo proprius universalis?

Respondeo tamen, neg. ant. Ad prob. respondeo, discursum factum valere ad summum de eo, quod est universale per prædicationem; quod, ut asserunt Logici, consistit in ordine totius potentialis ad sua inferiora: non de universali per causalitatem, qualiter ponitur universalis justitia. Illa ergo justitia dici debet universalis, quæ bonum commune procurat, & causat: hujusmodi autem est iustitia, quæ ordinat partes ad totum, quia hæc bonum partium ordinat ad bonum commune totius. Verùm iustitia, quæ ordinat totum ad partes attendit potiùs ad bonum partium; & ideo est iustitia particularis, quia bonum particulare causat. Talis autem est iustitia distributiva; quæ cùm distribuat bona Communitatis in bonum partium, seu particularium, non habet pro obiecto commune bonum totius, sed particulare partium: Et ideo ad iustitiam particularem pertinet.

§. II.

§. I I.

Quomodo distinguantur Justitia Commutativa, & Distributiva.

IV. Inter iustitiam distributivam, & commutativam plures differentiæ sunt. Prima ex dictis est, quòd commutativa ordinat unum privatum hominem ad alterum; distributiva autem ordinat totum ad partem, nempe, bonum Communitatis ad bonum privati — Secunda est, quòd commutativa subjectatur in privatis; distributiva autem in Principe, vel Magistratu bonis communibus præposito: in subditis autem solùm est secundùm aliquem actum imperfectum, inquantùm, ut ait D. Tho. hâc q. 61. a. 1. ad 3. *Sunt contenti justâ distributione.* — Tertia, quòd distributiva dirigit communiter distributiones; commutativa contractus, commercia, commutationes. — Quarta. Commutativa attendit pretium rei, juxta consultam æstimationem hominum; distributiva autem conditionem personæ, an doctus sit, vel indoctus, nobilis, vel ignobilis, aptus, vel ineptus: ut, juxta conditionem, proportionata fiat distributio. Nam jus distributivum crescit, vel decrescit ad quantitatem, quà crescit, vel decrescit conditio personæ. — Quinta. Commutativa per se respicit æqualitatem arithmeticam inter datum, & acceptum; distributiva proportionem geometricam, seu æqualitatem proportionum inter conditiones personarum, quibus fit distributio: nempe, ut digniori dignius, minus digno minus bonum conferatur. — Sexta. Commutativâ aliquid debetur, ut rigorosè suum, & proprium: at distributivâ debetur aliquid alteri, non ut rigorosè suum, sed ut bonum commune, non proprium, sed ei appropriandum. — Septima. Justitia commutativa dat actionem realem, vel personalem, & ex ejus violatione nascitur obligatio restitutionis: neutrum tamen parit justitia distributiva, neque ejus violatio obligat ad restitutionem, nisi in casu, quo commutativa simul violaretur. His, quæ benè notanda sunt, præmissis, Quæritur: An aliqua ex præfatis differentiis sit, quæ causet distinctionem specificam?

V. Dico. Justitia commutativa, & distributiva sunt duæ species justitiæ essentialiter distinctæ. Probatur. Ubi adest diversa ratio juris, & diversa ratio debiti, ibi adest diversa ratio formalis, diversum objectum, & diversa species justitiæ: sed iustitia commutativa, & distributiva respiciunt diversam rationem iuris, & diversam rationem debiti; ergo &c. Mai. videtur certa, min. autem prob. Jus inspectum à iustitia commutativâ, & per eam adæquandum, est ius rigorosum, & proprietatis, seu ius in re, vel saltem ad rem, fundatum in contractu aliquo venditionis, locationis &c. ac proinde supponit debitum legale, & strictum. Jus verò inspectum à iustitia distributivâ non est ius fundans rigorosum debitum, sed solùm debitum exigentiæ, & condignitatis, quam habet pars, ut talis, titulo conjunctionis, & connexionis cum toto; ut sibi servatâ suæ conditionis proportione, de bonis totius distribuatur; ergo &c.

VI. Secundò probatur. Objectum formale iustitiæ est æqualitas ponenda inter ius unius, & debitum alterius; ergo ubi erit diversa ratio æqualitatis, ibi erit diversa species iustitiæ: sed hoc est inter justitiam commutativam, & distributivam. Nam commutativa respicit æqualitatem arithmeticam, tanti nempe ad tantum: distributiva autem solùm geometricam, idest, quòd digniori plus detur, quàm minus digno; ergo &c. Et hæc est ratio S. Tho. hâc *q. 61. a. 1.* ex qua concludit: *& ideò duæ sunt justitiæ species, scilicet, distributiva, & commutativa.*

VII. Infertur ex dictis, medium iu-

in iustitia distributivâ esse æqualitatem proportionis rei ad personam: medium verò in iustitia commutativâ esse æqualitatem rei ad rem. Primum docet S. Tho. hîc *a.* 2. Nam in iustitia distributiva *Tantò plus debetur de bonis communibus, quantò ipsa pars majorem habet principalitatem in Communitatem. Quæ quidem principalitas in Aristocratica Communitate attenditur secundùm virtutem; in Oligarchica secundùm divitias, in Democratica secundùm libertatem, & in aliis aliter.* Secundum quoque docet ibidem. Nam in commutativa tantum debetur alicui, quantum acceptum fuit ab illo. *Et ideò oportet adæquare rem rei; ut quantò iste plus habet, quàm suum sit, de eo, quod est alterius, tantumdem restituat ei, cujus est. Et sic fit æqualitas secundùm arithmeticam medietatem, quæ attenditur secundùm parem quantitatis excessum.* Quod explicat hoc exemplo. *Sicut* quinque *est medium inter sex, & quatuor; in unitate enim excedit, & exceditur. Si ergo à principio uterque habebat quinque, & unus eorum accepit unum de eo, quod est alterius, unus, scilicet accipiens, habebit sex, & ali relinquentur quatuor. Erit ergo justitia, si uterque reducatur ad medium, ut accipiatur unum ab eo, qui habet sex, & detur ei, qui habebat quatuor: sic enim uterque habebit quinque, quod est medium.*

Æqualitatem verò geometricam, quæ non est secundùm quantitatem, sed secundùm proportionem, explicaverat superiùs, dicens: *Sicut si dicamus, quod sicut se habet sex ad quatuor, ita se habent tria ad duo; quia utrobique est sesqui altera proportio, in qua majus habet totum minus, & mediam partem ejus. Non autem est æqualitas excessus secundùm quantitatem: quia sex excedunt quatuor in duobus; tria verò excedunt duo in uno.* Sic ergo æqualitas secundùm proportionem, seu medium, quod attenditur à justitia distributivâ, non est, quòd unus tantum habeat, quantum alter; sed quòd *Sicut una persona excedit aliam, ita etiam res, quæ datur uni personæ, excedat rem, quæ datur ali.*

VIII. Dices primò, quòd justitia distributiva ex eo, quòd sit ordinativa boni communis ad privatas personas, non debeat specie essentiali distingui à commutativa. Nam sæpè ex bonis communibus fit solutio alicui privatæ personæ, ex iustitia commutativâ, ut patet in solutione debiti, quod contraxit Communitas, ob venditionem prædii sibi factam à privata personâ.

Respondeo, neg. ant. Ad prob. dico, quòd cùm Communitas contrahit cum privato, aliquid ab eo emendo; Communitas non se habet ut totum, & privatum ut pars: sed ambo se habent, ut duæ compartes, vel duæ privatæ personæ. Nec Communitas solvendo pretium se gerit, ut dispensatrix boni communis, attendens ordinem, & conditionem personæ; sed ut privatum contrahens, servans æqualitatem rei ad rem: & ideo iustitiam commutativam exercet. Unde S. Tho. hâc *q.* 61. *a.* 4. *ad* 2. ait: quòd *Si alicui, qui Communitati servisset, retribueretur aliquid pro servitio impenso, non esset hoc distributiva justitia, sed commutativa. In justitia enim distributiva non attenditur æqualitas ejus, quod quis accipit, ad id, quod ipse impendit; sed ad id, quod alius accipit, secundùm modum utriusque personæ.*

IX. Dices secundò. Etiam commutativa attendit conditionem personæ: quod probo primò. Compensatio injuriæ est actus commutativæ justitiæ: sed hæc facienda est, secundùm personæ dignitatem; ut quantò dignior sit persona offensa, tantò maior debeat esse satisfactio.

Secundò. Non pari supplicio afficitur is, qui Principem, & is, qui vulgarem aliquem affecit iniuriâ: at iustitia punitiva, seu vindicativa ad commutativam pertinet; ergo &c.

X. Respondetur, neg. ant. Ad primam probat. dist. min. Dignitatem de præsupposito se habentem, com-

min.

min. De formali se habentem, nego min. Nam iustitia commutativa de formali, & per se solùm intendit ponere æqualitatem inter satisfactionem, & offensam. Quòd autem hæc crescat ex dignitate personæ offensæ, & proinde crescere debeat satisfactio; de præsuppositio se habet ad justitiam commutativam, non de formali.

Ad secundam probationem eodem modo respondeo. Justitia ergo distributiva per se, & in omni suo actu de formali attendit conditionem personæ; ut servet proportionem rerum distribuendarum: justitia verò commutativa per se, & de formali solùm respicit æqualitatem rei ad rem. Quòd si aliquando conditionem personæ respicit, hoc non facit per se; sed quia hoc necessarium est, ut deprehendat quantitatem damni, vel iniuriæ, & secundùm eam fiat ad æqualitatem compensatio: & ideo in sola compensatione iniuriarum attendit personam; quia cùm iniuria crescat ad dignitatem personæ, hoc necessarium est, ut statuat æqualitatem arithmeticam inter pœnam, & iniuriam. Cæterùm in aliis materiis conditionem personæ nullatenus considerat: non enim plus dare debes pro equo, vel tritico, quia est Principis, quàm quia est alterius, si res sit eadem. Sed plus puniri debet, qui Principem iniuriâ affecit, quàm qui alium; quia propter illam conditionem personæ iniuria est maior.

Conformiter ad hæc S. Tho. hâc q. 61. a. 2. ad 3. *In actionibus* (inquit) *& passionibus conditio personæ facit ad quantitatem rei. Maior enim est injuria, si percutiatur Princeps, quàm si percutiatur privata persona. Et ideo conditio personæ in distributiva justitiâ attenditur secundùm se; in commutativa autem secundùm quòd per hoc diversificatur res.*

§. III.

An Justitia Distributiva sit Vera Justitiæ Species?

XI. Dico. Justitia distributiva est vera iustitiæ species. Ita omnes Discipuli S. Tho. cum suo Angelico Magistro, hâc *q. 61. a. 1.* ubi dicit, iustitiam distributivam esse partem subiectivam iustitiæ: Si autem non esset vera species iustitiæ, non esset pars subjectiva, sed tantùm potentialis, sicut est pietas, religio, pœnitentia &c. Unde ibi absolutè dicit: *Duæ sunt justitiæ species, scilicet, distributiva, & commutativa.*

XII. Probatur deinde sic. Justitiæ distributivæ non desunt conditiones veræ justitiæ; ergo &c. Antec. prob. Non illi deest debitum legale. In Communitate enim, seu Gubernatore eam administrante adest obligatio, non ex mera honestate virtutis, sed ex stricto, & legali debito bona communitatis distribuendi, secundùm proportionem, & dignitatem singulorum.

Non illi deest alteritas moralis, seu juris. Unaquæque enim Communitatis pars jus habet, ut sibi pro dignitate suâ, & conditione bona communia distribuantur; & in Communitate adest debitum hoc faciendi.

Nec illi deest sufficiens æqualitas. Quia Communitas distribuendo Civibus bona communia, juxta cujusque dignitatem, & meritum, tribuit illi quantum debet, & dat unicuique suum; non titulo proprietatis debitum, hoc enim ad commutativam justitiam pertinet: sed debitum legaliter, titulo specialis exigentiæ, ut sibi bona communia pro sui dignitate communicentur.

XIII. Dices tamen. Vera justitia debet reddere unicuique, quod suum est: sed hoc non præstat justitia distributiva; ergo &c.

Min. prob. Tum ex D. Thom. hâc *q. 61. a. 1. ad 2.* ubi dicit, quòd sicut

cut pars, & totum quodammodo sunt idem; ita, quod est totius, quodammodo est partis; ergo cum id, quod datur per justitiam distributivam, sit bonum totius, id non est partis, nisi quodammodo, & non stricto jure — Tùm etiam. Nam bona communia, antequam distribuantur, sunt Communitatis; ergo prout sic non sunt partis, estò post distributionem approprientur parti: sed hoc ad strictam rationem justitiæ non sufficit. Nam etiam per donationem res, quæ erat donantis, appropriatur, & fit donatarii: cùm tamen donatio, ut patet, non sit actus strictæ justitiæ.

XIV. Respondeo. neg. min. Ad primam prob. dico, ly *quodammodo* non apponi a S. Tho. per modum particulæ diminuentis rationem *debiti*, & *sui*; quasi quòd in justitia distributivâ non sit *suum*, & *debitum* strictè tale: sed poni per modum particulæ distinguentis à *debito*, & *suo*, quod est proprium justitiæ commutativæ: ne videlicet quis crederet, in justitia distributivâ dari *debitum*, & *suum*, sicut in commutativa, in qua datur *suum* per modum proprietatis, & dominii; ubi in distributiva datur suum, per modum condignitatis, & exigentiæ.

Ad secundam prob. nego conf. Non enim ex hoc, quòd bona Communitatis ante distributionem sint Communitatis, rectè infertur; ergo non sunt partis: imò oppositum. Ex quo enim est pars, jus habet exigentiæ, ut bona Communitatis sibi participentur: quod non habet donatarius ad donationem, alioquin non esset donatio.

XV. Sed dices ulteriùs. Si totum, & pars sunt quodammodo idem; ergo inter totum, & partes non est alteritas sufficiens. Nam totum satisfaciens parti, quæ est idem cum ipso, satisfaciet sibi.

Nego conf. Identitas enim, quam habet pars Communitatis cum tota Communitate, compatitur alteritatem jurium, & moralem. Nam quamvis omnes cives simul sint Communitas, & physicè, & moraliter; quilibet tamen seorsim sumtus habet proprium ius particulare distinctum, potens fundare rigorosam justitiam inter ipsum, & Communitatem, ut sibi bona communia participentur: eo modo, quo cum Communitate potest inire contractus, & justitiam commutativam exercere.

§. IV.

De Justitia Vindicativa.

XVI. Putant quidam, vindicativam generaliter non esse, propriè loquendo, partem subjectivam justitiæ, à justitia tamen imperari posse. Alii distinguunt inter vindicationem, quæ fit à Principe, & eam, quæ fit à persona privatâ, non tamen contra legem: & dicunt, illam esse quidem actum justitiæ rigorosæ, istam verò non: Alii tandem volunt, utramque esse veram justitiam.

XVII. Dico. Justitia vindicativa, quæ est in Judice, vel Principe non solùm respectu boni communis, sed etiam in ordine ad bonum particulare partis læsæ; quatenus nititur, eùm levare ab accepto gravamine, & injuriam illatam reparare, continetur sub justitia commutativâ: & ejusmodi vindicatio est actus justitiæ commutativæ. Justitia verò commutativa, quæ est in personis privatis vindictam à Judice postulantibus, non est propriè dicta justitia, nec commutativa, nec distributiva; sed justitiæ quædam pars potentialis, quæ appellatur *Vindicatio*: quæ est virtus specialis, quâ gubernatur voluntas, ne in exigendo punitionem à Judice, peccet per excessum. Utramque partem docet S.Th. 2. 2. q. 80. a. unico ad 1. his verbis: *Vindicta, quæ fit auctoritate publica potestatis, secundùm sententiam Judicis, pertinet ad justitiam commutativam: sed vindicta, quam quis facit propria motu, non tamen contra legem, vel quam quis à Judice requirit, pertinet ad virtutem justitiæ adjunctam.*

XVIII.

XVIII. Prior pars probatur. Quia vindicatio facta à Judice importat debitum rigorosum, & legale: Judex enim, ex officio suo, non tantùm obligatur prospicere bono communi, sed etiam particulari suorum Civium, & servare illos, quantùm potest, innoxios; ac punire malefactores, reddendo illis pœnam, quam merentur. Servat, & importat etiam æqualitatem; quia pœna debet æquari delicto, & sic compensare jus læsum. Importat etiam, & servat alteritatem. Quia Judex, vel vindicat bonum commune, vel bonum partis læsæ: sed Judex est alius à Communitate, & à persona privatâ læsâ; ergo &c. Quòd si aliquando Judex propriam injuriam vindicat; id facit, vel ob legitimam auctoritatem, quâ repræsentans Communitatem, sibi ut publicæ personæ ulciscitur. Vel ob specialem commissionem ad id receptam. Quòd si aliter ulciscatur, non erit actus justitiæ rigorosæ, ob defectum debiti legalis, & etiam alteritatis; cùm ad seipsum justitia non detur. Nota tamen, quòd vindicatio facta à Judice, estò sit actus iustitiæ commutativæ, est tamen imperatus à justitia legali: quia Judex, dum ulciscitur iniurias, sive Communitati, sive privatæ personæ illatas, hoc facit propter bonum commune.

XIX. Posterior etiam pars probatur. Nam vindicatio facta à persona privatâ, vel petita à Judice, caret debito legali. Nam sicut nemo debito legali tenetur compensare bona, quæ ab alio accepit, sed solùm debito morali gratitudinis: ita nec debito legali tenetur compensare, vel petere compensationem malorum, quæ accepit ab alio, sed ad summum debito morali. Ita S. Tho. *q.* 80. *a. unico* citato, *in corp.* ubi loquens de debito morali, ait: *Potest etiam attendi ex parte ejus, cui debetur, prout scilicet aliquis recompensat alicui, secundùm ea, quæ fecit. Quandoque quidem in bonis: & sic adjungitur justitia* gratia.... *Quandoque autem in malis: & sic adjungitur justitia* Vindicatio, *per quam, ut Tullius dicit* (lib. 2. de Invent.) *Vis, aut injuria, & omninò quidquid obfuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur.* Et infra, q. 108. a. 2. ad 1. *Sicut* (inquit) *recompensatio debiti legalis pertinet ad justitiam commutativam; recompensatio autem debiti moralis, quod nascitur ex particulari beneficio exhibito, pertinet ad virtutem gratiæ: ita etiam punitio peccatorum, secundùm quòd pertinet ad publicam justitiam, est actus justitiæ commutativa; secundùm autem quòd pertinet ad immunitatem alicujus personæ singularis, à qua injuria propulsatur, pertinet ad virtutem vindicationis.*

Excipiendæ sunt tamen, ut supra dictum est, Personæ publicæ, vel illæ, quæ habent famam suam aliis obligatam, ideoque petunt vindictam à Judice, quando aliter non potest eorum fama recuperari. Tunc enim est veri nominis justitia, & proinde commutativa. Ex hac enim justitia tenentur officium suum exercere: hoc autem facere non possent, nisi propulsent à se infamiam, similemque injuriam: imò in hoc casu compelli possunt ab iis, quorum interest, ut eam petant resarciri.

XX. Sed contra primam partem dices primò. Estò Dux sit conductus à Republica ex pacto, ut jus illius contra hostes ulciscatur; tamen actus ille defensionis, & ultionis in Duce non est actus justitiæ, sed fortitudinis; ergo estò Judex sit conductus à Republica, ut ulciscatur jus commune legum, per delictum civis læsum, actus ejus non erit actus justitiæ.

Respondeo, neg. maj. Finis enim proprius, & intrinsecus Ducis non est jus Reipublicæ læsum reparare (si enim hoc esset, Dux ex justitia operaretur) sed est, hostes debellare, & victoriam de illis reportare, quod ad fortitudinem pertinet. At finis Judicis judicantis, reum esse puniendum, non est reum punire, sed tali punitione

tione jus commune læsum per violationem legis, & civem læsum, per injuriam ad æqualitatem compensare: unde Judex per sententiam procedit, ut nimirum justè agat; non verò Dux in pugnando, & hostem debellando. Nota tamen, quòd Judex non vult malum pœnæ, ut tale, nec ut præcisè proportionatur cum delicto: sed in malo pœnæ formaliter respicit reparationem legum, & juris partis læsæ, ut fiat compensatio: & in hoc relucet justitia.

XXI. Dices secundò. Videtur potiùs, justitiam vindicativam ad distributivam pertinere. Ad eandem enim virtutem pertinet, pœnas condignas pro delictis infligere, ad quam pertinet, præmia pro meritis rependere: sed hoc secundum ad justitiam distributivam pertinet; ergo & primum.

Respondeo, neg. ant. Ad prob. nego min. Præmia enim pro meritis rependere, non est actus justitiæ distributivæ, sed commutativæ. Et ex hac tenetur Respublica remunerare eos, qui in ejus commodum laborarunt; sicut punire eos, qui ejus jura violarunt: & utrobique servari debebit æqualitas arithmetica, ut tantum detur, quantum meriti in alio est, sive ad præmium, sive ad pœnam. Servare autem æqualitatem arithmeticam, sive in præmiis, sive in pœnis, justitiæ commutativæ est, non distributivæ, quæ solam æqualitatem geometricam servat, ut dictum est. — Distributio ergo propria justitiæ distributivæ, non respicit, quid boni alius in Rempublicam gesserit, sed quid boni habeat in se; & quid unusquisque mereatur secundùm conditionem personæ, & status: videlicet, quàm sit sapiens, virtuosus, nobilis, pauper &c. ut juxta proportionem talium bonorum, & conditionum, quæ quisque habet in se, bona communia illi applicentur. At punitio respicit, quid mali egerit delinquens contra Rempublicam, vel partem ejus, ut tantum pœnæ ei infligat; quod justitiæ commutativæ est proprium. Quare, ut alicui bona Reipublicæ tribuantur, sufficit, ut sit bonus in se; ut puniatur verò, requiritur, ut sit improbus in alios, & ut præmietur, ut sit bonus erga alios. Quæ notare, operæ pretium duxi.

XXII. Contra secundam partem dices. Qui suum ab alio repetit ad æqualitatem, exercet veram justitiam: sed per vindicationem privata persona suum ab alio repetit ad æqualitatem, quia inflictio pœnæ proportionatæ est compensativa injuriæ; ergo &c. Maj. prob. Justitiæ enim est reddere jus cum æqualitate.

Respondeo, neg. maj. Ad. prob. dist. ant. Jus alteri, co. ant. Sibi, nego ant. Justitia enim ad alterum est; & ideo respicit jus alteri tribuendum, non sibi reparandum: hoc enim spectat ad amorem sui. Et licèt versetur circa alterum, illum reducens ad æqualitatem, non proinde ad veram justitiam pertingit: quia, ut dictum est, ad hoc non habet debitum legale, & strictum, sed ad summum morale.

XXIII. Quæres: An justitia vindicativa sit solum in Judice, seu Principe?

Respondeo, esse quidem in Principe ut vindicante, ac pœnam retribuente: sed esse etiam in reo, recompensante malum, quod egit; & per pœnam, quam sustinet, reddente vel læso, vel Reipublicæ, vel legi justum, & æquivalens.

QUÆSTIO IV.

De Subjecto Justitiæ.

EX jam dictis liquet, subjectum *Quo*, & proximum esse voluntatem. Nunc de subjecto *Quod* sermo erit. An scilicet vera, & perfecta justitia sit in Deo erga hominem, vel in homine erga Deum: vel inter patrem, & filium, maritum, & uxorem, dominum, & servum &c.

DU-

DUBIUM I.

An in Deo erga Hominem, & in Homine erga Deum sit Justitia verè Commutativa?

§. I.

Aliqua Praenotantur.

I. Noto primò: ad veram, & strictam justitiam commutativam essentialiter requiri, ut reddat jus alteri ita illi debitum; ut si non redderetur, ei fieret injuria: qui enim habet jus activum, seu dominium in aliquam rem, non potest tali re privari, absque eo, quòd ex negatione talis rei injuria illi, aut moralis violentia inferatur.

II. Noto insuper: Deum esse universalem omnium Dominum supremo, absoluto, & prorsus independenti, & inabdicabili dominio. De ratione autem pleni, & absoluti dominii est, posse disponere de re, in quam habetur plenum dominium, absque injuria cujusvis alterius: sic enim disponendo, utitur jure suo, & nemini fit injurius.

III. Hinc incipit apparere, quàm prudentèr dubitetur: an in Deo erga hominem sit vera commutativa justitia. Cùm enim, ex una parte, stricta justitia supponat debitum rigorosum, ut non possit negari absque injuria; & ex alia Deus habeat dominium ita absolutum super omnia, ut possit de quacumque re absque alterius injuria disponere: videtur difficile, in Deo rigorosam justitiam commutativam erga homines ponere.

IV. Noto tertiò: aliquam saltem eminentialem rationem justitiæ, ab omni imperfectione purgatam, & ut solùm exprimit providentissimam omnium legum, & Communitatum institutionem: item retributionem æquissimam, tàm præmiorum pro meritis, quàm suppliciorum pro demeritis, in Deo admittendam esse. Nam *Psalm.* 10. *v.* 8. dicitur: *Justus Dominus, & justitias dilexit*. 2. ad Timoth. 4. v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*. Et Hæbr. 6. v. 10. *Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri*. Unde quæstio procedit: an in Deo erga homines detur justitia commutativa strictè sumta.

V. Suppono enim, in Deo non dari justitiam legalem formaliter, & rigorosè. Quia finis intrinsecus justitiæ legalis est, ponere æqualitatem inter debitum legale partis, & jus, quod habet Communitas in bono partium, pro bono communi: sed Deus neque est Communitatis hominum pars, neque tota Communitas hominum habet ullum jus in bona divina: cùm divinum jus, & dominium sit infinitè excellentius omni creato jure; & Deus ex vi sui infiniti dominii possit totam hominum Communitatem, absque ulla ejus injuriâ, destruere. — In Deo tamen datur aliquid excellentius justitiâ legali: quatenus sicut Princeps per justitiam legalem omnia ordinat ad bonum Communitatis; ita Deus omnia ordinat ad majorem sui gloriam, & suorum attributorum manifestationem; ideoque leges condit, & earum præcipit observantiam: quod est aliquid altius justitiâ legali. His ergo suppositis, omissâ etiam opinionum varietate, sit

§. II.

Resolutio prioris Partis Dubii.

VI. Dico. Non datur in Deo vera, & stricta justitia commutativa erga homines. Est expressa mens S. Thomæ, 1. *p. q.* 21. *a.* 1. Ubi postquam distinxit duplicem justitiæ speciem, commutativam, & distributivam; de commutativa dicit: *Una est quæ consistit in mutua datione, & acceptione, quæ consistit in emtione, & venditione, & aliis hujusmodi communicationibus*

nicationibus, vel commutationibus: & hæc dicitur à Philosopho in 5. Ethic. (cap 4.) justitia commutativa, vel directiva commutationum, sive communicationum. Et hæc non competit Deo, quia, ut dicit Apostolus, Rom. 11. v. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et 1. Contra Gen. cap. 93. *Justitia* (inquit) *quantùm ad commutationis actum Deo competere non potest, cùm ipse à nullo aliquid accipiat. Unde ....* Job. 41. v. 2. *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?*

VII. Ex quibus formatur hæc ratio. Justitia commutativa consistit in commutationibus, & versatur in statuenda æqualitate dati, & accepti: sed inter Deum, & hominem nulla fit commutatio: non enim homo quidquam dat Deo; sed quidquid boni offerat divinæ majestati, illud est Dei, cujus est totum, quod est optimum, ut loquitur Ecclesia, Dominicâ 6. post Pentecost. imò maiori iure est Dei, quàm hominis: *Quæcumque* (ait August. in Psalm. 137. circa finem) *sunt bona opera mea, abs te mihi sunt: & ideo tua magis, quàm mea sunt*: ergo non potest inter Deum, & hominem dari stricta, & rigorosa commutatio dati, & accepti.

VIII. Confirmatur. De ratione Justitiæ commutativæ strictè talis est, quòd supponat jus, ortum ex actione creditoris in debitorem; sive talis actio sit physica, ut cùm dat, quia priùs accepit; sive solùm moralis, ut cum dat, quia alter promisit dare, vel sub pacto, quòd det, quia tale pactum inducit debitum: sed repugnat, in creatura dari jus ortum ex actione, sive physicâ, sive morali in Deum; ergo &c. Min. prob. Quidquid creatura habet, & Deo potest dari, magis est Dei, quàm creaturæ, ut dicebamus. Et quamvis aliqua à Deo creaturæ donentur; per talem donationem non eximuntur à dominio Dei, cùm sit essentialiter Dominus omnium: & creatura, in quocumque usu rerum sibi donatarum, intimè à Deo dependeat; ergo ex eo, quòd creatura Deo ista det, non poterit in ea oriri jus, cui debeat Deus, ex justitia strictè dictâ, satisfacere. Ex eo enim, quòd detur mihi, quod meum est, non potest oriri in me debitum justitiæ satisfaciendi; cùm ergo quidquid creatura potest dare Deo, Dei sit, & sub Dei dominio inabdicabiliter positum, non potest Deum ad illi rependendum ex stricta justitia obligare.

IX. Nec valet dicere, quòd estò Deus absolutè non possit obligari ex dato à creatura; potest tamen, supposito pacto, & promissione, quâ voluit se obligare ad dandum creaturæ, puta, gloriam, si dederit ei sua merita.

Nam contra est. Quia quamvis Deus, ex pacto, se obliget dare creaturæ gloriam, si ei dederit bona opera; ex hoc tamen non surgit in Deo debitum legale, nec in creatura jus rigorosum adversùs Deum. Quia cùm ex tali pacto Deus non abdicet à se dominium super bona opera creaturæ, hoc enim est inabdicabile; dum creatura affert Deo bona opera, illi dat, quod Dei est; ergo talis datio non dat creaturæ rigorosum jus exigendi ex justitia præmium: nec in Deo surgit rigorosum debitum illud dandi, sed ad summum, debitum decentiæ, quâ, suppositâ promissione, Deus sibi ipsi fit debitor dandi gloriam creaturæ, si creatura dederit illi bona opera. Et propterea hæc bonorum operum datio, supposito pacto, facit quidem, præmium esse creaturæ debitum, sed non facit, Deum esse creaturæ debitorem.

X. Hæc est doctrina S. Thom. 1. p. qu. 21. a. 1. citato ad 3. his verbis: *Sic igitur & debitum attendi potest dupliciter in operatione divinâ. Aut secundùm quòd aliquid debetur Deo; aut secundùm quòd aliquid debetur rei creatæ: & utroque modo Deus debitum reddit. Debitum enim est Deo, ut impleatur in rebus id, quòd ejus sapientia, & voluntas habet, & quòd suam bonitatem*

bnsi-

bonitatem manifestat : & secundùm hoc justitia Dei respicit decentiam ipsius, secundùm quam reddit sibi, quod sibi debetur. Debitum etiam est alicui rei creata, quòd habeat id, quòd ad ipsam ordinatur: sicut homini, quod habeat manus, & quòd ei aliæ animalia serviant. Et sic etiam Deus operatur justitiam, quando dat unicuique quod ei debetur, secundùm rationem suæ naturæ, & conditionis. Sed hoc debitum dependet ex primo; quia hoc unicuique debetur, quod est ordinatum ad ipsum, secundùm ordinem divinæ sapientiæ. Et licèt Deus hoc modo debitum alicui det, non tamen ipse est debitor; quia ipse ad alia non ordinatur, sed potiùs alia in ipsum. Et ideo justitia quandoque dicitur in Deo condecentia suæ bonitatis, quandoque verò retributio pro meritis. Et utrumque modum tangit Anselmus (Prosologii cap. 10.) *dicens*, Cum punis malos, justum est, quia illorum meritis convenit: cùm verò parcis malis, justum est, quia bonitati tuæ condecens est. Quia tamen hanc rem tractavimus, *Tom. 3. in 1. 2. Tract. de Merito Qu. 1. Dub. 3.* ubi ostensum est, quâ justitiæ specie Deus retribuat Gloriam pro meritis: ideo illuc remitto Studiosum.

§. III.

Respondetur Objectionibus.

XI. Objiciunt primò. Compensatio meriti ad æqualitatem est actus justitiæ commutativæ strictè talis: sed Deus Justis compensat ad æqualitatem merita; ergo &c. — Si respondeas, majorem esse veram de compensatione ortâ ex debito legali, & quæ dat, quia priùs accepit; non verò de compensatione, quæ ortum habet ex affectu dantis, qualis est compensatio meritorum facta à Deo.

XII. Contra. Illa compensatio oritur ex debito legali, quæ oritur ex pacto, & conventione, per quam alteri jus acquiritur ad exigendam talem compensationem: sed Deus compensat merita Justorum ex pacto, & conventione, quâ Justi acquirunt jus ad eam: ideoque vocatur à Paulo, 2. ad Timoth. 4. v. 8. *Corona justitiæ*, quam reddet Dominus *Justus Judex*: ergo &c.

XIII. Respondeo, neg. min. Non enim Justi, etiam supposito pacto habent strictum jus ad talem compensationem; quia quidquid boni Deo dant, à Deo est: imo Dei est, qui in eis, & cum eis, bonum operatur, ut impleatur in eis, quod promisit. Unde S. Tho. 1. 2. qu. 114. a. 1. ad 3. *Quia* (inquit) *actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex suppositione divinæ ordinationis; non sequitur, quòd Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi: inquantùm debitum est, ut sua ordinatio impleatur.* Hinc Gloria dicitur corona justitiæ in communi acceptione, quia est debita Justis ex divina ordinatione: non in rigore justitiæ commutativæ, quia Deus eam dispensat, non quia debitor nobis, sed sibi, ut in nobis sua ordinatio impleatur.

Neque idem est de domino, qui ex conventione mercedem dat operario. Nam merces datur operario ex justitia rigorosâ: eo quia operam suam locavit, quæ non est sub dominio eum conducentis: ideoque dominus dat operario, quia priùs ab eo accepit id, quo indigebat. At Deus bonorum nostrorum non indiget; & quodcumque ei demus, magis suum est, quàm nostrum.

XIV. Sed adhuc dices. Non repugnat, quòd Deus abdicet à se dominium alicuius rei; ergo nec repugnat in eo vera commutativa justitia. Ant. prob. Deus dum remittit peccatum, abdicat à se dominium, quod habebat, puniendi tale peccatum: & creatura acquirit jus adversùs Deum, ne possit illam justè punire, cùm ante remissionem tale jus non haberet; ergo &c.

XV. Respondeo, neg. ant. Ad prob. dico, Deum remittendo peccatum

 non

non abdicare à se dominium, sed cedere iuri suo; qui etiam actus dominii est circa creaturam, & non collatio juris creaturæ adversùs Deum. Quòd autem Deus, remissâ culpâ, non possit creaturam punire; non est, quia creatura acquirat jus aliquod adversùs Deum, ne puniatur: sed quia rectitudo Dei obligat illum, ne puniat creaturam sinè culpâ. Dixi tamen, *ne puniat:* quia Deus posset etiam innocentem retrudere in Infernum; sed hæc non esset formaliter pœna, quæ est solùm correlativa culpæ: potiùs enim esset malum naturæ, quod Deus ratione sui supremi dominii in illum induceret.

XVI. Objiciunt secundò. Estò quidquid habet creatura sit sub dominio excellentiæ, & alto Dei, est tamen sub dominio utili, & basso creaturæ rationalis, quia liberæ; ergo potest hoc dominium suâ libertate transferre in Deum; & sic ab eo exigere retributionem ex justitia, quam sinè injuriâ ei denegare non possit. Ant. patet. Nam in creatura est libertas propria distincta à libertate supremâ Dei. Conf. probatur à pari. Nam licèt omnia bona Civis sint sub dominio alto Communitatis; tamen inter Civem, & Communitatem possunt iniri contractus ex rigorosa iustitiâ: dum Cives dominium particulare, & proprium, quod habent, transferre possunt in Communitatem, & ab illa exigere ex iustitia rigorosâ satisfactionem; ergo &c.

XVII. Confirmatur. Estò Deus sit Dominus omnium, non repugnat tamen, quòd novo titulo fiat Dominus per dationem creaturæ: sicut licèt prædium sit sub dominio alto Dei: *Domini enim est terra;* potest tamen vendi ad usus divinos, puta, ad constructionem templi. Et licèt voluntas hominis sit sub dominio Dei, adhuc potest ei ab homine donari per votum obedientiæ; ergo &c.

XVIII. Respondeo, explicando ant. Sub dominio utili, & basso creaturæ, contento tamen eminenter in Deo, & ab eo dependente, co. ant. Aliter, nego ant. Quidquid enim creatura habet, & omnis titulus, ac libertas eius eminenter plenè in Deo est; quamvis non formaliter, quantùm ad imperfectionis modum, quem habet in creatura: & totum potest Deus ad usus extrinsecos sui cultus exigere, absque iniuria creaturæ. Licèt autem in ea sit propria libertas: hæc tamen est omnimodè subiecta divinæ libertati, ac dominio. Quare exemplum de Communitate, eiusque dominio deficiens est. Hoc enim non adeo perfectum, ac plenum est, ut possit bona Civis ad omnes usus exigere, sed solùm ad usus publicos communis boni. Unde quoad usus particulares inter Communitatem, & Civem possunt iniri contractus, quibus Communitas de rigore iustitiæ obligetur. At dominium Dei ita absolutum, & perfectum est, ut possit ad omnes omnino usus actus creaturæ tanquam suos exigere; & non solùm pertinentes ad commune bonum Universi, sed particulares etiam concernentes utilitatem particularem. Ut quando voluit, quòd filii Israel reliquentes Ægyptum vasa aurea, & argentea sibi commodata aufferrent: & idcirco tale dominium est, ut nil possit ei à creatura dari, quod suum non sit.

XIX. Ad Confirmat. neg. ant. Ad exemplum de prædio dico, quòd estò venditio prædii ad constructionem templi, relatè ad ministros, qui ad ejus constructionem emunt prædium, sit actus justitiæ; sicut actus justitiæ est stipendium, quod eis datur pro sustentatione ministri celebrantis Missam: relatè tamen ad Deum, cui templum construitur, nulla justitia exercetur. Sicut nec quando per votum offerimus ipsi voluntatem nostram, nil damus Deo, quod ipsius non esset; ideoque votum actus Religionis est, non justitiæ.

XX. Objiciunt tertiò. Si creatura actione suâ, cujus est domina, nul-

nullum debitum strictè tale potest inducere in Deum; fiet, quòd neque illud poterit inducere in aliam creaturam: sicque non dabitur rigorosa justitia, non solùm inter creaturam, & Deum, sed neque inter unam, & aliam creaturam. Quod probo. Quia enim dominium filii, & servi est subjectum dominio patris, & domini, ut quidquid habet filius sit patris, & quidquid habet servus sit domini; non solum vera justitia non datur inter filium, & patrem, servum, & dominum, sed neque inter filium, & servum: quia quidquid dat filius est patris, & quidquid dat servus est domini, & neuter dat de suo; ergo similiter cùm quidquid habet creatura sit Dei, nequit alteri quidquam dare de suo, & sic non erit justitia in mundo.

XXI. Respondeo, neg. sequelam. Ad probat. distinguo. Quia est dominium ejusdem ordinis, conc. Quia præcisè est dominium, nego. Est ergo discrimen inter dominium patris, & domini in filium, ac servum, ex una parte; & dominium Dei in creaturam, ex altera. Cùm enim dominium patris, & domini, & dominium filii, & servi sint ejusdem ordinis; respectu ejusdem rei incompossibilia sunt. Nam quemadmodum repugnat, plures causas totales ejusdem ordinis eundem effectum producere: ita & plures dominos ejusdem ordinis eidem rei plenè, ac in solidum dominari. Unde cum pater, & dominus sint plenè domini filii, & servi, & bonorum eorundem; hinc fit, filium, & servum nullo modo esse sui juris, nullumque jus, aut dominium habere: ideoque nullum contractum, qui sit veræ justitiæ, posse celebrare, cùm nihil habeant, quod sit suum. At dominium Dei, & creaturæ est diversi ordinis. Unde sicut quòd effectus causetur à Deo, ut à causa totali, non tollit, quin causa creata eundem in suo ordine attingat: ita dominium, quod habet Deus in creaturam, & omnia bona ejus, non tollit, quin creatura in suo ordine verum habeat dominium, sitque sui juris, illudque in aliam creaturam transferre possit.

XXII. Neque hinc inferas, quòd si creatura tale habet dominium, ut sit sufficiens ad obligandam creaturam, sit etiam sufficiens ad obligandum Deum — Nam dominium illud, relatè ad aliam creaturam, ita facit rem suam in creatura; ut nullo titulo sit sub pleno dominio alterius creaturæ: unde obligatur, ne talem rem sibi usurpet, nisi ipsâ volente. At relatè ad Deum non ita facit rem esse creaturæ, quin etiam, imò magis, sit Dei; & quòd Deus potiori jure possit uti illâ re, & de illa disponere, tanquam suâ absque injuria creaturæ. Sicut effectus productus ab una creatura, estò sit ita illius, ut non sit alterius creaturæ; non tamen dici potest, quòd effectus unius creaturæ ita sit illius, ut non sit Dei, & quidem potiori titulo.

XXIII. Neque iterum dicas. Christus suâ satisfactione obligavit ex justitia Deum ad remittendam offensam; ergo non repugnat Deo talis obligatio.

Respondeo enim, dist. conf. A' Deo homine inducta, conc. conf. A' pura creaturâ, nego conf. Hìc autem comparamus Deum ad puras creaturas, nempe, ad personas inferiores creatas; non verò ad Christum, qui cùm sit Persona Deo æqualis, non contenta sub dominio Dei; & operationes Christi, ut sunt reflexivæ supra suppositum, ita sint ejus, ut sub hac ratione sint & ipse exemptæ à dominio Dei: cùmque ex alia parte inter Personam Christi, ut satisfacientem, & Deum sit, ratione humanæ voluntatis, distinctum jus morale; inde fit, dari aliquod jus in Christo transferibile, & potens obligare Deum. Sed de hoc in Tract. de Incarnatione sermo erit.

§. IV.

§. IV.

Resolutio posterioris Partis Dubii.

XXIV. DIco. Neque datur rigorosa justitia in homine erga Deum. Sequitur ex dictis in resolutione præcedente. Primò. Quia quæcumque actio hominis non potest inducere in Deo debitum rigorosum. — Secundò. Quia creatura nequit ponere æqualitatem inter suum debitum, & ius divinum: cùm enim sit jus supremi dominii fundatum in titulo creationis, ei non potest reddi æquale, sicut nec parentibus, quia sunt principium nostri esse. — Tertiò. Quia ut ponatur æqualitas sufficiens ad justitiam, debet poni ex bonis indebitis etiam alio titulo, & quæ non sint sub dominio creditoris: sed quæcumque creatura potest Deo dare, semper in Deo manet jus, & titulus ea exigendi, semperque sunt sub dominio inabdicabili ejus, ut supra dictum est; ergo &c.

XXV. Dices. Restitutio est actus justitiæ: sed potest ex justitia restitui domino id, quod suum est, puta, si servus aufugiens se ipsum restituat domino; ergo quamvis creatura nil possit exhibere Deo, quod non sit Dei, adhuc ex justitia potest illi dare.

Respondeo, dist. min. Id, quod suum est, quatenus fuit ab ejus dominio subtractum, conc. min. Ut patet in casu servi, qui se ipsum subtraxit, ne posset uti operâ illius. Aliter, nego min. & conseq. Quia Deo neque jus utendi creaturâ pro libito, neque usus actualis à nulla creaturâ subtrahi potest.

XXVI. Replicabis. Homo dum peccat subtrahit à Deo supremum jus, quod habet ratione ultimi finis: cum verò convertitur ad Deum restituit Deo rationem ultimi finis; ergo hoc facit ex justitia, sicut servus dum se restituit domino, à quo aufugerat.

Respondeo, omisso antecedente pro prima parte (non enim peccator subtrahit à Deo jus ultimi finis effectivè, sed affectivè, & insuper Deo hoc permittente) distinguendo secundam partem. Restituit &c. ex propriis, nego ant. Ex sibi donatis, & sub dominio Dei existentibus, conc. antec. Actus enim, quo quis ad Deum convertitur, est donum Dei: & ideo nequit rigorosam justitiam fundare.

Nec dicas. Conversio est homini libera; ergo est sub pleno, & absoluto dominio ejus — Nam respondeo, esse quidem sub dominio hominis, quatenus potest eam ponere, vel non ponere; non verò quatenus possit eam à dominio Dei subtrahere. Quare homo habet quidem, ex quo liber est, proprium jus, & dominium sui actus, non tamen independens, sed subordinatum Deo.

DUBIUM II.

An in Deo detur Justitia Distributiva erga Homines?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. DIco. In Deo datur vera justitia distributiva erga homines. Est expressa mens S. Th. 1. *p. q.* 21. *a.* 1. Ubi postquam justitiam divisit in commutativam, & distributivam; & commutativam à Deo relegavit, de distributiva sic prosequitur: *Alia, quæ consistit in distribuendo, & dicitur distributiva justitia, secundùm quod aliquis gubernator, vel dispensator dat unicuique secundùm suam dignitatem. Sicut igitur ordo congruus familiæ, vel cujuscumque multitudinis gubernatæ demonstrat hujusmodi justitiam in gubernante: ita ordo Universi, quæ apparet, tàm in rebus naturalibus, quàm in rebus voluntariis demonstrat Dei justitiam. Unde dicit Dionys. 8. cap. de Divin. Nomin. Oportet videre in hoc veram Dei esse justitiam, quòd omnibus tribuit*

tribuit propria, secundùm uniuscujusque existentium dignitatem; & uniuscujusque naturam in proprio salvat ordine, & virtute. Quibus S. Tho. veram justitiam distributivam in Deo asserere, sic evinco. Nam in eo sensu asserit Deo iustitiam distributivam, quo ab ipso rejicit commutativam: sed strictam commutativam à Deo rejicit, ut patet ex ratione, quam ibi adducit; ergo dum Deo asserit iustitiam distributivam, ei asserit veram, & strictè talem.

II. Hoc magis demonstratur, exponendo discrimen inter debitum iustitiæ verè commutativæ, & distributivæ. Quòd illud oritur ex actione creditoris in debitorem: nam ad commutationem requiritur, ut detur alteri, quia dedit, vel sub pacto, quòd det, vel quia daturus est. Et ideo justum commutativum, ut docet S. Th. 2. 2. *qu. 61. a.* 4. idem est, ac *Contrapassum;* inquantùm in commutatione datur actio, & repassio in alterutrum. At debitum iustitiæ distributivæ, licèt sit ad alterum, prout requiritur ad justitiam strictè dictam; non tamen requiritur, quòd sit ab altero, ideft quòd oriatur ex actione alterius, qui dedit, aut daturus est: sed oriri potest ex recta voluntate, ac dispositione ejus, qui tale debitum implet. Ut patet in Communitate acceptante aliquos in sui commercium, & convictum: ex hac enim liberâ, & voluntariâ acceptatione oritur in Communitate debitum, & in acceptatis jus, ut secundùm eorum dignitatem fiat eis distributio bonorum communium, quamvis nil egerint, aut acturi sint erga Communitatem.

Sic ergo Deus, antequam creaturas creando illas assumeret ad sui commercium, & quasi societatem, nihil illis debebat: & ideo prima rerum creatio absque omni debito justitiæ fuit. At ex suppositione, quòd creaturas ad sui commercium, & societatem, dando eis principium sui esse, assumserit, & constituerit se earum caput, & gubernatorem, volueritque hoc Universum conditum conservare; ex hac voluntate ortum est in Deo debitum, tùm respectu Universi, ut ei partes congruas, ideft, elementa, dispensaret; tùm respectu partium ejusdem, ut una alteri provideat, ut dentur alimenta animalibus, & quod omnia secundùm suam dignitatem perficiantur suis accidentibus, & proprietatibus: ut patet exemplo supra allato Communitatis ad sui consortium aliquos acceptantis.

Quia verò etiam ad maiorem dignificationem partium conducit, quòd sint ornatæ meritis, & quòd præmia merentibus proponantur: inde est, quòd ad sapientiam Dei gubernantis pertinet, eas accendere ad meritum, eisque, meritis sic exornatis, præmia promissa largiri. Licèt autem in humanis retributio meritorum spectet ad justitiam commutativam; quia qui merita retribuit, dat, quia priùs accepit: attamen loquendo de Deo, ait D. Th. in 2. dist. 27. q. 1. a. 3. ad 4. *In redditione præmii ad merita magis servatur forma distributionis, cùm ipse unicuique secundùm opera sua reddat; quàm commutationis, cùm Deus à nobis nihil accipiat*. Et ad 4. *Deus* (inquit) *non efficitur debitor nobis, nisi fortè ex promisso, quia ipse bona operantibus bona repromisit. Et ideo non est inconveniens, si ab ipso quis mereri possit, ex quo aliquo modo debitor est. Vel dicendum, quòd in justitia commutativâ ille, apud quem quis meretur, efficitur debitor ei, quod meretur; ut patet in illis qui operationes suas locant in servitium aliorum. Sed in justitia distributivâ non requiritur ratio debiti ex parte eius, qui distribuit; potest enim ex liberalitate aliqua distribuere: in quorum tamen distributione justitia exigitur, secundùm quòd diversis, prout eorum gradus exigit, proportionabiliter tribuit*. Et hoc modo Deus retribuit nostris operibus justitiâ distributivâ; quia nostris operibus nec iuvatur, nec iuvari potest: quoad ad veram iustitiam commutati-

vam

vam requiritur, ut docet idem S. Doct. ibidem *ad* 5. Recolantur quæ diximus, *Tom.* 3. *in* 1. 2. *Tract. de Merito Q.* 2. *Dub.* 3. His prænotatis

III. Probo primò Assertionem sic. Ubi datur congrua distributio unicuique, secundùm suam dignitatem, ibi datur iustitia distributiva strictè talis; ordo enim congruus familiæ arguit iustitiam distributivam in gubernante illam: sed in Deo datur congrua distributio, quâ dispensat, tùm toti Universo, tùm partibus eius, tùm in naturalibus, tùm in voluntariis, ea, quæ illis congruunt, secundùm suam dignitatem; ergo &c. Hæc est ratio S. Thom. ut supra.

IV. Secundò probo. Si congrua distributio, quâ Deus dispensat unicuique, secundùm suam dignitatem, non ostenderet in eo iustitiam distributivam rigorosam; hoc esset, ob aliquas imperfectiones, quas iustitia distributiva verè talis secum traheret: sed has, esto secum trahat, ut in creaturis particulariter posita, eas tamen non includit, secundùm rationem communem, prout ponitur in Deo; ergo &c. Min. docet S. Tho. in 1. *Contra Gent. c.* 93. Ubi postquam dixit, Deo non competere iustitiam commutativam, benè tamen distributivam; quia omnibus secundùm suam dignitatem distribuit, secundùm illud, *Matth.* 25. *v.* 15. dedit *Unicuique secundùm propriam virtutem*: dicit, quòd actiones, circa quas virtutes sunt, considerari possunt, secundùm quòd ad res humanas contrahuntur: & secundùm hunc modum Deo convenire non possunt. Et possunt sumi prout *In sua communitate accipiuntur*: & sic *Possunt etiam divinis rebus aptari. Sicut enim homo rerum humanarum, ut pecuniæ, vel honoris distributor est: ita & Deus omnium bonitatum Universi*. Unde concludit, quòd divinæ virtutes nostrarum exemplares sunt: *Nam quæ sunt contracta, & particulata, similitudines quædam absolutorum entium sunt: sicut lumen candela se habet ad lumen Solis. Aliæ verò virtutes, quæ propriè Deo non conveniunt, non habent exemplar in divina naturâ, sed solùm in divina sapientiâ &c.* Si ergo iustitia distributiva habet exemplar in divina naturâ, formaliter absolutè sumpta, & secundùm rationem communem in Deo est. Alioquin cùm in eo non sit iustitia commutativà propriè, si neque esset distributiva, nulla veræ iustitiæ species in Deo esset, quod falsum est, imò absurdum.

§. II.

Respondetur Contrariis.

V. PRimò arguitur. Justitia plures includit imperfectiones. Primò. Facit Deum debitorem, seu obligatum alteri extra se; ex quo sequitur subiectio in Deo. — Arguit translationem dominii in alterum: nam per distributionem res à dominio distribuentis transferuntur in dominium eorum, quibus distribuuntur. — Tertiò. Arguit obligationem distribuentis, ut proportionatè ad dignitatem eorum, quibus fit distributio, distribuat bona: quod derogat supremo dominio Dei, qui de omni re potest disponere, prout vult, absque alterius injuria.

VI. Respondeo, nihil ex allatis sequi. Non sequitur, Deum esse debitorem creaturæ, sed sibi; nec ab alio extra se obligari, sed à sua summâ rectitudine, & fidelitate: quâ sibi ipsi debitor est, ut impleat, quod promisit; & ut in creaturis impleatur id, quod sua bonitas, & sapientia eis conferre disposuit, ut dictum est supra.

Hinc nec sequitur, Deum subjici alteri à se, sed potiùs alia Deo subjici, ut in eis divina ordinatio impleatur. Dum enim reddit creaturæ, quod est ei debitum, ipse non ordinatur ad creaturam; sed potiùs creatura ordinatur ad ipsum, ut in ea fiat, quod promisit. Et sicut dum Deus obligatur ex promissione, non

subdi-

subditur alteri, quia obligatio non oritur ex altero, sed à se: ita nec alteri subditur, dum implet, quod promisit.

Neque dicas, justitiam necessariò esse ad alterum; & ideo Deum per justitiam debere ordinari ad alterum — Nam dico, justitiam exigere quidem, quòd sit ad alterum terminativè, non verò, quòd sit ad alterum causaliter, sive ab altero. Quod patet in exemplo Communitatis voluntariè assumentis aliquem in numerum Civium: quæ eo ipso obligatur ei conferre bona Civium, etsi hæc obligatio non oriatur ex actione Civis erga ipsam. Vide S. Tho. supra relatum 1. *p. q.* 21. *a.* 1. *ad* 3.

VII. Neque sequitur translatio dominii in alterum. Hoc enim primò non est de essentia justitiæ distributivæ; huic enim sufficit, ut conferatur dominium secundùm capacitatem ejus, cui confertur: ut patet in Principe distribuente bona in fæudum, vel emphyteusim, qui sibi dominium integrum, vel saltem directum reservat — Secundò. Dato, quòd justitia distributiva apud homines translationem dominii requireret; quia dominia creata, utpote ejusdem ordinis, nequeunt penes duos residere in solidum respectu ejusdem rei; sicut neque idem effectus potest à duplici causa totali ejusdem ordinis procedere: attamen sicut idem effectus potest à duplici causa diversi ordinis, à Deo, & creaturâ procedere: ita eadem res potest esse sub dominio creaturæ, quin desinat esse sub dominio Dei.

VIII. Neque sequitur, Deum distribuentem alligari ab aliquo extra se; sed alligari sibi, & suæ rectitudini, quæ poscit, ut cuique secundùm proportionem distribuat. Neque enim dominium supremum Dei petit amplitudinem oppositam suæ rectitudini, seu quòd disponere possit contra ordinem suæ sapientiæ. Sed sicut potentia peccandi non est potentia, sed defectus potentiæ; ita potentia ad inordinate distribuendum, non est dominium, sed defectus dominii.

IX. At dices. Si ita est: cùm Deus non possit defectuosè, aut inordinatè res distribuere; neque de potentia sua absolutâ poterit creaturæ denegare, quod ei convenit, ac debetur: & sic neque poterit Universo denegare partes debitas, homini suas proprietates, merentibus præmia: imò habenti solam dispositionem ad gratiam, utpote ad gratiam coaptato, deberetur gratia sanctificans ex justitia, quæ omnia videntur falsa.

X. Respondeo, Deum, sicut & quemcumque alium distributorem, attendere non solùm ad bonum, & ad debitum hujus, vel illius particularis; sed maximè ad bonum, & debitum commune: & ab isto ita obligari, ut propter istud procurandum, & implendum, bonum, & debitum particulare postponi debeat. Hoc supposito, dico: Quòd si Deus velit attendere ad bonum, & debitum privatum creaturæ, & ad condecentiam suæ bonitatis; debet illi distribuere, quæ suæ naturæ conveniunt. At si attendat ad bonum divinum, & ad altiores suæ sapientiæ fines; ad eamdem Dei justissimam dispositionem pertinet, naturæ ordinem immutare, & creaturam bonis, cæteroquin ei debitis, absque ulla injuria privare. — Ad id, quod additur de disposito ad gratiam, dico, hominem per suos actus disponi ad gratiam dispositione physicâ, non morali, & meritoriâ; ideoque gratiæ infusionem ex vi illius non esse debitam, sed novum beneficium, ut in *Tract. de Gratia*.

XI. Secundò arguitur. Falsum est, debitum justitiæ commutativæ semper oriri ex actione creditoris in debitorem, debitum autem justitiæ distributivæ non; ergo &c. Ant. pro primâ parte probatur. Ex simplici promissione acceptatâ oritur jus commutativum in promissario: & tamen nullam habet præviam actionem in promittentem. — Pro secunda parte probatur à

Etiam in justitia distributivâ debitum oritur ex aliquo se tenente ex parte creditoris; nempe, ex ejus dignitate, ob quam habet jus, ut proportionatè ad illam sibi distribuantur bona.

XII. Respondeo, neg. ant. Pro utraque parte. Ad prob. primæ partis dico, non esse certum, quòd promittens teneatur ex justitia commutativâ dare, quod promisit, & non potiùs ex fidelitate. Sed quidquid sit de hoc, dico, debitum illud justitiæ oriri, quia ex promissione cessat in promittente jus in rem promissam, vel donatam: at ex promissione non cessat in Deo jus in rem promissam, imò dum donat, non transfert, sed retinet dominium, ut jam diximus.

Ad secundam partem dico, quòd si sermo sit de creatura in ordine ad Deum, tota ejus dignitas habetur ex largitione divinâ. Unde D. August. *lib. de Grat. & lib. Arb. cap. 6.* infert: *Si ergo Dei dona sunt merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua*. Si verò sermo sit de creatura in ordine ad distributorem creatum: adhuc dicimus, debitum oriri solùm passivè ex dignitate eorum, quibus fit distributio; activè autem ex æqualitate ipsius distribuentis, nec non ex suppositione, quòd aliquos acceptaverit in societatem suorum, ut diximus. Unde in iis, quibus fit distributio, non datur actio ad bona distribuenda, nec sibi ea possunt per restitutionem, aut tacitam compensationem vindicare.

XIII. Tertiò arguitur. In Deo non sunt aliæ virtutes morales; ergo nec justitia.

Respondeo cum S. Tho. 1. *p. q.* 21. *a.* 1. *ad* 1. aliquas esse virtutes morales, quæ sunt *Circa passiones, sicut temperantia circa concupiscentias, fortitudo circa timores, & audacias, mansuetudo circa iram. Et hujusmodi virtutes Deo attribui non possunt, nisi secundùm metaphoram. Quia in Deo neque passiones sunt..... neque appetitus sensitivus, in quo sunt hujusmodi virtutes, sicut in subjecto, ut dicit Philos. in* 3. *Ethic.* (cap. 10.) *Quædam verò virtutes morales sunt circa operationes, ut puta circa dationes, & sumtus, ut justitia, & liberalitas, & magnificentia, quæ etiam non sunt in parte sensitiva, sed in voluntate. Unde nil prohibet, hujusmodi virtutes in Deo ponere, non tamen circa actiones civiles, sed circa actiones Deo convenientes: ridiculum est enim secundùm virtutes politicas Deum laudare, ut dicit Philosophus in* 10. *Ethic.* (cap. 8.)

XIV. Quartò arguitur. Ille, qui facit omnia pro libito suæ voluntatis, non operatur secundùm justitiam: sed Deus, ut ait Apostolus, ad Ephes. 1. v. 11. *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*; ergo non operatur ex justitia.

Respondeo, dist. maj. Voluntatis justæ, & rectæ, nego major. Aliter, conc. maj. Ita D. Thom. citato loco *ad* 2. Cùm enim voluntas Dei semper recta, & justa sit, id, *Quod Deus secundùm suam voluntatem facit*, semper *justè facit. Sicut & nos, quod secundùm legem facimus, justè facimus: sed nos quidem secundùm legem alicujus superioris, Deus autem sibi ipsi est lex*: nimirum, ratio suæ sapientiæ, quæ ipsi est lex justitiæ.

XV. Petes: Quam justitiam servet Deus in retributione suppliciorum?

Respondeo, Deum in retributione suppliciorum pro demeritis, sicut in retributione Gloriæ pro meritis, servare propriè justitiam distributivam; cui tamen aliqua species commutationis admiscetur. Prior pars prob. Quia Deus sicut in retributione præmii pro meritis non attendit æqualitatem quantitativam, cùm præmiet ultra condignum, sed proportionis, ut qui plus meruit, plus præmietur: ita in retributione supplicii pro demeritis, cùm semper puniat citra condignum, non servat æqualitatem quantitativam, sed proportionis, ut plus puniatur, qui graviùs peccavit. Unde S. Thom. *in* 4. *dist.* 46. *q.* 2. *a.* 2. *quæst.* 1. *ad* 1. ait:

ait : *Æqualitas ista proportionalitatis est , non æqualitatis ; & attendenda est , non secundùm comparationem pœnæ ad culpam , sed secundùm proportionem duorum peccantium ad duas pœnas : ut scilicet , qui plus peccavit , plus puniatur , & secundùm quod exceditur in peccato , sic excedatur in pœna .* — Secunda etiam pars probatur . Quia justitia purè distributiva non attendit , quid alter egerit , sed solam conditionem personæ : Deus autem in retributione præmii , vel pœnæ attendit , quid homo benè , vel malè egerit ; ergo in retributione præmii , vel pœnæ quemdam modum justitiæ commutativæ servat . Sed de hoc egimus , *Tract. de Merito* , *Qu.* 1. *Dub.* 3.

DUBIUM III.

An inter Patrem , & Filium , Maritum , & Uxorem , Dominum , & Servum detur perfecta Justitia ?

§. I.

Resolvitur de Patre erga Filium invicem.

I. NOto primò : filium duplici jure dici posse esse subjectum patri , vel esse aliquid patris . Primò , iure naturæ , & titulo generationis , qui perpetuò durat ; & ex lege pietatis filium obligat ad debitam reverentiam , & obsequia patri præstanda . Secundò , iure Civili , quo filius ante emancipationem non permittitur esse sui juris , sed constituitur sub patria potestate : & hoc ius est temporaneum , quousque scilicet filius emancipetur , & sui juris efficiatur .

II. Noto secundò : quòd pater , & filius (idem dico de marito , & uxore , domino , & servo) spectari possunt , vel in ratione patris , & filii , vel in ratione hominis : in quo sensu distinctæ personæ sunt, aliquam jurium , & bonorum diversitatem habentes . Estò enim filius ; quà filius , aliquid patris sit , & non sit propriè alter ab illo : attamen , quà homo est , verè alius à patre est , habens proprium jus , tùm supra propriam famam , tùm ex dispositione juris super bona castrensia , vel quasi castrensia .

His prænotatis quæstio procedit : an inter patrem , & filium, quà talem, detur vera justitia , seu an jus paternum sit verum , & proprium jus : & an hæc detur inter patrem , & filium , quà homo est . Et quidem in prima quæsiti resolutione omnes arbitror convenire . In secunda verò diffident etiam Nostri .

III. Dico primò . Quantùm ad naturalia jura , & spectato filio, ut filius est , non potest inter ipsum , etsi emancipatum , & patrem dari vera , & stricta justitia . Est D. Tho. 2. 2. *q.* 57. *art.* 4. his verbis : *Patris ad filium non est comparatio, sicut ad simpliciter alterum . Et propter hoc non est ibi simpliciter justum , sed quoddam justum , scilicet paternum .* Cujus rationem dat ibi, dicens : *In rebus humanis filius est aliquid patris , quia quodammodo est pars ejus .* Hinc probo sic . Inter patrem , & filium, ut filius est , & jure naturæ spectato , non adest alteritas , & æqualitas ad strictam rationem iustitiæ requisita ; ergo &c. Antec. pro prima parte prob. Quia filius , ut filius , & iure naturalis generationis spectatus , consideratur, ut pars patris ab illo decisa , & ut effectus ipsi naturali iure subiectus , & quidquid est filii , patris est ; ergo deest alteritas ad veram , & strictam iustitiam requisita . Secunda etiam pars probatur . Nam esse , quod filius accepit à patre , præstantius est obsequio , quod illi possit exhiberi à filio ; ergo inter patrem , & filium non potest dari æqualitas iustitiæ : sed filius obligatur ad obsequia Patri præstanda strictiori iure , nempe , pietatis .

IV. Confirmatur primò . Jus naturale , quod habet pater erga filium , non est adæquabile per quodcumque ,

 quod

quod ei possit exhiberi à filio; nam ius patris fundatur in communicatione esse, & vitæ naturalis: sed nil potest à filio patri exhiberi, quod æquivaleat esse, & vitæ naturali; ergo &c. — Confirmatur secundò. Obsequia, quæ à filiis redduntur parentibus, pertinent ad virtutem pietatis: sed pietas non est justitia propriè, & simpliciter talis, sicut nec religio, gratitudo &c. quamvis sint virtutes justitiæ annexæ, ut docet S. Tho. 2. 2. q. 80. a. 1. *Quia parentibus non potest secundùm æqualitatem recompensari, quod eis debetur*; ergo &c.

V. Sed dices primò. Non minùs requiritur alteritas ad amicitiam, quàm ad justitiam: sed inter patrem, & filium datur amicitia, ut ex D. Thom. 2. 2. *q.* 26. *a.* 8. & 9. ergo &c.

Secundò. Inter patrem, & filium perfecta est injuria, & injustitia: nam gravissimè peccaret filius contra justitiam, si patrem occideret; ergo etiam inter illos est perfecta justitia: injustitia enim dicit violationem justitiæ verè talis.

Tertiò. Inter Patrem, & Filium divinum est major unitas, quàm inter patrem, & filium in humanis: sed inter Patrem, & Filium divinum esse potest vera justitia. Unde S. Thom. 3. *p. qu.* 1. *a.* 2. docet, Filium Dei satisfecisse Patri de rigore justitiæ; ergo &c.

Quartò. Si inter patrem, & filium non est justitia, quia filius est aliquid patris; neque erit inter duos fratres, quia uterque portio patris est: sicut neque est inter dexteram, & sinistram, quia ejusdem corporis partes sunt.

VI. Respondeo ad primum, primò, dist. maj. Alteritas suppositorum, co. maj. Jurium, nego maj. Amicitia enim non in distinctione jurium fundatur, sicut justitia; sed potiùs in unione, & similitudine morum, quæ inter patrem, & filium maximè datur: unde amicitiam magis esse inter conjunctos, quàm extraneos, *Tom. præcedente* docuimus. — Respondeo secundò, dist. min. Amicitia per caritatem, conc. min. Amicitia enim caritatis non respicit filium, ut filium, sed ut hominem consocium in beatitudine, ut dictum est, *Tom. præced.* Amicitia naturalis, nego min. Hæc enim inter patrem, & filium non datur: quia pater, dum amat filium, amat illum quasi seipsum, vel tanquam aliquid sui. — Respondeo tertiò, dari quidem amicitiam inter patrem, & filium, quatenus homo est, non tamen quatenus filius est: quæ responsio infra explicabitur.

VII. Ad secundam primò, neg. ultimam conf. Nam injustitia est quidem violatio justitiæ, sed non necessariò perfectæ: sicut enim minus requiritur ad malum, quàm ad bonum: ita minus requiritur ad perfectè injustum, quàm ad perfectè justum. — Deinde dico, injuriam irrogatam patri esse injustitiam, & quidem majorem, quàm injustitiam, quæ datur inter duos cives; non quia inter patrem, & filium sit vera justitia: sed quia injustitia erga patrem violat unitatem, quæ majus quiddam est, quàm æqualitas, & consequenter violat majus debitum. Quamvis enim jus paternum habeat minus de ratione justitiæ; non tamen habet minus de ratione debiti, sed magis: magis enim jure naturali filius obligatur patri, & pater filio, quàm illi, inter quos est vera justitia, sibi invicem obligentur. Et propterea injuria illata patri, specialis, & gravior injustitia est; quia violat unitatem, & debitum pietatis, quod omni verâ justitiâ majus est: sicut qui directè offendit Deum, gravioris injustitiæ reus est: quia licèt inter Deum, & creaturam vera justitia commutativa non sit, violat tamen majus debitum.

VIII. Ad tertium, si sermo sit de Patre, & Filio divino subsistente in natura divinâ, nego min. Nam inter eos sic sumtos nulla est justitia, & nullum debitum, sed in utroque idem omnino indivisum jus. Si verò sermo sit

mo sit de Filio divino in natura assumtâ, conc. min. Sed in hoc sensu Filius divinus ratione naturæ assumtæ habet proprium, & distinctum jus, & independens à jure paterno; ratione cuius potuit ei de rigore justitiæ satisfacere, ut supra tetigimus, & suo loco dicetur.

Ad quartum, conc. totum. Nam inter duos fratres, qui vivunt sub cura parentum, non est propriè justum, ut habetur *l. Frater à fratre ff. de Conditione indebiti*.

IX. Dico secundò. Inter patrem, & filium in bonis jure non exceptis, & antequam filius sit emancipatus, non datur vera, & stricta justitia. Probatur. In bonis, in quibus filius non est sui juris, sed subjectus patriæ potestati, non habet filius alteritatem juris requisitam ad veram justitiam: sed, in bonis jure non exceptis, qualia sunt ea, quæ non sunt castrensia, aut quasi castrensia, filius antequam emancipetur, ex dispositione juris est subjectus patriæ potestati; ergo &c.

X. Sed dices. Filius non emancipatus tenetur ex justitia patri restituere, quæ de bonis paternis furto surripuit, & rapiendo ea, quæ sunt patris, verè est injustus; ergo inter patrem, & filium vera est justitia, quia restitutionis actus, actus veræ iustitiæ commutativæ est. — Distinguo tamen consequens. Inter patrem, & filium, quatenus filium, nego consf. Quatenus surripiendo patri bona, eum suo dominio spoliavit, ac se ipsum à iure, & dominio patris exclusit, conc. conf. Sed hoc non est contra nos. Nam etiam servus, & uxor, si aufugerint, tenentur ex iustitia reverti, ae se tradere domino, & marito; quin, ut dicemus, inter servum, & dominum, uxorem, & maritum vera iustitia sit. Imò si filius tenetur ex iustitia restituere, quæ rapuit patri; signum est, in filio nullum esse ius distinctum, & independens à iure patris; ac proinde inter istos non esse alteritatem iurium requisitam ad iustitiam.

XI. Dico tertiò. Inter patrem, & filium emancipatum, & quoad bona castrensia, vel quasi castrensia dari potest perfecta iustitia. Prob. Quia filius emancipatus sui iuris est, & quoad Civilia exemtus à iurisdictione patris: bona autem castrensia, seu quasi castrensia, secundum leges civiles, propria sunt filii, & filius super ea habet ius proprietatis distinctum, ac independens à iure patris; ergo quoad ista habet alteritatem, & æqualitatem sufficientem ad iustitiam: adeo ut inter filium emancipatum, sicut & quoad bona castrensia, vel quasi castrensia, & patrem, iniri possint contractus emtionis, venditionis &c. Quia in his non consideratur, ut filius, & ut aliquid patris; sed ut alius homo habens distinctum ius, & dominium super sua bona.

Ita S. Thom. 2. 2. q. 57. a. 4. ad 2. dicens: *Filius inquantùm filius est aliquid patris, & similiter servus inquantùm servus est aliquid domini. Uterque autem, prout consideratur ut quidam homo, est aliquid secundùm se subsistens ab aliis distinctum: & ideo inquantùm uterque est homo, aliquo modo ad eos est justitia: & propter hoc etiam aliqua leges dantur de his, quæ sunt patris ad filium, vel domini ad servum: sed inquantùm uterque est aliquid alterius, secundùm hoc deficit ibi perfecta ratio justi, vel juris.* Neque per hoc, quòd dicat, quòd inter patrem, & filium inquantùm uterque est homo *aliquo modo* est ad eos justitia, diminuit veram, ac propriam rationem justitiæ inter eos: sed solùm indicat, hoc tantùm modo, idest, quâ homines sunt, esse inter eos justitiam; non autem secundùm omnem modum. Et quòd hæc sit mens D. Thom. constat ex ultimis eius verbis, nempe: *Sed inquantùm uterque est aliquid alterius, secundùm hoc deficit ibi perfecta ratio justi, vel juris.* Si enim secundùm hoc deficit inter eos perfecta

ratio

ratio justi; ergo secundùm rationem hominis non deficit: aliàs S. Doct. nihil plus daret inter patrem, & filium in ratione hominis, quàm inter illos daret in ratione patris, & filii consideratos.

§. II.

De Marito, & Uxore, Domino, & Servo.

XII. Noto: quòd vir, & uxor possunt inter se comparari dupliciter. Uno modo, in ordine ad usum matrimonii, in exigendo scilicet, ac reddendo coniugale debitum. Alio modo, in ordine ad administrationem bonorum: quæ rursus sunt duplicia: alia enim sunt communia, alia viro, & uxori propria.

XIII. Dico primò. Inter virum, & uxorem, quoad redditionem debiti matrimonialis, datur vera, & stricta iustitia. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 57. *a.* 4. his verbis: *Uxor autem, quamvis sit aliquid viri, quia comparatur ad eum, sicut ad proprium Corpus, ut patet per Apostolum, ad Ephes. 5. tamen magis distinguitur à viro, quàm filius à patre, vel servus à domino: assumitur enim in quandam socialem vitam matrimonii. Unde Philosophus dicit* (5. Ethic. c. 6.) Inter virum, & uxorem plus est de ratione iusti, quàm inter patrem, & filium, vel dominum, & servum.

Probatur autem. Qui reddit alicui debitum ex mutuo contractu, & traditione ortum, reddit illud ex perfecta iustitiâ: sed vir, & uxor in matrimoniali actu reddunt sibi invicem debitum proprii corporis, ortum ex contractu matrimoniali, quo uterque conjux tradidit alteri corpus suum, ad finem suscipiendæ prolis. Unde Apostolus, 1. Cor. 7. v. 3. *Uxori* (inquit) *vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; ergo &c. Ubi enim mutuum est debitum, & mutuum ius exigendi, ibi vera iustitia est.

XIV. Dices. Maior est unitas inter virum, & uxorem in ordine ad actum matrimonialem, quàm inter patrem, & filium; cùm sint *Duo in carne una*, Gen. 2. v. 24. Matth. 19. v. 5. & 6. sed inter patrem, & filium non datur vera iustitia; ergo &c.

Respondeo, negando maj. loquendo de unitate iuris, & morali, quæ sola veræ iustitiæ obest. Dicuntur autem vir, & uxor una caro per unionem, quâ fiunt velut unum corpus, unus homo, unum totale principium generationis. In ordine tamen ad actum conjugalem habent alteritatem, & æqualitatem iurium, & debiti: aliud est enim jus uxoris, ejusque debitum erga virum: aliud ius, & debitum viri erga uxorem. At in filio, quà tali, nullum est ius distinctum, & iuri paterno non subordinatum; cùm jure naturæ filius sit aliquid patris, & portio eius.

XV. Dico secundò. Inter virum, & uxorem, in bonis utrique propriis, dari potest vera justitia. Probatur. In aliquibus enim bonis vir, & uxor habent perfectum dominium invicem independens; ergo in istis habent alteritatem sufficientem ad justitiam. Bona autem, in quæ uxor habet dominium independens à viro, sunt bona paraphernalia; ea nempe, quæ cum nupsit, sibi reservavit, de quibus potest independenter à marito veros contractus facere. Item bona sibi obvenientia per hæreditatem illius dispositioni relictam, per donationem &c. Horum enim habet perfectum dominium, & administrationem; adeo ut possit, etiam repugnante marito, ea alienare, in eleemosynas largiri, aut alio modo disponere: ut tradunt Sylvester. V. Eleemos. *Qu.* 5. §. 2. Navarrus *Cap.* 17. *nu.* 155. & alii. — Similiter ex pacto, & conventione, etiam in bonis mariti juri subiectis. Si enim vir cum uxore conveniat, ut suo

ut suo opere sibi reddat quotidie tantum, & si ampliùs lucretur, illud faciat suum; illud amplius sic erit sub dominio uxoris, ut de illo plenè possit disponere. Et ratio est: quia personæ, inter quas pactiones fiunt, censentur iam personæ moraliter diversæ, & diversum ius habentes.

Imò ex vi talium pactionum, & conventionum etiam inter filium, & patrem, imò inter servum, & dominum, dari potest vera iustitia. Ut si fiat conventio, quòd servus reddat pro suis laboribus quotidie decem, & si amplius lucretur, illud sit suum: De quo lucro rursus alia pacta, & conventiones iniri possunt. Et hoc modo plerumque servi suam redimunt libertatem. Sunt etiam alii casus, in quibus mulier dominium habet independens à viro, quos refert, inter alios, P. Gabriel à S. Vincentio *de Just. & Jure*, *Disp.* 1. *Qu.* 3. §. 3.

XVI. Dico tertiò. In bonis communibus, & quantùm ad dispensationem, & gubernium domus inter virum, & uxorem non datur stricta iustitia. Tùm quia: teste Apostolo, 1. Cor. 11. v. 3. *Caput mulieris est vir*. Et mulieres subditas debere esse viris, docet idem, ad *Ephes.* 5. *v.* 22. *Coloss.* 3. *v.* 18. Et S. Petrus *Epist.* 1. *c.* 3. 1. ergo inter virum, & uxorem non est æqualitas ad veram justitiam requisita. — Addo: quòd S. Tho. hâc *q.* 57. *a.* 4. dicit, quòd *Cum vir, & uxor habeant immediatam relationem ad domesticam Communitatem, ut patet in 1. Politic.* (cap. 3.) *ideo inter eos non est etiam simpliciter politicum justum, sed magis justum æconomicum*. Et *qu.* 58. *a.* 7. *ad* 3. ait: *Quòd domestica multitudo, secundùm Philos. in* 1. *Politic.* (cap. 3.) *distinguitur secundùm tres conjugationes; scilicet uxoris, & viri, patris, & filii, domini, & servi, quarum personarum una est quasi aliquid alterius. Et ideo ad hujusmodi personas non est simpliciter iustitia, sed quædam justitiæ species, scilicet æconomica, ut dicitur in* 5. *Ethic.* (cap. 6.)

His addi potest ratio. Nam vir, & uxor, in ordine ad gubernationem familiæ, se habent ut una persona unitate juris, & quoad communia bona uxor est subordinata viro; ergo inter illos non potest esse vera iustitia, ex defectu æqualitatis; quamvis inter eos quædam æqualitas proportionis statui possit. Sicut enim uxor debet viro parere, & auxiliari: ita vir debet uxorem regere, ei providere, & necessaria præstare.

XVII. Superest modò resolvere, an vera iustitia dari possit inter servum, & dominum. Non loquimur autem de servis conductitiis, qui pro mercede, ad certum tempus, operam suam locant cum libertate, si placuerit, transacto illo tempore, alteri operam suam locandi, vel etiam nemini. Inter hos enim, & dominos certò certius est, veram, strictamque justitiam dari posse. De servis domino suo mancipatis, ideoque dictis mancipiis, qui nullius juris sunt, sermo est in præsenti; quales erant antiquitus victi, & bello capti, & modò Turcæ à Christianis capti, emti &c. qui continuo servitio addicti, omnique jure privati censentur.

XVIII. Dico. Inter dominum, & mancipium, quà tale, non datur stricta justitia. Ita S. Tho. hâc *q.* 57. *a.* 4. ratio est. Quia inter dominum, & mancipium non datur alteritas jurium, cùm mancipium proprii juris non sit; & quidquid mancipium, quà tale, potest reddere domino, domini fit. Unde ait S. Tho. citatus: *Servus est aliquid domini, quia est instrumentum ejus*; ergo &c.

Dixi inter dominum, & servum, *quà talem*, non dari veram justitiam. Nam si dominus, & servus considerentur quatenus homines sunt, habent sua distincta jura. Servus enim quatenus homo est, habet jura famæ, honoris, vitæ, & quorumdam civilium contractuum. Unde dominus graviter infamans servum, ei de redintegratione famæ ex justitia obligatur; & si

& si servum occideret, teneretur ex justitia reparare damna inde secuta ejus filiis, uxori &c. Similiter supposità conventione, & pacto inter servum, & dominum dari possunt contractus, ut supra, *num.* 15. dicebamus. Pariter estò attento jure civili servi non possint matrimonium inire, *leg. Cum Ancillis. C. de Incestis:* jure tamen Canonico servi contrahere possunt, etiam invitis dominis. *Cap. Dictum est* 29. *Qu.* 2. etsi servus, contracto matrimonio, non eximatur à consuetis obsequiis domino præstandis.

QUÆSTIO V.

De Jure, & Dominio.

NOn loquimur de jure passivo, seu justo, neque de jure sumto pro lege; de hoc enim egimus, *Qu.* 1. *Dub.* 1. sed loquimur de jure activo, quod quis habet supra alterum, seu de potestate, cujus species est dominium, seu possessio.

DUBIUM I.

Quid sit Jus Activum, quid Dominium, & Quotuplex?

§. I.

Variæ Juris Activi Acceptiones.

I. REcolenda est divisio superiùs tradita, *Qu.* 1. *Dub.* 1. §. 1. *num.* 5. juris in *jus in re*, & *jus ad rem*. Jus in re, seu reale, ut ibi diximus, est, quo certa res existens ita sit alicui devincta, & obligata; ut quòcumque devenerit, eamdem à quacumque manu sic repetere possit, ut sibi absque injustitia nequeat denegari. Jus ad rem, seu personale est, quo non res ipsa, sed persona alicui sit devincta, & obligata: ita ut vel rem aliquam, vel pretium ejus, tradere teneatur. Pono exemplum. Emisti equum à Titio, sed nondum accepisti, habes jus ad rem contra Titium, si tibi nolit equum tradere: nondum tamen habes jus in re, seu dominium supra equum, quia nondum est tibi traditum. Unde si hoc tempore equus moriatur, Titio moritur, non tibi: & subinde Titius enumeratam pro equo pecuniam tibi restituere tenetur. Si verò equum emtum jam accepisti, per talem equi traditionem accepisti jus in re, & dominium equi: sicque hunc numero equum à quocumque alio ipsum detinente, exigere, & vindicare potes.

II. Hinc infcres primò: quòd si Titius equum à te emtum, nondum tamen secutâ equi traditione, alteri venderet, donaret, imò & traderet; equus ille esset illius, cui postremò Titius donasset, aut vendidisset, neque tu jus in illum equum haberes: haberes tamen jus ad personam Titii, quæ tibi devincta mansit ex illa venditione, ut possis Titium compellere, nedum ad restitutionem numeratæ pecuniæ pro equo: verùm, & ad compensationem damnorum, si quæ tibi inde secuta sunt.

III. Ex quo infertur secundò: ad acquirendum jus ad rem, seu personale, sufficere aliquem titulum juris, puta, emtionis, stipulationis, donationis, legati, electionis &c. Ad acquirendum verò jus in re, seu reale, requiri actualem traditionem, sive apprehensionem rei venditæ, donatæ &c. Insuper ut habeatur jus in re, debet illa res suo modo existere: res enim, quæ nullo modo existit, non potest proprio domino vindicari, quod est proprius effectus juris in re.

IV. Infertur tertiò: circa eandem rem posse ab uno haberi jus reale, & ab alio jus personale, ut patet in exemplo allato. Si enim equus tibi venditur, & non traditur, alteri verò venditur, & traditur; tu habebis quidem jus personale supra venditorem equi, sed alter habebit ius reale in equum. Unde cum jus reale prævaleat juri personali, equus manebit ei,

ei, cui fuit simul venditus, & traditus.

V. Infertur quartò. Jus in re latiùs patere, quàm dominium, & dominium sub, eo tanquam speciem sub genere, contineri. Dantur enim plures species iuris realis, quæ propriè dominium dici non possunt: nimirum, jus in pignus, & hypothecam, jus, quod usuarius habet in rem à se ad tempus conductam, jus uxoris erga maritum, jus filii in parentes, ut eum alant, jus Christianorum, ut à suis Parochis instruantur.

VI. Tandem inferes: in unam, eandemque rem posse simul à pluribus haberi jus reale, diversæ tamen rationis. Nam in unam, idemque prædium potest, verbi gratia, Cajus habere jus, & dominium directum, & Titius dominium utile, ut infra

§. II.

Quid sit Dominium.

VII. Dominii vocabulum dupliciter usurpari potest. Primò in ampla quadam significatione, quatenus dicit respectum ad rem, in quam quomodocumque habetur possessio, seu jus. In hac amplâ significatione Reges dicuntur rebus publicis dominari; cives habere dominium super viis publicis, fluminibus, pontibus; parentes dominari filiis, imò etiam servi hoc modo dominium, seu jus habere dicuntur, ut sustententur à dominis, & filii à parentibus. Secundò, in magis strictâ acceptione, & dicitur: *Jus reale sive gubernandi, sive disponendi de re aliquâ, tanquam suâ.* Dicitur *Jus reale*, sive jus in re, quod ponitur loco generis. Licèt enim omne dominium sit jus in re; non tamen omne ius in re est dominium strictè: nam jus usuarii, pignoris, hypothecæ jura realia sunt, non tamen dominia. Dicitur etiam *gubernandi*, *vel disponendi:* quibus disjunctivis particulis indicatur, hic definiri dominium generaliter, prout abstrahit à dominio iurisdictionis, & proprietatis. Et per ly *tanquam suâ* ostenditur ad dominium generaliter requiri, rem adeo esse domino adstrictam; ut de illa proprio nomine, & auctoritate proportionaliter, & ad eos usus, in quibus subjicitur, possit disponere.

VIII. Dominium ergo generatim sumtum, aliud est jurisdictionis, aliud proprietatis. Dominium iurisdictionis est *Jus gubernandi suos subditos in ipsorum commodum*: cujus præcipui actus sunt præcipere, vetare, punire, præmiare. Dominium proprietatis (quod ad præsens est dominium propriè tale) dicitur: *Jus disponendi de re aliquâ, tanquam suâ, in proprium commodum, nisi lege, vel conventione prohibeatur.* Quâ definitione à ratione dominii proprietatis excluditur. Primò, jus usuarii, hypothecarii, qui etsi ius habeant in rem aliquam, non tamen tanquam in suam. Secundò, jus Tutoris, qui licèt habeat potestatem disponendi de rebus pupilli; non tamen tanquam de rebus suis, nec in proprium, sed in pupilli commodum. Quare hæc particula: *in proprium commodum*, videtur esse differentia essentialiter distinguens dominium proprietatis à dominio iurisdictionis. Dominium enim proprietatis non solùm dicit prælationem, potestatem, seu ius in rem; sed tale, ut eam in proprium commodum ordinare possit. Quod ius non habent Reges, & Principes in subditos, nec in bona illorum. Hi enim debent gubernare Rempublicam propter bonum Reipublicæ. Unde Cicero eos, qui rebus publicis dominari, idest, in propriam utilitatem convertere præsumunt, tyrannos vocat. Similiter nec tale ius habent parentes in filios, nec Prælati in suos subditos; qui bonum filiorum, & subditorum procurare debent, non proprium. Illud tamen habet herus in suos servos, & quilibet dominus in res suas; de quibus facere potest, quod

quod maluerit, etiam in proprium commodum, & utilitatem eas consumendo.

IX. Præfatæ definitioni additur: *Nisi lege, aut conventione probibeatur*. Quæ verba ponuntur ad indicandum, dominum proprietatis posse ad libitum uti rebus suis, & prout ipse maluerit; modò tamen talis usus lege, vel conventione rationabiliter ei non interdicatur. Lege quidem. Nam estò primogenitus sit dominus suæ primogenituræ, & pupillus suæ hæreditatis (idem dic de uxore, vivente marito, respectu suæ dotis) leges tamen iustissimè vetant, primogenitos bona primogenituræ posse ad omnes usus expendere; & pupillos minores alienare bona sinè auctoritate Tutoris, Curatoris, vel Judicis, eorum actus in contrarium reddendo irritos: quamvis interea plenum dominium habeant rerum suarum. Similiter estò Communitas Religiosa habeat dominium bonorum ipsi relictorum; ea tamen absque beneplacito S. Sedis alienare, sive obligare nequit. Et dato, quòd habens beneficium Ecclesiasticum sit beneficii dominus, illud tamen alienare prohibetur; non solùm ob vitium simoniæ, quod incurreret, sed etiam quia translatio beneficii est iure naturali, ut aliqui censent, vel saltem Ecclesiastico impedita: quod intelligitur etiam de dominio utili, sive translatio sit perpetua, sive ad tempus, ut emphyteusis, feudus, livellum &c. De quo Canonistæ, & novissimè Card. Petra, Tom. 5. in Const. Pauli II. *Ambitiosæ*. — *Conventione* autem. Aliquando enim pacto, & conventione speciali ligatur dominium, ne in liberam dispositionem prodeat: Quod contingit in pignore, cujus plenum dominium manet penes debitorem; ex speciali tamen conventione cum ereditore illud alienare non potest.

X. Dices primò. Si de ratione dominii est, ut possit quis de re suâ, in omnes usus disponere, erit etiam, ut possit eam alienare, & dominium ejus à se transferre; ergo vel in Deo, cui est impossibile cujuscumque rei dominium à se abdicare, non erit verum dominium, vel hoc non est de ratione dominii.

Respondeo, de ratione dominii esse posse disponere de re suâ, omni dispositione sibi possibili: Deum autem à se transferre dominium alicujus rei est impossibile; cùm sit essentialiter cujuscumque rei Dominus. Quare tantùm abest, ut Deus non sit verè dominus, & verum dominium in eo non sit; quòd potiùs in eo est tota, & summa plenitudo dominii, sicut est tota plenitudo entis. Et sicut quia summum, & cum tota plenitudine ens, non potest amittere esse: ita quia summus, & cum tota plenitudine dominus, dominium amittere, & à se abdicare non potest. Unde posse à se abdicare dominium, defectus potiùs dominii est, quàm perfectio.

XI. Dices secundò. Possessor majoratus, & fidei comissi est verè dominus: & tamen non potest de bonis illis, pro voluntate, in omnes usus disponere.

Respondent aliqui, primogenitos non esse veros dominos majoratus, sed solùm usufructuarios; & idem dicunt de possidentibus bona fidei commissa — Sed oppositum tenendum est. Nam illa bona habent aliquem verum dominum; non enim sunt Regis, aut Communitatis: sed alius assignari non potest, nisi primogenitus, aut fidei commissarius; ergo &c. Eò vel maximè, quòd si quis bona illa retineat, tenetur non alii restituere, nisi ipsi primogenito, & fidei commissario; sunt ergo veri domini: attamen ea bona alienare ipsis est prohibitum lege justissimâ, ad tuendam potentiam Reipublicæ, & splendorem familiæ.

XII. Dices tertiò. Debitor est plenus, ac perfectus dominus pignoris: & tamen, stante contrario jure ereditoris, non potest de illo disponere — Respondeo, debitorem esse quidem domi-

dominum pignoris, & habere jus reale in illud: ex conventione tamen creditor respectu illius habet ius ad rem, seu personale: unde non mirum si absque creditoris consensu de illo disponere nequeat debitor.

XIII. Dices quartò. Si alius rem meam, sive bonâ, sive malâ fide possideat, verè ego sum dominus illius: &. tamen non potero, pro mea voluntate, de illa re disponere. Nam vel est possessor bonæ fidei; & sic habebit jus percipiendi fructus. Vel est malæ fidei; & sic saltem habet jus in lege fundatum, ne illi privatâ auctoritate per vim eripiatur.

Respondeo, quòd licèt amissâ possessione dominus non possit proximè disponere de re suâ, ex impedimento per accidens oborto; potest tamen remotè, & radicaliter, mediante nimirum restitutione, aut vindicatione rei suæ ab alio possessæ. Aut enim possessor est malæ fidei; & tunc non modò nullum habet jus retinendi, sed etiam habet obligationem rem possessam restituendi. Aut est bonæ fidei; & tunc dominus tollendo ignorantiam, in qua fundatur illa possessio, potest rem vindicare, sicque suæ dispositioni subjicere.

XIV. Dices quintò. Dominium perfectum dicit potestatem utendi re suâ, etiam ad usus turpes; ergo malè additur *nisi lege prohibeatur*.

Respondeo, neg. conf. & suppositum. Nam ly *nisi lege prohibeatur* non accipitur pro lege reddente actum illicitum, quia contrarium alteri virtuti, puta temperantiæ: sed pro lege reddente actum illicitum, & invalidum, quia contra formam justitiæ: ut si pupillus contrahat sine auctoritate Judicis, vel Tutoris: si fidei Commissarius alienet bona fidei commisso subjecta.

§. III.

Quotuplex sit Dominium Proprietatis.

XV. Dominium proprietatis (relicto dominio jurisdictionis de quo agere præsentis loci non est) dividitur in perfectum, & imperfectum. Perfectum, quia olim manu caperetur, dicebatur *Mancipium*: & est dominium supra substantiam rei, & commodorum ejus, ideoque vocatur dominium in solidum. Dominium verò imperfectum continet, vel proprietatem rei sinè commodis, vel commoda sinè rei proprietate.

XVI. Propterea dominium hoc imperfectum est duplex. Aliud directum, quod continet proprietatem rei, absque emolumentis: & talis dominus vocatur Proprietarius. Aliud verò utile, quod continet fructus, & emolumenta rei sinè proprietate, quale habet Usufructuarius, Emphyteuta, Vassallus, seu Feudatarius.

XVII. Non tamen credendum est, dominium directum ex eo distingui ab utili, quasi careat omni utilitate; sed quia caret fructibus, & emolumentis à re propriâ solitis provenire. Cæterùm & dominium directum suas habet utilitates. Prima, quòd in certis casibus dominium utile redeat ad dominum directum, & proprietarium. Ex *lege* 3. *ff. de Usufructu*. Secunda, quòd proprietarius possit alienare rei proprietatem. Tertia, quòd certis temporibus accipiat canonem ab Emphyteuta. Quarta, quòd absque licentia domini directi usufructus alienari non possint. Quinta, quòd factâ alienatione cum licentia proprietarii, seu renovatione contractus, huic persolvendum sit laudemium, seu pensio.

XVIII. Circa dominium directum videtur immeritò, illud rejici à ratione pleni, & perfecti dominii. Nam dominus directus habet jus plenè disponendi de re suâ, puta, fundo; & solùm obstat conventio facta

 cum

cum Feudatario; ficut domino pignoris, ne disponat de pignore, aut hypotheca, obstat conventio, vel obligatio cum creditore: sed hoc non obstante ista obstrictio, & conventio non impedit plenum dominium in pignus; ergo conventio cum Feudatario non impedit plenum, ac perfectum dominium in feudum.

XIX. Respondetur, negando cons. Quando enim in definitione pleni dominii dicitur: *Nisi conventione prohibeatur*, sumi debet de conventione, quâ solùm ligatur jus dominii, ne circa rem suam liberè disponat: non verò de tali conventione, vi cujus, licèt ipsi maneat rei proprietas, jus tamen percipiendi emolumenta ex ea provenientia in alium transfertur. Ex quo patet disparitas usus fructus à jure pignoris, & hypothecæ: per illud enim transfertur jus rebus suis fruendi, & utendi pro libito in alterum: per ista verò solùm ligatur facultas debitoris, ne liberè disponat de re hypothecatâ, aut oppignoratâ.

XX. Circa dominium utile pariter dubium exurgit: an verè ei conveniat ratio dominii. Et ratio dubitandi sumitur. Tùm quia: dominium utile est usus fructus: sed usus fructus videtur rejici à vero dominio, *Leg. 1. de Usufructu, eod. tit.* Ubi dicitur, quòd sit *Jus alienis rebus utendi, fruendi, salvâ eorum substantiâ*: dominium autem debet cadere in rem suam, non alienam, ut constat ex definitione dominii — Tùm quia: in *L. 1. ff. si Lege vectigalis*, habetur, quòd *Qui in perpetuum fundum conduxerunt à municipibus, quamvis non efficiantur domini, tamen placuit competere eis in rem actionem*. Quibus vides, usufructuario dominium denegari. — Tùm quia: usus est dominium imperfectum; & tamen saltem in rebus unico usu non consumtibilibus, est separabilis à dominio.

XXI. Verùm dicendum est, quòd licèt nomen dominii, absolutè prolatum, stet pro dominio perfecto; hoc enim solùm dicit jus perfectè, & plenè disponendi de re suâ, tàm quoad substantiam, quàm quoad commoda: tamen etiam in dominio imperfecto, & utili salvatur ratio essentialis dominii. Nam dominium est libera facultas disponendi de re aliquâ in utilitatem propriam quoad usus lege permissos, non impedibilis licite ab aliis, ut Juristæ docent: sed in dominio imperfecto datur hujusmodi facultas disponendi de re in ordine ad aliquem, licèt non ad omnem usum; ergo datur in dominio imperfecto essentia dominii.

XXII. Ad primam ergo rationem dubitandi dico, ibi dici, usumfructum esse ius utendi rebus alienis, quoad proprietatem, & substantiam, non verò alienis, quoad utilitatem, & fructus: sic enim sunt suæ, idest Usuarii: & sub hac ratione in eas habet dominium. — Ad secundam pariter dico, negari ibi solùm dominium directum, non utile, quod comparatè ad directum est minus. Et hoc colligo ex verbis legis citatis, ubi additur: *Tamen placuit competere eis in rem actionem*: sed non datur actio in rem sinè aliquo dominio in rem; ergo &c. — Ad tertiam dicetur infra. Interim dico, usum esse duplicem: alium irrevocabilem sinè iniuriâ usuarii; alium sinè iniuriâ revocabilem. Esto autem hic secundus sit à dominio separabilis; primus non est separabilis, à dominio imperfecto supra fructus rei.

XXIII. Dividitur dominium proprietatis, aliâ divisione, in altum, & bassum, seu humile, & vulgare. Dominium altum est dominium ordinis superioris. Et hoc est, vel divinum, Deo multis titulis conveniens super omnem creaturam, sed maximè titulo creationis. Vel humanum, & est Reipublicæ in bona Civium, dato, quòd habeat dominium proprietatis in illa, quod multi negant, asserentes, eam habere tantùm dominium iurisdictionis, quo, dum necessitatem patitur, imperare potest Civibus, ut tantum de

suis

suis bonis tribuant, quantum opus est: quod si non faciant, eos compellere, & in pœnam spoliare potest.

Dominium verò bassum, seu humile subdividitur in commune, & proprium. Commune est illud, quo singuli de Communitate habent facultatem utendi bonis Communitati addictis; non jure privatim sibi proprio, sed jure, quod habet quivis, quatenus pars Communitatis in bona Communitatis; puta sylvas communes, fontes, flumina, fontes, montes, queis omnes cives communiter utuntur. Proprium verò illud est, quod alicui privatim convenit, ratione alicuius tituli specialis, ut emtionis, donationis, hæreditatis; per quos titulos etiam in Communitatem res transferri possunt.

§. I V.

De Speciebus Dominii Utilis.

XXIV. Species dominii utilis sunt Usufructus, Emphiteusis, Feudum, Superficies.

Usufructus à nudo usu distinguitur. Unde alius est usuarius, alius usufructuarius; quod non meliùs, quàm assignando definitiones tùm usus, tùm usufructus præstare possumus. Usus ergo est: *Jus, seu facultas utendi re alienâ, salvâ ejus substantiâ*. Dicitur *Jus utendi*: quo excluduntur jura, quæ nullum conferunt usum; quale est jus depositarii respectu depositi, & creditoris respectu pignoris. Nam tantum abest, ut depositarius habeat jus utendi deposito, & creditor pignore; ut si invito domino utantur, non solùm peccent, verùm & valorem usus restituere teneantur. Dicitur etiam absolutè *Jus utendi*: quia usus affert solùm jus utendi, at non fruendi, per quod distinguitur usus ab usufructu, ut mox dicemus. Dicitur *Re alienâ*: quo datur intelligi, rem, cujus habet usum usuarius, non esse ejus, quoad proprietatem, sed alterius. Et ideo dicitur etiam *Salvâ ejus substantiâ*: per quæ excluditur jus ad usum, quo res vel consumitur, vel alienatur; ut est ius ad comedendum panem, ius ad utendum pecuniâ, quæ res ipso usu consumuntur, vel alienantur.

XXV. Ususfructus autem dividitur in causalem, & formalem. Causalis est coniunctus eum dominio proprietatis, veluti effectus pleni dominii: estque ius percipiendi fructus, & fruendi re suâ. Sed de hoc non agimus, quia non est species dominii utilis.

Usus fructus verò formalis, qui est separatus à dominio directo rei, definitur communiter: *Jus utendi, & fruendi alienis rebus salvâ eorum substantiâ*. (ex Instit. de Usufruct.) Dicitur primò. *Jus*: quo distinguitur à nudo usu actuali, qui dicitur usus facti, & non est jus utendi, ut infra. Secundò dicitur *Utendi*: ad differentiam juris, quod habet creditor in pignus, & depositarius in depositum, ut dictum est. Additur *Fruendi*, hoc est fructus percipiendi: quo indicatur discrimen inter usum nudum, seu usuarium, & usumfructum, seu usufructuarium; quòd usuarius potest re uti, non tamen ex ea percipere fructus: unde qui habet solùm ius utendi, vel habitandi domum, non potest ex domo fructus percipere. Usufructuarius autem potest ex re fructus percipere; ita ut illorum fit dominus, si percipiat. Rursus usuarius rem, cuius usum habet nequit alteri tribuere, neque gratis, neque pro pretio. Unde hoc ipso, quòd alicui concedatur usus, seu ius utendi domo, poterit eum sua familia illam habitare; sed non aliis locare, nec habitandam concedere. Et similiter si concedatur alicui usus servi, aut alterius animalis, poterit eis uti; non tamen aliis concedere talem usum, benè tamen usufructuarius. Ly autem *Salvâ rei substantiâ*, intelligendum est, ut supra in definitione usus.

XXVI. Ususfructus formalis duplex est, nimirùm legalis, & conventiona-

tionalis. Legalis est, qui ipsâ lege constituitur: sic constitutus est ususfructus patri in bonis adventitiis filii. Conventionalis, qui ex conventione, donatione, aliâque privati hominis dispositione constituitur.

XXVII. Quæres primo: Quid intelligatur nomine fructuum ab Usufructuario percipiendorum?

Respondeo. In fundo pro fructu computatur quidquid in fundo nascitur, quidquid ex fundo percipi potest. *Leg. Item si fundi, ff. de. Usufruct.* Item omnes fructus arboris iam enati, imò & omnes arbores cæduæ; fructiferæ tamen non censentur in fructu: unde eas cædere, secare, aliove modo distrahere usufructuarius non potest, quia pertinent ad dominum directum fundi, soli autem fructus ad usufructuarium. In pecoribus fructus sunt lana, pili, lac, fætus. In servis opera, & mercedes propter opera, *Lib. in Hominis, ff. de Operis servorum.* Proles tamen ancillæ, propter dignitatem naturæ, inter fructus non computatur; sed ad dominum proprietatis pertinet. Neque enim in fructu hominis homo esse potest, inquit Jurisconsultus *Lib. Rectus, ff. de Usufructu. Et quemadmodum quis.* Cùm omnes fructus gratiâ hominis natura comparaverit *Inst. Lib. 2. tit. 1. de Rer. divis.*

XXVIII. Quæres secundò: Quandonam Usufructuarius incipiat esse dominus fructuum?

Respondeo. Tunc primum, quando eos collegit, ac percepit. Sic *Inst. lib. 2. tit. 1. de Rer. divis.* Et ideo si licèt maturis fructibus, nondum tamen collectis, ac perceptis usufructuarius decesserit, ad eius hæredes non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur. Ratio autem est. Quamdiu enim fructus adhærent fundo, censentur esse pars illius, & idem cum illo; ergo usufructuarius non dicitur esse dominus frugum, quamdiu ab agris non sunt avulsæ; nec fructuum, quamdiù ab arbore non sunt decisi, nec lanæ, quandiu à pecoribus recisa non est. — Si dicas. Ergo si fur auferat fructus, antequam sint collecti, non tenebitur eos restituere Usufructuario. — Nego conf. Nam Usufructuario competit jus ad illos fructus; habetque propterea actionem adversùs furem, ut fructus ablatos restituat *Lib. Si fur, ff. de Usufruct.*

XXIX. Quæres tertiò. Ad quid teneatur Usufructuarius?

Respondeo. Teneri primò, rei substantiam procurare, illiusque conservationi incumbere, ut procurator, non ut dissipator rei alienæ. Et si sit usufructuarius gregis, tenetur loco capitum demortuorum, vel inutilium alia substituere. Si vineæ, loco pereuntium alias vites plantare. Si fundi, novas demortuarum loco arbores inferere *Inst. Lib. 2. tit. 1. §. Sed si gregis* tanquam enim bonus pater familias se gerere debet. Si tamen res, aut pars illius casu pereat, ut si à grandine, gelu, vel raptoribus distrahatur, absque negligentia Usufructuarii; suo proprio domino res deperiit, neque tenetur Usufructuarius resarcire. — Tenetur secundò ad modicam reparationem ædium, si in iis sit usufructus, sicut ad solvendum tributum, si ex re, quâ fruitur, sit solvendum, *Lib. Usufructu relicto, ff. de Usufructu.* — Tenetur tertiò dare cautionem proprietario, se boni viri arbitrio, idest, quomodo vir bonus propriâ re uteretur, eâ re usurum, & finito tempore usufructus eam restiturum — Tandem incumbit illi administrare bona, in quibus habet usum fructum, & curare bonam illorum utilitatem *Lib. 1. & 2. ff. Usufructuarius quemadmodum caveat.*

XXX. Quæres quartò: An possit Usufructuarius suum fructum alteri, quàm Proprietario vendere?

Respondeo, non posse Usufructuarium usufructum, seu jus usus alteri vendere, seu in alterum transferre, absque consensu Proprietarii. Quòd si attentet, hoc ipso cadit à jure usufructus, & accedit proprietario, ut habe-

habetur *Lib. Si Usufructus, ff. de Jure dotium*. Potest tamen absque consensu Proprietarii locatione, venditione, alioque titulo ipsam utilitatem, & fructus loco sui, & suo nomine percipiendos alteri conferre: tunc enim non desinit esse Usufructuarius. Sicut in simile Beneficiarius, etsi non possit alteri vendere jus ad decimas, C. *Prohibemus de Decimis*; potest tamen locare utilitatem, vel usum actualem, ut quis illam nomine Beneficiati percipiat, ut habetur C. *Vestra de Locat. & conduct.* dummodo locatio ad feudum, vel alienationem non videatur extendi.

XXXI. Emphyteusis est contractus, quo res immobilis alicui fruenda traditur in perpetuum, vel ad certum tempus, non minus tamen decennio, sub obligatione pensionis domino proprietatis, seu directo solvendæ. Ex quo patet, emphyteusim usui, & usufructui valdè similem esse: convenit enim cum usu, quòd re alienâ utitur; & cum usufructu, quòd etiam ex ea fructus concedit. Differt tamen, quòd usus, & ususfructus constituuntur etiam in rebus mobilibus, & regulariter morte Usuarii, vel Usufructuarii finiuntur, nec in alterum transferri possunt. At emphyteusis solùm de immobilibus est, nec morte Emphiteutæ extinguitur. Imo Emphyteuta potest non solùm emphyteusim locare per decennium, domino directo non requisito; sed etiam potest in alium transferre, domino tamen directo admonito, ut ille, qui emit præferatur.

XXXII. Feudum est concessio rei immobilis fruendæ alicui facta pro fidelitate, & obsequio personali exhibendo. Unde qui feudum accipit, Vassallus, qui tradit, Infeudator dicitur. Differt Vassallus ab Emphyteuta; quòd emphyteusis in recognitionem dominii directi constituit pensionem realem solvendam; feudum verò obsequium personale, ut obsequium in aula Principi certo tempore exhibendum, sive in bello &c. Aliquando verò loco obsequii personalis, imponitur pensio realis; sed tunc feudum parum differt ab emphyteusi.

Duplex est modus feudum conferendi. Primus per inductionem Feudatarii in corporalem possessionem feudi: & hæc vocatur investitura realis, & personalis. Secundus per traditionem anuli, ensis, pilei &c. in signum feudi sibi traditi, & potestatis propriâ auctoritate accipiendi ejus possessionem; & hæc vocatur investitura abusiva.

XXXIII. Superficies est contractus, quo alicui conceditur superficies alieni soli, ad domum ædificandam, vineam plantandam, aut quodlibet aliud. Differt ab emphyteusi, quòd sive gratis, sive pro pensione concedatur, statim contractus finitur: & superficies ad dominum directum revertitur, quàm primùm perit illud, ad quod constituendum, aut inædificandum fuit concessa. Unde sinè novo contractu Superficiarius inibi nihil potest constituere, ut colligitur *ex L. Quoties, ff. de Usufruct.*

DUBIUM II.

An in Rebus Unico Usu Consumtibilibus, sit Separabilis Usus à Dominio.

§. I.

Aliqua pro Intelligentia.

I. SUppono, usum esse duplicem. Alium usum juris, alium usum facti. Usus juris, qui aliis terminis dicitur jus utendi, seu jus ad usum, importat in utente jus activum, seu facultatem utendi re non revocabilem absque illius injuria: quale est jus utendi equo, vel domo, quo jure non posset quis absque injuria privari. Et talis usus non est separabilis à dominio utili, seu imperfecto in rebus, quæ unico usu consuma-

muntur. Usus autem facti importat legitimam quidem, sed nudam alienæ rei usurpationem, ab alieno nutu dependentem, & absque utentis injuria revocabilem.

Hunc ergo usum facti, in rebus unico usu non consumtibilibus, à dominio distingui certum est. Tùm quia: dominium essentialiter dicit jus irrevocabile absque injuria; ergo eo ipso, quòd usus facti revocabilis est ad nutum alterius, absque injuria usuarii, non importat in Usuario dominium. Tùm etiam: quia videmus Religiosis singulis varia ad usum quotidianum concedi, ut vestes, libros, cellas &c. qui tamen in particulari nullum super iis habent dominium, aut jus, sed solùm usum: & hunc ab alieno nutu dependentem, ac liberè revocabilem.

II. Procedit ergo quæstio de rebus unico usu consumtibilibus. Res enim, quæ sub usu cadunt in triplici sunt differentiâ. Aliquæ enim sunt, quæ usu non consumuntur, ut domus, agri, vineæ &c. Aliquæ sunt, quæ quodam temporis lapsu, & longo usu atteruntur, non tamen primo, & unico usu, ut sunt vestes, libri &c. Aliæ demum, quæ uno, primo, & primario usu consumuntur, & destruuntur, veluti cibus, & potus, quibus etiam accensetur pecunia.

Dixi primo, principali, & primario usu, ad quem per se ordinantur. Non enim latet, aliquas res, quæ ex suo primario, & principali actu unico usu consumuntur; ex aliquo secundario, & extraneo usu posse non consumi; veluti si dapes, & cibos soli aspectui pascendo exponas: in hoc enim casu certum est, usum istum ciborum ab eorum dominio distingui. Quæstio igitur præsens procedit de cibis in ordine ad eorum usum primarium: an scilicet, si quis dei mihi unum panem, ut eo utar, illum comedendo, possit iste usus esse separatus à dominio: sic, ut in me sit tantum usus panis, dominium verò panis in dante mihi panem remaneat?

III. Huic quæstioni maximum pondus dedit celebris Religiosorum S. Francisci paupertas: qui cùm nullius planè rei, etiam unico usu consumtibilis, neque in particulari, neque in communi dominium in se agnoscerent; in hujus paupertatis amplissimâ possessione variis Pontificum decretis confirmati fuerunt, ut Gregorii IX. Alexandri IV. Innocentii IV. Clementis V. *C. exivi de Paradiso §. Proinde cum vir sanctus*, & præcipuè Nicolai III. vel ut alii volunt IV. in *C. Exiit, qui seminat, de Verb. signif. in 6.* qui rerum omnium ad usus Fratrum Minorum, etiam unico usu consumtibilium, dominium in se, & in Romanam Sedem recepit.

Nihilominus Joannis XXII. tempore de tantæ opulentia paupertatis penè visi sunt excidisse. Is enim Pontifex, Extrav. *Ad Conditorem*, Nicolai mentem de rebus unico usu non consumtibilibus, non verò de rebus unico usu consumptibilibus interpretatus, ait: *Dicere si quidem, quòd in talibus rebus usus juris, vel facti separatus à proprietate rei, seu dominio possit constitui, repugnat juri, & obviat rationi: nec Prædecessoris nostri prædicta fuisse videtur intentio, Romanæ Ecclesiæ talium bonorum dominium reservare.* Deinde hoc repugnare ostendit primò. Quia simplex Usuarius non est, qui rem potest consumere: sed ille, cui traditur res unico usu consumtibilis, ut eâ utatur, potest eam consumere; ergo simplex Usuarius non est. — Secundò. Ad hoc, ut purus usus in re aliquâ possit constitui, requiritur, quòd ex illa re possint fructus, vel utilitas ad fructuarium, vel Usuarium, *salvâ rei substantiâ*, pervenire: sed hoc in rebus unico usu consumtibilibus fieri non potest; ergo &c. — Tertiò. Ubi Usuarius suo usu, vel abusu substantiam rei potest consumere, ridiculè fingitur illius rei proprietas apud alterum: sed res unico usu consumtibilis potest ab Usuario suo usu, vel abusu

ab usu consumi; ergo &c. Hæc & alia Joann. XXII. Quid autem in hac re probabilius existimem, sequentibus aperiam.

§. I I.

Prior Resolutio.

IV. Dico primò. Probabilius est, usum rerum, unico usu consumtibilium, separabilem esse ab earum dominio; & de facto separari in Fratribus Minoribus, qui nec in particulari, nec in communi dominium rerum habent, sed tantùm usum: & etiam in reliquis Religiosis, qui rei sibi concessæ, etiam unico usu consumtibilis, habent solum usum, dominium autem penes Communitatem residet. Ita Soto, *lib. 4. de Just. q. 1. art. 1.* Bannez *Praamb. ad qu. 62. de Dominio*, aliique plures. Probatur primò Auctoritate Sum. Pont. Nicolai III. vel IV. *Cap. Exiit, qui seminat de Verb. signif. in 6.* & Clem. V. *Cap. exivit de Paradiso, eodem tit.* Ubi uterque Pont. asserit, dominium in hujusmodi rebus ab usu distingui: Minoresque nullum dominium etiam in communi habere, sed solum usum.

V. Probatur autem hoc discursu. Usus, qui merus usus est, & revocabilis ad nutum alterius, est usus separatus à dominio: sed talis potest esse usus etiam in rebus unico usu consumtibilibus; ergo &c. Maj. probatur. Quia verum dominium ponit jus tale supra rem, cujus est dominus; ut non possit eo privari, aut impediri absque injuria, & in aliis obligationem ipsum non lædendi — Tùm etiam à pari. Nam quia usus cibi, quem habet conviva, est merus usus facti, & revocabilis ad nutum ejus, qui invitavit, est usus sine dominio: quis enim dicat, convivam gratiosè invitatum ad prandium ab aliquo, fieri dominum ciborum, qui in prandio apponendi erunt? Min. verò probatur. Usus, quem habent Religiosi rerum merè comestibilium, est usus totaliter dependens à voluntate Superioris, ideoque ad nutum illius revocabilis: ita enim proportionaliter se habent, sicut convivæ invitati ad mensam. Unde sicut, si qui invitavit, cibos, ac potum juberet auferri, nemini faceret injuriam, nec esset injustus, sed incivilis: sic si Superior regularis cibos, ac potum à suis subditis minui, vel etiam auferri aliquo justo titulo juberet, iis non faceret injuriam, neque esset injustus. — Ex quo fit, quòd cùm Minoritæ nullum unquam alicujus rei dominium acceptarint, nec etiam in communi, sed solùm usum; isque sit etiam in rebus unico usu consumtibilibus à dominio separabilis: nullum in eis dominium ad usum, sed purum usum concedere debemus. In aliis verò Religionibus, quæ dominium in communi acceptarunt, dicendum erit, dominium esse penes Communitatem, penes particulares verò solùm usum.

VI. Hæc mihi certa sunt, si loquamur de usu habituali, seu de dominio ad usum. Nam certum est, Religiosos nullum habere habituale jus, aut dominium, seu facultatem liberam, & independentem utendi rebus etiam unico usu consumtibilibus. Et quia dominium, ut notat Bannez, non residet in actu usus, hic enim potiùs est effectus dominii, sed in habituali jure, seu facultate propria, & iure utendi rebus; & Religiosi ratione voti paupertatis nullum habeant ius, seu facultatem ad utendum rebus sibi concessis, quæ non sit dependens, & revocabilis ad nutum Superioris: certum est, quòd ad res etiam unico usu consumtibiles habent merum, & purum usum, non autem ius, & dominium. Et in hoc sensu credo locutum fuisse Nicolaum III. vel IV.

VII. Sed quod mihi ingerit scrupulum, est de ipso usu actuali rerum unico usu consumtibilium: an etiam in actuali usu, qui est ipsa consum-

tio rei, possit usus à dominio separari; ut usus sit in Religiosis, dominium autem in Superiore maneat: sic ut nedum non habeant dominium ad usum, sed nec illud habeant in actuali usu.

VIII. Pro quo noto primò: quòd usus facti in rebus, quæ unico usu non consumuntur, distinguitur à dominio; potest enim dominus equi, vestis, domus concedere mihi earum rerum usum, retento equi, vestis, & domus dominio; & ego utens illis habere usum, & non dominium.

Suppono secundò: jus ad factum, seu jus utendi re, usu non consumtibili, quando revocabile est, ac dependens distingui à dominio: potest enim dominus concedere mihi jus ambulandi per hortum, utendi suâ veste ad certum tempus, retento apud se dominio: maximè cùm possit me hoc iure ad factum absque iniuria privare.

Suppono tertiò: jus, seu usum ad factum in rebus, unico usu consumtibilibus, posse etiam à dominio separari: potest enim, ut dicebamus, dominus concedere mihi ius edendi suos cibos, bibendi suum potum, retento sibi dominio, quo possit ad libitum licentiam mihi revocare. Et hoc modo diximus Religiosis concedi usum cibi, ac potus sinè ullo iure ad usum, cùm illa concessio sit revocabilis ad nutum: nam concessio de re consumendâ revocabilis est à domino, quamdiu res consumta non est.

Suppono quartò: quòd usus secundarius, & extraneus in rebus, quæ aliàs unico usu consumuntur, separabilis sit à dominio: potest enim quis dare facultatem mihi utendi cibis, vel pecuniâ suâ ad ostentationem, retento sibi panis, aut ciborum dominio.

Difficultas, ut supra, est: an factâ concessione usus rei, unico usu consumtibilis, ad eam consumendam, actualis ejus usus, seu consumtio sit in utente, & dominium maneat in concedente: sic, ut utens habeat purum usum, & non dominium in usu. Pro quo

§. III.

Posterior Resolutio.

IX. Dico secundò. Probabilius mihi videtur, in rebus, quæ unico usu consumuntur, actualem usum esse inseparabilem ab actuali dominio. Et propterea Religiosos, etsi non habeant jus irrevocabile, & independens, seu dominium ad usum; habere tamen dominium in usu rerum, unico usu consumtibilium. Hoc Asserto censeo conciliari posse dicta Pontificum, ut supra, dicendo nempe, quòd Joannes XXII. intelligendus sit juxta Assertum præsens de dominio in usu: alii verò Pontifices de iure, seu dominio ad usum.

X. Probo primò hoc Assertum rationibus, quibus utitur Joannes XXII. Primò. Quia usus sinè actuali jure utendi non esset justus: *Cùm ille usus fuerit, cui jus non competebat utendi.* Secundò. Quia usus ipse est actualis rei consumtio: unde ait: *Cùm per talem usum, idest, utendi actum, & in ipso actu, & cum tali actu res consumatur hujusmodi, ac in ipsius rei exerceatur substantia, nec sinè rei ipsius consumtione esse valeat usus talis. Ex quo patet, quòd usus talis, nec simplex nec separatus à dominio potest dici.* Quibus patet, Joannem loqui de actu usus, seu de usu facti.

Ex quibus hæc conficitur ratio. Usus propriè talis à dominio distinctus debet esse ille, qui utitur re alienâ, salvâ ejus substantiâ: sed usus facti in re, unico usu consumtibili, cùm sit ipsa rei consumtio, non potest uti re alienâ, salvâ ejus substantiâ; ergo non potest esse à dominio distinctus.

XI. Dices. Hoc verum esse de usu independente, non vero de usu dependente: qui enim, etsi rem usu consumat, id tamen facit de licentia domini.

mini, qui potuisset illum à tali usu prohibere, consumit quidem, sed non est dominus.

Sed contra. Estò hinc sequatur, quòd qui habet usum dependentem ab alio, ante actualem usum non habeat jus, & dominium ad talem usum, cùm finè injuriâ tali usu possit privari: stante tamen, quòd dominus ei concedat usum, impossibile est, quòd ei non concedat actuale dominium in usu. Quia impossibile est, quòd ei concedatur usus, & quòd non ei concedatur rei consumtio, quæ est dominii exercitium: imò magis quàm in venditione, & donatione rei; ergo si rei venditio, & donatio est actus inseparabilis à dominio, multò magis rei consumtio.

XII. Probatur secundò, ex jure Civili. Nam *Leg. si vini, ff. de Usufructu* dicitur: *Si vini, olei, frumenti usufructus legatus erit, proprietas ad Legatarium debet transferri: idem quoque de rebus, quæ usu consumuntur, intelligimus*.

Dices: hic fieri sermonem de usufructu, non de usu — Sed contra. Si non potest legari ususfructus rerum, usu consumtibilium, sinè dominio; neque poterit concedi earumrerum actualis usus sinè dominio: maximè quia in rebus, unico usu consumtibilibus, idem est usufructus, & usus. L. hoc Senatus Consultum, ff. eodem titulo: *Quæ in usufructu pecuniæ diximus, vel cæterarum rerum, quæ sunt in abusu* (idest, ut notat Glossa in *Extrav. ad Conditorem, de Verborum signifi.* quarum usus est consumtio) *eadem & in usu dicenda sunt*.

XIII. Probatur tertiò, ex D. Th. *2. 2. q. 78. a. 1.* Ubi docet, quòd in rebus, *Quarum usus est ipsarum rerum consumtio, sicut vinum consumimus, eo utendo ad potum, & triticum consumimus, eo utendo ad cibum .... non debet seorsum computari usus rei à re ipsâ: sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res. Et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsim vellet vendere vinum; & vellet seorsum vendere usum vini, venderet camdem rem bis, vel venderet id, quod non est: unde manifestè contra justitiam peccaret. Et simili ratione injustitiam committit, qui mutuat vinum, aut triticum, petens sibi dari duas recompensationes: unam quidem restitutionem æqualis rei, aliam verò pretium usus, quod* usura *dicitur*.

Ubi S. Doct. docet, quòd in rebus, quarum usus est consumtio, cui conceditur usus, conceditur res: & qui vellet separare usum à re, exigendo æquale pro re, & ulteriùs pretium pro usu, injustitiam, & usuram committeret. Discurro ergo sic. Si actualis usus panis, & vini separatur à dominio, ita ut usus actualis sit in utente, & dominium maneat in concedente: pari ratione in mutuo separari potest actualis usus vini, vel pecuniæ, ita ut usus sit in mutuatario, & dominium in mutuante: poteritque mutuans reservare sibi dominium rei mutuatæ, & alteri concedere solum usum, eo modo, quo Superior Religiosis usum actualem concedit, & exigere pro usu pretium, tamquam pro usu rei suæ, eo modo, quo justè exigit pretium pro usu equi: & sic non dari amplius usuram, quæ sit illicita.

XIV. Neque dicas, S. Thomam non loqui de usu dependente, & revocabili, qualis est usus, quem habent Religiosi; & quem dicunt oppositæ sententiæ Auctores, esse separabilem à dominio.

Nam sic insurgo. Nomine usus revocabilis, vel intelligunt jus ad usum, seu facultatem utendi, vel ipsum actualem usum. Si primum: non agunt contra nos. Concedimus enim, jus ad usum, seu ad factum, etiam in rebus, quarum usus est rei consumtio, separari posse à dominio; & de facto in Religiosis separari, in quibus est revocabile. Si verò intelligant ipsum actualem usum,

XV. Contra sic arguo. Usus, cui essentialiter annexa est consumtio, est irrevocabilis: ut enim dicit S. Tho. laudatus, quotiescumque conceditur iste usus, conceditur res: sed usui panis, & vini essentialiter annexa est consumtio: licèt enim possit quis revocare facultatem utendi suo pane; non tamen potest revocare usum, nempe, comestionem, quam ego feci; ergo &c.

XVI. Confirmatur. Si usus facti rei, consumtibilis usu, poterit separari à dominio, poterit eàdem ratione quis concedere alteri usum pecuniæ, reservando sibi dominium illius; ergo poterit sic concedens, pro illo usu tanquam pro usu rei suæ, aliquid exigere, & sic non committere usuram. Conf. probo. Ideo secundùm S. Tho. non licet aliquid recipere pro usu pecuniæ, aut vini; quia in talibus rebus non debet seorsum computari usus à re ipsâ, & propter hoc in talibus mutuum transfert dominium, & cuicumque usus conceditur, ex hoc ipso conceditur res: sed in casu, quo quis concedat alicui usum pecuniæ, aut vini, reservando sibi dominium, separabit usum pecuniæ, & vini à dominio, & cui concedit usum non concedit rem; ergo &c.

§. IV.

Objectiones contra Præfata Asserta.

XVII. Contra primum objicies primò. Religiosi, puta Minoritæ, habent jus, & dominium ad usum rerum comestibilium; ergo falsum est primum Assertum. Ant. prob. Dominium definitur, quòd sit libera facultas disponendi de re aliquâ in utilitatem propriam, quoad usus lege permissos, non licitè revocabilis ab aliis: sed Minoritæ habent liberam facultatem disponendi de cibo, & potu, in propriam utilitatem ad usus lege permissos: comestio enim, & potio est lege naturæ permissa, imò & præcepta, non licitè impedibilis. Quis enim licitè impedire potest, quòd lege naturæ mihi conceditur, imò præcipitur?

XVIII. Respondeo, neg. antec. ad prob. Dico. dominium esse liberam facultatem disponendi &c. non solùm libertate physicâ, sed etiam morali, scilicet independente, & irrevocabili. Talis autem non est libertas Minoritarum, quæ est dependens, & revocabilis à Summo Pontifice, apud quem est dominium. Sicut si quis haberet facultatem à domino vineæ comedendi de uvis illius vineæ, revocabilem tamen ad placitum domini; non proinde acquireret dominium illas comedendi: ita in casu. — Ad id, quod additur, nempe, comedere esse de jure naturæ, dico: quòd comedere absolutè, est quidem de iure naturæ, non tamen comedere hos, vel illos cibos. Unde si Pontifex, qui est dominus ciborum, Minoritis largitorum, eos ab illis vescendo prohiberet, dummodo alios eis permitteret, ut viverent, licitè faceret. Imò si omnes cibos eriperet, peccaret quidem contra caritatem, sed non contra justitiam: ad eum modum, quo qui denegaret eleemosynam pauperi in extrema necessitate constituto, contra caritatem peccaret, non contra justitiam, nec teneretur ad restitutionem.

XIX. Secundò objicies contra idem. Si penes Minoritas nullum esset dominium, sed solùm usus; sequeretur, quòd qui ab eis victualia, aliaque eis concessa furaretur, non teneretur ea illis restituere, quia restitutio soli domino facienda est: sed hoc videtur absurdum: nam si eis non est facienda restitutio, cui facienda erit; ergo &c.

XX. Respondent aliqui, restitutionem faciendam esse, non ipsis Minoritis; sed vel ipsi largitori, qui talia in eleemosynam erogavit, cùm juxta quosdam dominium illorum penes ipsum resideat: vel ipsi Pontifici, in quem ex largitione factâ volunt translatum

ablatum esse earum rerum dominium. Alii verò (& veriùs) volunt, restitutionem faciendam esse ipsi Communitati: quia licèt apud eam non sit dominium, est tamen dictarum rerum administratio, & dispensatio; & dominus quicumque sit, præsumitur velle ei restituendam esse rem ablatam, cui eam tradidit dispensandam.

XXI. Contra secundum Assertum objicies primò auctoritatem Nicolai III. qui in Extrav. *Exiit*, approbavit privilegia Fr. Minorum: inter quæ prætendebant declarari, quòd carerent omni dominio, non solùm in particulari, sed in communi, etiam quoad res, quarum usus est consumtio.

Respondeo tamen, Nicolaum asserere nostrum primum Assertum, non autem destruere hoc secundum. Vult enim, Fratres Minores carere omni dominio, & jure ad usum; cùm omnis facultas, quam habent, ad utendum rebus etiam usu consumtibilibus, sit dependens, & revocabilis à Summo Pontifice: non verò vult, eos carere actuali dominio in actuali usu. Quia cùm hic sit inseparabilis ab actuali dominio, ut vidimus, qui concedit usum, concedit & dominium.

XXII. Sed dices. Ad hoc, ut quis acquirat dominium, concurrere debent voluntas dantis, & voluntas accipientis: sed voluntas Pontificis concedentis est concedere solum usum, & non dominium: voluntas etiam Minoritæ est acceptare solum usum, non dominium; ergo &c.

Respondeo, majorem esse veram de jure, seu dominio habituali ad usum; quod cùm sit separabile ab usu, pendet à voluntate concedentis, & acceptantis usum; non verò de dominio actuali in actuali usu: Hoc enim cùm in re, cuius usus est actualis rei consumtio, sit ab actuali usu inseparabile; non est ex voluntate concedentis, & acceptantis, sed ex ipsa naturâ actualis usus talis rei. Unde voluntas concedens, & acceptans usum facti in re, cujus usus est consumtio, & rejiciens ab actuali usu dominium, includeret repugnantiam. — Neque hoc dominium, quod in actuali usu est, officit perfectioni religiosæ paupertatis; quia non ex voluntate, sed ex natura rei procedit, utpote à tali usu essentialiter inseparabile. Et quantùm ad hoc omnes Religiosi sunt pares à sicut pares sunt in hoc, quòd nullus in particulari habeat jus, & dominium habituale ad usum. Differunt autem quoad subiectum dominii. Nam qui in communi possident, refundunt dominium in Communitatem. Qui verò nihil etiam in communi possident, dominium refundunt, vel in Deum, vel in Romanam Ecclesiam, seu Pontificem, vel in largitorem.

XXIII. Sed adhuc instas. Minoritæ acceptarunt usum dependentem, & revocabilem; ergo usum à dominio separabilem. — Respondeo, dist. con. Separabilem ante usum, conc. consf. In usu actuali, nego consf. & suppositum. Usus ergo rei, cujus usus est consumtio, revocabilis est ante rei consumtionem; quia quousque illa res non est usu consumta, potest à domino talis rei concessio revocari: & in hoc sensu usum tantùm acceptarunt Minoritæ, & omnes Religiosi. At usus actualis in actuali consumtione rei consistens revocabilis non est. Quis enim potest facere, quòd usus rei, usu consumtibilis, non sit consumtio? Si autem est rei consumtio, importat actuale exercitium dominii, sive facta à proprio domino, sive facta ab habente licentiam, ab illo.

XXIV. Secundò objicies contra idem. Esse alicujus rei dominum, non est rem posse quomodocumque destruere, sed liberè, & independenter ab alio: sed Religiosis sic conceditur usus rerum, quarum usus est consumtio, ut ante consumtionem liceat domino concessionem revocare; ergo concesso usu talium rerum non conceditur dominium.

Si respondeas ex dictis, dist. cons. Dominium habituale, & ad usum, co, cons.

conf. Actuale, & in usu, nego conf. Estò enim ex concessione usus rei, usu consumtibilis, revocabili non sequatur concessio dominii habitualis, & ad usum; sequitur tamen concessio dominii actualis in actuali usu: ab hoc enim, ut diximus, inseparabile est rei dominium, sicut inseparabilis rei consumtio.

XXV. Contra instatur. Estò usus facti sit inseparabilis à dominio in sensu composito, quòd Superior non revocaverit concessionem, sed permittat actualem usum; est tamen revocabilis, & proinde separabilis à dominio absolutè, & in sensu diviso: sed hoc sufficit, ut usus, seu rei consumtio, sit sub dominio Superioris; ergo &c. Min. prob. Etsi supposito, quòd voluntas consentiat, non possit revocare suum consensum; quia tamen in voluntate remanet actualis potentia ad non consentiendum in sensu diviso, adhuc non consensus remanet sub dominio voluntatis; ergo à pari.

XXVI. Respondeo, dist. min. Sub dominio habituali, & absolutè, co. min. Actuali, & ex suppositione, neg. min. Ex suppositione enim, quòd Superior rei usum det subdito, ut eam consumat; dat ei actuale dominium ab usu actuali inseparabilem supra rem illam. Ad prob. Vel eodem modo dico, quòd voluntas actu consentiens, estò retineat dominium habituale supra non consensum, quia potest non consentire; non tamen retinet dominium actuale, quia non potest actu conjungere non consensum cum consensu — Vel dari potest discrimen. Nam positio consensus non est translatio dominii. At concessio usus actualis rei, cujus usus est ipsa consumtio, est actualis dominii translatio in utentem, quia cui talis rei conceditur usus, concedi & dominium necesse est. Unde etsi Superior, dum concedit usum subdito, retineat dominium quasi habituale; in manus tamen ejus ponit dominium actuale cum usu connexum; sicut qui alicui tradit usum suæ pecuniæ, eo ipso tradit ei dominium supra illam, quamvis usus illius traditio absolutè revocabilis sit.

XXVII. Tertio objicies contra idem. Pauper extremè laborans jus habet utendi pecuniis, & cibis divitis; & tamen non habet harum rerum dominium: aliàs illi denegans eleemosynam, teneretur ad restitutionem; ergo in his rebus usus à dominio separatur.

Respond. Pauperem extremè laborantem habere jus ad rem ad pecuniam, & cibos divitis, non verò jus in re: ideoque dives illi denegans, crudelis est, non injustus. Si tamen pauper extremè laborans ea accipiat à divite, & utatur; tali usu facit sua, & pecuniæ, ac ciborum dominus efficitur. Sed hæc satis.

DUBIUM III.

An Licitum, & Laudabile sit, Rerum Temporalium Dominium abdicare?

§. I.

An Christus Temporalium Rerum tàm in Particulari, quàm in communi Dominium abdicaverit?

I. Quæstio hæc acri contentione sæculo 14. agitata fuit: in qua ne dum privati Theologi dissenserunt, sed & Summi Pontifices Nicolaus III. & Joannes XXII. contraria sensisse visi sunt. Nicolaus enim III. cap. *Exiit, qui seminat, de Verb. signif. in 6.* arctissimam Fr. Minorum paupertatem commendans, utitur exemplo Christi, & Apostolorum his verbis: *Dicimus, quòd abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum, non tàm in speciali, quàm in communi propter Deum meritoria est, & sancta; quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi fundatores*

tes Militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè vivere, per doctrinam ac vitam exempla in eos derivarunt.

II. Joannes verò XXII. post accuratissimum examen quæstionis de Christi, & Apostolorum paupertate, anno 1323. Constitutionem edidit, quæ etiam habetur inter Extravagantes,cap. *Cum inter nonnullos*, de Verb. signif. quâ hanc propositionem: *Christus, & Apostoli in speciali non habuerunt aliqua, nec in communi*; ejusque assertionem, pertinacem, *erroneam, & hæreticam* declaravit: eo quòd Sacræ Scripturæ contraria esset: nec non & illam, quâ quis pertinaciter affirmare auderet: *Christum, & Apostolos, in iis, quæ ipsos habuisse Sacra Scriptura testatur, nequaquam jus ipsis utendi, seu consumendi, aut ea vendendi, seu donandi, vel ex ipsis alia acquirendi habuisse*. Verùm cùm hanc Joan. XXII. Constitutionem Michael Cæsenas, aliique Minoritæ pertinaciter oppugnarent, novam anno 1324. edidit Constitutionem,quæ incipit: *Quia quorumdam mentes*, & habetur inter Extravag. *de Verb. Signific.* Quâ superiorem Constitutionem confirmans, ab omnibus tanquam hæreticos haberi, & vitari jussit eos, qui verbo, vel scripto defendere, vel approbare præsumerent illam propositionem: *Christus, & Apostoli, in iis, quæ habuisse leguntur, tantùm habuerint absque jure aliquo, usum facti. Ex quo* (inquit) *si verum esset, sequeretur, usum Christi fuisse non justum, quod blasphemiam continet.*

III. Nullam tamen inter hos duos Pontifices fuisse contrarietatem demonstrant Doctores, inter quos Natalis Alexandre noster, *Hist. Eccles. Secul.* 13. *&* 14. *Dissert.* 11. Nimirum: quòd Nicolaus non negat, quin Christus aliquando rerum temporalium dominium habuerit; earum maximè, quibus utebatur, vel quas ad suos, & suorum usus accipiebat, & aliquanto tempore servabat: sed asserit, Christum abdicationem absolutissimam dominii rerum temporalium, tàm in speciali, quàm in communi, verbo, & exemplo docuisse. Quod sanè verissimum est. Hanc enim verbo docuit, cum, *Matth.* 10. *v.* 9. ait: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*. Hanc etiam exemplo docuit: si quidem de seipso ait, Matth. 8. v. 20. *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet*. & Lucæ 8. v. 3. dicitur, quòd sequebantur eum mulieres, *Quæ ministrabant ei de facultatibus suis*. Tunc enim, absque loculis, Christus cum Apostolis vivebat ex piorum largitionibus.

Sed & aliud vitæ genus suo etiam commendavit exemplo. Siquidem loculos cum Apostolis possidebat, ex quibus emi jubebat necessaria ad communem sustentationem, & pauperibus etiam eleemosynam erogari, ut habetur, *Joan.* 13. *v.* 29. Ubi cùm Christus dixisset Judæ: *Quod facis, fac citiùs*: ex Apostolis *Quidam putabant, quia habebat loculos Judas, quòd dixisset ei Jesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret*. Idque imminente etiam Passione. Porro Christum dominium, jusque propriè dictum in illas pecunias non habuisse, ut benè dicit Joannes XXII. absque hæresi, & blasphemiâ dici non potest: alioquin eas injustè possedisset, injustè expendisset, atque ex bonis alienis, & injustè possessis eleemosynas erogasset.

IV. Nec hoc Nicolaum negasse testatur Joannes XXII. *Cap. Quia quorumdam*, citato. Ubi coarguens eos, qui evulgabant, ipsum contraria Nicolao prædecessori docere, ait: Nicolaum non dixisse *Sustentationem Christi, & Apostolorum ejus, in solo, & nudo simplici consistere usu facti .... Imò sensisse satis videtur expressè, quòd jus aliud à proprietate* (idest, saltem personale, ut exponit Glossa) *habuisse potuerunt; cùm de sola abdicatione proprietatis, non juris alterius in præfata decla-*

declaratione (Nicolai) *quantùm ad ipsos attinet, mentio habeatur. Adhuc idem Nicolaus prædecessor noster videtur sensisse, quòd Christus, & Apostoli, etiam quoad proprietatem, habuerunt aliquid in communi. Cum enim in sua declaratione prædicta verba de abdicatione proprietatis dixisset, respondens objectioni tacitæ, quæ sibi de loculis, quos Christus habuisse in Evangelio legitur, poterat fieri, statim quæ sequuntur subjunxit: nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur, Christum loculos habuisse: nam sic ipse Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectioni condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret; sic & infirmorum personam Christum, asserit, in loculis suscepisse.* Hæc Joannes XXII. ut ostendat, se à Nicolao non dissentire.

V. Solùm obstare videtur, quòd Nicolaus dicat, Christum habendo loculos, seu proprietatem in communi, gessisse personam infirmorum, & imperfectorum; quasi aliquid in communi possidere, perfectionis Evangelicæ non sit: & Ordines Religiosi, qui aliquid in communi possident, evangelicam perfectionem non sequantur.

VI. Sed hanc non fuisse Nicolai mentem, testati sunt Cardinales, Episcopi, & Doctores à Joanne XXII. consulti: sed solùm voluisse indicare, imperfectionem humanæ naturæ in præsenti statu, quæ cùm multarum rerum subsidio sustentanda sit, quæ non ita facilè præstò esse possunt; idcirco huic infirmitati condescendens Christus, loculos habere, & humano more iis uti voluit.

VII. Aliter exponit Durandus à S. Portiano, Nicolaum non fuisse locutum de infirmitate, quæ sonat imperfectionem status habentium loculos: sed de infirmitate illorum, qui possent scandalizari, cùm viderent servos Dei, seu Prælatos loculos habere. Verba ejus sunt: *Alio modo exponitur, quòd infirmos appellat, non illos, qui de loculis Domini vivunt: sed illos, qui scandalizantur, putantes scilicet, imperfectionis, vel minoris perfectionis esse de loculo Domini vivere. Talibus enim infirmis condescendens, seu compatiens Dominus, ne fortè scandalizarentur, & majori perfectioni adscriberent, si viderent servos Dei communes loculos habere, & de illis vivere: ideo loculos habere voluit, ut esset aliis in exemplum.*

VIII. Comprobat hoc Durandus auctoritate S. Augustini, *lib. 2. de Ser. Dom. in Monte cap. 17.* dicentis: *Hoc autem loco vehementer cavendum est, ne fortè cùm viderimus aliquem servum Dei providere, ne ista necessaria desint, vel sibi, vel eis, quorum sibi cura commissa est; judicemus, eum contra præceptum Domini facere, & de crastino esse solicitum. Nam & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen propter exemplum, ne quis postea scandalum pateretur, cùm aliquem servorum ejus animadvertisset, illa necessaria procurare; loculos habere dignatus est cum pecunia, unde usibus necessariis quidquid opus fuisset præberetur: quorum loculorum custos, & fur, sicut scriptum est, Judas fuit, qui eum tradidit.*

Utrumque ergo paupertatis genus Christus exemplo suo docuit, & probavit. Eorum scilicet, qui nec in speciali, nec in communi aliquid possident: & eorum, qui nihil in speciali possidentes, aliqua tamen possident in communi, quibus quotidianis necessitatibus, sive suis, sive eorum, quorum curam habent, subveniatur. Utrumque etiam Apostoli praxi suâ confirmarunt, quod Augustinus citato loco manifestat in Paulo. Sed de hoc sermo redibit infra.

§. II.

§. II.

Resolutio Dubii.

IX. Voluntariam temporalium abdicationem, ex adverso reprobarunt, tanquam minùs bonam, seculo quarto Vigilantius, contra quem scripsit S. Hieronymus: & tanquam perniciosam traduxit, seculo 13. Guilelmus de S. Amore Parisiensis Doctor, quem S. Thomas suo *Opusc.* 19. egregiè confutavit. Cui eodem seculo accessit Desiderius Longobardus, de quo S. Thom. citato *Opusc.* 19. *cap.* 6. dicit edidisse tractatum: *In quo, inter cætera condemnat statum eorum, qui relictis omnibus egere volunt cum Christo.* Cui errori aliquos etiam Catholicos subscripsisse dolens, ait: *Nuper autem, quod est horribilius, antiquus error renovatus est ab his, qui fidem defendere videbantur. Qui more errantium in pejus procedentes, non sunt contenti divitias paupertati æquare, ut Jovinianus; vel divitias paupertati præferre, ut Vigilantius; sed paupertatem totaliter condemnare. Dicentes, non esse licitum sua omnia pro Christo relinquere, nisi talem Religionem intret, quæ possessiones habeat; vel nisi talis sit, qui de labore manuum vivere intendat.* Hæc S. Thomas.

X. Dico. Abdicatio rerum temporalium, sive in particulari, sive etiam in communi propter Christum, licita est, imò & laudabilis, ac laudabilior rerum terrenarum possessione. Prima, & secunda pars probatur. Id licitum est, & laudabile, quod Christus verbo, & exemplo docuit, & quod facienti Regnum Cœlorum promittit: sed abdicationem temporalium, sive in particulari, sive in communi Christus verbo, & exemplo docuit, eique Regnum Cœlorum promisit; ergo &c. Min. pro prima part constat ex §. præcedente, ubi vidimus, Christum interdum nullum rerum dominium, neque in communi cum Apostolis habuisse; sed piarum mulierum eleemosynis victitasse, ut *Luca* 8. Interdum autem rerum aliquarum dominium, saltem in communi, cum Apostolis habuisse ut *Joann.* 4. *v.* 8. ubi dicitur: *Discipuli enim ejus abierant in Civitatem, ut cibos emerent.* Cap. 5. v. 5. ubi dicit Christus: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Et *cap.* 13. ubi legitur, loculos habuisse. Unde S. August. Tract. 62. in Jo. *Habebat ergo* (inquit) *& Dominus loculos, & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat.* — Pro secunda etiam parte probatur min. ex *Matt. cap.* 19. ubi cum Petrus audisset à Christo difficile esse, ut dives intret in Regnum Cœlorum; ei confidenter *v.* 27. dixit nomine omnium: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Et Christus respondit, v. 28. *Amen amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim ..... Et omnis, qui reliquerit domum ..... aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

XI. Rationes autem, quare Christus pauperem vitam elegerit, tradit S. Thomas 3. *p. q.* 40. *a.* 3. cujus prima, & præcipua hæc est: *Quia hoc erat congruum prædicationis officio, propter quam venisse se dicit, Marci* 1. Eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni. *Oportet autem Prædicatores verbi Dei, ut omnino vacent prædicationi, omnino à secularium rerum cura esse absolutos: quod facere non possunt, qui divitias possident. Unde & ipse Dominus Apostolos ad prædicandum mittens dicit eis, Matth.* 10. Nolite possidere aurum, neque argentum. *Et ipsi Apostoli dicunt, Actor.* 6. Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.

XII. Tertia verò pars, quòd abdicatio rerum temporalium voluntaria pro-

propter Christum sit laudabilior, & perfectior, probatur primò à S. Hieronymo contra Vigilantium his verbis; *Quod autem asserit, eos meliùs facere, qui utuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quàm illos, qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur; non à me ei, sed à Domino respondebitur:* Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. *Aliud cum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, naviculam, & rete dimittit.* Ita perstringit S. Doctor Vigilantium, qui asserebat, perfectius esse, retentis possessionibus, de earum fructibus eleemosynas facere; quàm possessionibus venundatis pretium dare pauperibus.

XIII. Probatur insuper ratione. Id laudabilius est, quod hominem magis juvat ad perfectionem, & removet impedimenta ipsum à perfectione retrahentia, vel retardantia: sed hujusmodi est voluntaria abdicatio omnis rei temporalis; ergo &c. Min. prob. Quia enim vita cælebs aufert venerea, quæ hominem à perfectione retardant, & quasi divisum tenent, ut ait Paulus, 1. *Cor.* 7. ideo status cælibatus laudabilior est statu Matrimonii, quod ob solam indulgentiam ab eodem Paulo ibi conceditur, castitas verò positivè suadetur: sed non minus retardant à perfectione divitiæ, ac terrenorum possessiones, ob adhæsionem affectus ad eas, ob distractionem, ac solicitudinem, ob quam in Evangelio comparantur spinis, quæ sementem Patrisfamilias suffocant; ergo voluntaria terrenorum abdicatio laudabilior est.

XIV. *Hoc etiam* (inquit S. Thom. Opusc. 17. cap. 15.) *evidenter ostenditur* (*Luca* 14. *ubi unus de his, qui sunt vocati ad cœnam*) *se excusavit dicens: Villam emi, & necesse habeo ire, & videre illam. Et sicut Gregorius dicit, quid per Villam, nisi terrena substantia designatur? Exiit ergo videre villam, qui sola exteriora cogitat. In fine autem parabolæ subditur: Pauperes, & debiles introduc huc. Quod exponens Ambrosius dicit, quòd rariùs delinquit, cui deest illecebra peccandi. & citiùs ad Deum convertitur, qui non habet in mundo, unde delectetur. Sic igitur patet, quòd possessiones, & quascumque divitias omnino non habere, magis ad Evangelicam pertineat perfectionem.* Hæc, aliaque plura congerit S. Doctor mirâ eruditione, dicto *cap.* 15. & 16. quæ non pigeat Candidatum meum religiosum percurrere; ut ad paupertatem, quam professus est, servandam magis accendatur.

XV. Sed dices primò, maximè contra abdicationem rerum etiam in communi. Major solicitudo imminet quærendi ostiatim victum his, qui omnibus renuntiarunt, dum coguntur per domos secularium discurrere, eorumque, qui eis victum ministrant, negotiis se immiscere; ergo per talem abdicationem tantum abest, ut tollantur, quòd potius augentur temporalium solicitudines.

XVI. Hoc argumentum *magis derisione, quàm responsione dignum est* (inquit S. Thom. opusc. 17. citato c. 16.) *Quis enim non videat, in immensum majoris solicitudinis esse, possessionibus procurandis curam impendere, ad quod vix seculares sufficiunt; quàm acquirere simplicem victum ex Fidelium pietate collatum, & clementiâ divinâ provisum?* — Quòd verò *Religiosi necesse habent, circa eorum negotia solicitari, à quibus pascuntur; fateor* (inquit S. Thom.) *habent quidem, sed circa spiritualem eorum salutem: vel ut tribulatos consolentur, quæ quidem solicitudo est caritatis: unde Religioni non repugnat. Quin imò, ut dicitur Jacobi* 1. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Hæc S. Thom. Cæterùm si Religiosi aliter solicitantur, hæc solicitudo à statu Religionis erit aliena.

XVI.

XVII. Dices secundò. Rationes, quibus infra probabimus, congruam esse divisionem rerum in diversos dominos, ostendunt, esse incongruum usum rerum sinè dominio. Fundantur enim in hoc: quòd homines otio torperent, dum, aut proprietate possessionum, aut necessitate obtinendi ab aliis habentibus proprietatem, non extimularentur ad laborem. Et rursus quia daretur occasio hominibus vivendi raptu, brutorum more, de quibus *Psal.* 103. *v.* 21. dicitur: *Catuli leonum rugientes, ut rapiant*. Unde orirentur continuæ rixæ, & bella.

Respondeo, illas rationes militare de abdicatione dominii involuntariâ; secus in illa, quæ sponte suscipitur, ut quis liberiùs vacet cultui divino. Sic enim non est periculum otii: cùm detur ibi suus labor, vel in ordine ad cultum Dei, vel salutem proximorum. Neque est occasio rapinæ: cùm pauperes isti voluntarii ex eleemosynis spontè oblatis vivant, & ex pietate Fidelium omnia necessaria eis subministrentur.

DUBIUM IV.

An Licitum sit etiam Christianis Dominium in Res Temporales habere?

§. I.

De Rerum Divisione.

I. Quamvis dominium, quod habent homines supra seipsos, idest, supra suos actus liberos, supra honorem, famam &c. à natura illis conveniat, simulque cum natura ortum duxerit; dominium tamen rerum temporalium, agrorum, nempe, gregum, divitiarum, ex divisione rerum manavit: ratione cujus, ea, quæ erant communia ex natura, seu quæ naturæ Auctor pro omnibus produxerat, singulis distributa sunt; ut unusquisque fieret dominus illorum, quæ sibi convenire probaverit. Ex hac ergo rerum divisione, veluti ex prima radice, singulorum dominium profluxit.

II. Porro hæc rerum divisio introducta fuit, non jure divino; quia nullibi apparet, Deum talem rerum distributionem, aut fecisse, aut fieri imperasse: quin potiùs omnia sub pedibus hominum subjecisse, ut illis dominentur — Quòd si Deus Israelitis terram Chananæorum assignavit, singulisque pro dignitate divisit — Hoc in primis fuit præter morem communem, & ex speciali indulgentia. Deinde non est contra nos, qui solùm volumus, Deum non fuisse primum divisionis dominiorum auctorem. Cæterùm quòd, supposita rerum divisione inter homines introductâ, Deus uni Genti potiùs, quàm alteri, alicujus terræ dominium assignaverit, ut fecit Israelitis, nòn est contra nos.

Neque ex jure naturæ rerum divisio ortum duxit. Quia, ut supra diximus agentes de jure Gentium, natura secundùm se considerata, & remotis inconvenientibus, quæ ex malitia, & corruptione hominum frequenter contingerent; non magis ad rerum divisionem, quàm ad rerum communitatem inclinat: neque rerum divisio, aut rerum communitas ex sua naturâ bona est, quod requirebatur, ut alterutra esset de jure naturæ. Imò si natura hominum permansisset integra, & in statu innocentiæ; rerum divisio non fuisset facta, ut communiter sentiunt Theologi. Dixi rerum divisio: quia personarum, & jurisdictionum divisio etiam in statu Innocentiæ fuisset, ut diximus *Tom. 6. in 1. p. Q. 4. de Statu homin. Innoc. Dub. 6. §. 1. & 2.* ex D. Thom. 1. *p. q. 96. a. 3. & 4.*

III. Neque obstat primò. Quòd in *Inst. de Rerum divisione §. Feræ*, dicitur: *Quod ante nullius est, naturali ratione conceditur occupanti* — Secundò. Furtum est contra jus naturæ; ergo quòd res sit propria hujus potiùs, quàm alterius de jure natu-

ræ est: alioquin non esset contra jus naturæ eam accipere, si de jure naturæ alterius non esset.

IV. Respondeo enim ad primum, distinguendo textum. Naturali ratione &c. absolutè, nego. Suppositâ proprietate, & dominio rerum, concedo. Aliud ergo est, quòd suppositâ proprietate, & divisione, res, quæ nullius erat domini, ut sunt pisces, feræ, aves &c. jure naturæ sit illius, qui primò eam occupavit: aliud, quòd proprietas sit jure naturæ introducta. Primum enim verum est: secundum, falsum. Sic supposito, quòd emeris rem aliquam, illa tua est jure naturæ; non tamen proprietas est de jure naturæ. Nam natura, nec emtionem, nec occupationem pro dominio, imò nec dominium designavit; sed jus humanum Gentium, ut dicemus. Hoc tamen supposito, jus naturæ dictat, rem esse illius, qui primò accepit, aut emit. — Hinc ad secundum dico, suppositâ proprietate rei, esse jus naturæ illam non auferre invito domino; quod non probat, rem jure naturæ fieri propriam. Sicut, suppositâ superioritate in uno, jure naturæ illi debita subjectio est; & tamen superioritas in illo de jure naturæ non est.

V. Restat ergo, ut rerum divisio sit de jure Gentium: quod jus licèt affine sit juri naturali, verè tamen à jure naturali distinguitur, ut supra vidimus, *Qu. 1. Dub. 4.* Ita sentiunt communiter Doctores cum S. Tho. *2. 2. q. 66. a. 2. ad 1.* Ubi respondens argumento, quod nitebatur probare, non licere aliquid proprium habere; quia secundùm jus naturale omnia sunt communia, respondet: *Quòd communitas rerum attribuitur juri naturali; non quia jus naturale dictet, omnia esse possidenda communiter, & nihil esse quasi proprium possidendum: sed quia secundùm jus naturale non est distinctio possessionum, sed magis secundùm humanum condictum, quod pertinet ad jus positivum, ut supra dictum est* (q. 57. a. 2. & 3.) *Unde proprietas possessionum non est contra jus naturale; sed juri naturali superadditur, per adinventionem rationis humanæ.* Hoc idem habetur, *Cap. Jus Gentium dist. 1.*

VI. Hoc tamen non ita accipiendum est, ut sit aliquod præceptum apud omnes de tali divisione. Sed quia commune omnium judicium est, divisionem rerum esse convenientem ad tranquillitatem servandam, melioremque rerum administrationem; suppositâ hominum cupiditate ex peccato ortâ, & ambitione miserè ipsis dominante, & attentâ hominum in communi fragilitate. Quare si daretur Communitas, in qua ferè omnes istæ passiones essent ordinatæ, possent apud illam laudabiliter esse omnia communia, ut in primordiis Ecclesiæ contigit. Unde, *Act. 4. v. 32.* legitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et v. 34. *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Quæ vivendi forma servatur etiam nunc in Religiosis Ordinibus; in quibus omnia sunt communia, & quilibet est contentus his, quæ sibi à Prælatis suis applicantur: & qui majori pace, & tranquillitate ab omni terrenarum rerum cura secreti, soli Deo inserviunt.

VII. Notandum tamen est, non omnium rerum divisionem factam fuisse jure Gentium. Nam ex communi omnium consensu plura omnibus remanserunt communia, ut civitatis plateæ, viæ, aer, imber, mare, flumina, littora, feræ, gemmæ, & omnia in casu necessitatis extremæ. Horum enim usus est apud omnes, & apud nullos est eorum dominium; sed primò occupanti conveniunt, ut feræ, pisces,

pisces, gemmæ. Sunt etiam aliæ res non jure Gentium, sed juribus particularibus divisæ: ut quòd Regnum Hispaniæ sit hujus Regis, Regnum Galliæ alteriùs: quòd talis domus, vel ager sit talis, vel talis domini. Hoc enim provenit; vel remotè ex lege, aut concessione Principis, in quo sensu S. Augustinus, *Tract. 6. in Joan.* dixit: *Hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est. Jure ergo humano, jure Imperatorum.* Vel proximè ex pacto, conventione, emtione, donatione, hæreditate. Unde ex jure Gentium solum est illa communis, & generalis divisio, nempe, quòd res sint dividendæ: diversæ autem singulares rerum partitiones, seu quòd hoc sit hujus, illud verò alterius, ex juribus particularibus ortum duxit. Ita notarunt PP. Salmanticenses hic, ex Bannez ad *quæst. 62. de Dominio, Quæst. 3.* Lessius, Soto &c. his suppositis.

§. II.

Resolutio Dubii.

VIII. HÆretici quidam, Apostolici nuncupati, de quibus Sanctus Augustinus, *lib. de Hæresibus c. 40.* proprium errorem sæculo 3. sparserunt dicentes, Christiano non licere aliquid proprium possidere: ideoque Apostolicos se nuncupabant, quia Apostolos (quos imitari falsò asserebant) nec pecuniam, nec aliquid proprium habuisse, nec aliquid in crastinum reservasse, imò nihil horum Apostolis licuisse, dicebant. Quare etiam *Apotactici*, hoc est, *Renuntiatores* vocabantur, nullum in suam communionem recipientes, qui omnibus, quæ possidebat, non renuntiasset. Hanc hæresim renovarunt, circa annum 1295. teste Alphonso de Castro *lib. 2. de Hæres. V. Apostolr. hæres. 2.* quidam Pseudoapostoli nuncupati, ducibus Gerardo Sagarello Parmensi, & Dulcino Novariensi; quibus tamen merito supplicio interemtis, error quoque interiit. Catholica tamen veritas semper fuit, possessionem, & dominium rerum temporalium, quovis tempore, & etiam in lege Evangelicâ licuisse, & licere.

IX. Dico. Rerum divisio, & dominium licitum fuit ante Christum, & post Christum adhuc licitum est Christianis. Prior pars constat exemplis. Tùm Abelis, qui justus erat, & tamen habebat gregem suum: quare primogenita gregis sui obtulit Deo, *Genes. 4. v. 4.* Tùm Abrahami, & Jacob, qui armenta, & greges multos propriâ industriâ comparatos possederunt. Deus insuper divisit terram Chanaam Israelitis, singulisque Tribubus partem suam divisit: quod certè non fecisset Deus, si rerum divisionem, & dominium non approbasset.

X. Secunda pars, quòd etiam post Christum liceat Christianis rerum divisio, & dominium, constat primò. Quia, ut *Dub. præced.* ostendimus, Christus ipse saltem in communi cum Apostolis loculos, & pecuniam habebat, quibus necessaria ad victum sui, & Apostolorum emebantur, ut constat; *Joan. 4. & 13.* Secundò. *Lucæ 19.* Zachæus dives solùm dimidium bonorum suorum pauperibus erogaverat, & dimidiam retinuerat sibi: & tamen ob hoc non reprehenditur, sed, *v. 9.* respondit ei Jesus: *Hodie salus domui huic* (idest Zachæi) *facta est.* Tertiò. *Marci 14. v. 7.* dixit Christus: *Semper enim pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere.* Sed quomodo possent Apostoli illis benefacere, nisi habuissent de suo? Forsan de alieno? Absit. Non enim eleemosynam de alieno facere licet; ergo licuit Apostolis proprium habere. Quartò. Nullo unquam tempore necesse fuit, ut qui converterentur ad fidem, abjicerent divitias; ut patet ex Actibus Apost. & Epistolis S. Pauli. Referuntur quidem, ut supra notavimus, Christiani tempore Apostolorum agros suos vendidisse, & ante

pedes

pedes Apostolorum posuisse, ut in communi viverent: sed hoc non ex præcepto, sed voluntariè, ut modò Religiosi, fecerunt. Tandem ut notat S. Tho. 3. Contra Gent. c. 127. Apostolus 1. ad Timoth. ultimo: *Divites non condemnat, sed eis certam regulam divitiis utendi tradit dicens:* Divitibus hujus seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) benè agere, divites fieri in bonis operibus &c.

§. III.

Contraria Solvuntur.

XI. PRimò objicies S. Basilium in Serm. ad divites avaros, super illud Lucæ 12. *Destruam horrea mea*, dicentem: *Sicut qui præveniens ad spectacula prohiberet advenientes, appropriando sibi, quod ad communem usum ordinatur, similes sunt divites, qui communia, quæ præoccupaverunt, æstimant sua esse:* sed qui alios præveniens prohiberet à communi spectaculo, injustè ageret; quia contra jus naturale est, præcludere viam aliis in communibus bonis; ergo à pari.

XII. Respondeo ex D. Thom. 2. 2. *qu. 66. a. 2. ad 2.* dist. min. Injustè ageret, quia præveniens alios, nego min. Quia prohibens alios à communi spectaculo, conc. min. *Ille* (inquit S. Doct.) *qui præveniens ad spectacula præpararet aliis viam, non illicitè ageret: sed ex hoc illicitè agit, quòd alios prohibet. Et similiter dives non illicitè agit, si præoccupans possessionem rei, quæ à principio erat communis, aliis etiam communicet. Peccat autem, si alios ab usu illius indiscretè prohibeat.* Unde per hoc damnatur abusus dominii, non usus.

XIII. Hoc, ut meliùs percipiatur, noto cum S. Thom. ibi *in corp.* Quòd circa res exteriores duplex potest esse proprietas. Una quantùm ad possessionem, quæ est potestas procurandi, & dispensandi: & quantùm ad hoc licitum est, ut homo propria possideat, estque necessarium ad humanam vitam, propter tria. Primò. Quia magis per hoc procurantur, & dispensantur res: magis enim solliciti sumus circa propria, quàm circa communia. Secundò. Quia ordinatiùs, & sinè confusione tractantur res, si singulis immineat propria cura alicujus rei procurandæ: esset autem confusio, si quilibet indistinctè quælibet procuraret. Tertiò. Quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur: dum unusquisque de re sua contentus est.

Altera proprietas est quantùm ad usum: ita ut quis existimet, de bonis, quæ possidet, nulli alteri esse tribuendum. Et hoc hominis avari vitium est. Nam, ut ait S. Doct. quantùm ad usum: *Non debet homo habere res exteriores, ut proprias, sed ut communes; ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostol. dicit* 1. ad Timoth. ult. *Divitibus hujus seculi præcipe, facilè tribuere, communicare de bonis &c.* Et *ad* 3. ait: Quòd cum *Ambrosius dicit*, Serm. 64. Nemo proprium dicat, quod est commune, *loquitur de proprietate quantùm ad usum*.

XIV. Secundò objicies, & replicabis. S. Tho. 2. 2 *q. 66. a. 1.* docet, res exteriores subjacere humanæ potestati, quantum ad usum, soli autem divinæ potestati quantùm ad naturam: ideoque solus Deus potest eam mutare; ergo homo non habet dominium supra illas. Conf. prob. Quia homo habet tantùm usum, & custodiam vitæ suæ, non est dominus vitæ suæ, neque potest vitam sibi tollere; ergo si homo rerum exteriorum habet tantùm usum, & procurationem, non potest de illis disponere, eas à se auferendo, neque erit earum dominus.

XV. Respondeo, neg. conf. Vult enim solùm S. Tho. quòd solus Deus potest rerum exteriorum naturam mutare

tare omnibus modis, creando, in nihilum redigendo, & aliquid supra earum naturam in eis operando. Sed homo nihilominus dominium habet super illas, quia potest in multos usus, imò & in omnes lege permissos eis uti: ita ut si animatæ sint, possit eis vitam auferre. Et ratio est; quia sunt propter hominem facta. Hoc autem dominium non habet homo supra propriam vitam: *Quia vita* (ait S. Tho. 2. 2. q. 64. a. 5.) *est quoddam donum divinitus homini attributum, & ejus potestati subjectum, qui occidit, & vivere facit. Et ideo qui se ipsum vitâ privat, in Deum peccat: sicut qui alienum servum interficit, peccat in dominum, cujus est servus: & sicut peccat ille, qui usurpat sibi judicium de re sibi non commissâ. Ad solum enim Deum pertinet judicium mortis, & vitæ secundùm illud, Deuteron.* 32. Ego occidam, & ego vivere faciam.

XVI. Tertiò objicies. Ideo rerum divisio utilis, & bona esset, quia per illam servaretur pax in Republica, lites vitarentur &c. sed hoc meliùs haberetur, si omnia essent communia; ergo &c. Min. prob. primò. Nam videmus, omnes lites, & discordias oriri ex meo, & tuo; eo quòd quilibet intendit tueri, & defensare sua propria. Secundò. Non essent rapinæ, & furta, neque æmulationes, & odia; quæ regulariter proveniunt ex eo, quòd unus possidet plus alter minus. Non esset avaritiæ; quia hic amor inordinatus ex proprio ortum habet.

XVII. Hac ratione moti Socrates, & Plato statuerunt, in Republica communitatem esse servandam, non solùm in possessionibus, sed & in uxoribus. & filiis. Attamen

Respondeo, neg. min. ad primam probationem: non nego, ex meo, & tuo aliquas interdum lites oriri: sed quot magis orirentur, si omnes homines in communi viverent? Videmus enim, si duo fratres constituti sint hæredes à patre, non quiescere, donec hæreditatem communiter relictam inter se dividant, & in divisione rarissimè concordantur. Societates inter mercatores, inter peregrinantes communibus expensis iter agentes, in rationum, & expensarum redditione, & computu in lites terminant. Hujus exemplum habemus, *Genes.* 13. ubi refertur rixa inter pastores Abrahæ, & Loth, eò quòd communiter habitarent, & indistinctè curarent greges: cui vitandæ nullum aliud remedium fuit, nisi separatio, & divisio. Quæ autem & quanta rixa orta fuerit inter Jacob, & Liban, satis ostendunt *Genesis capita* 30. & 31. Quantò ergo majores rixæ, ac violentiæ essent inter Cives unius Civitatis, si omnium bonorum possessionem communem haberent?

Ad secundam prob. Dico, quòd stante humanâ avaritie, & habendi cupiditate ex peccato contractâ, multò plures essent rapinæ, & furta, quibus, quæ communia essent, sibi homines appropriare tentarent. — Nec deessent æmulationes, & odia. Quod ostendo hoc discursu. Si enim possessiones essent communes, oporteret eas colere. Vel ergo omnes colerent; & hoc esset impossibile: quia oporteret Majores majoribus officiis vacare, nempe, consulere, judicare, dominari, malos punire &c. aliter Respublica confunderetur. Oporteret ergo, ut solùm ab aliquibus Civibus colerentur, nempe, à minoribus, qui majoribus officiis inepti essent. Atqui hinc statim æmulationes, & odia orirentur. Nam Majores magis de fructibus agrorum vellent, quia digniores, & majoribus officiis deputati: minores autem plus vellent, quia plus in colendis agris laborassent. Unde lites, diffidia &c. Videatur Javellus, *Tom. 2. Epit. Lib. 2. Politic. Tract. 1. cap. 2. & Æconomica Christiana, Tract. 6. cap. 2.*

XVIII. Quartò objicies. Saltem Christiano viro non esse licitum proprium possidere. Primò. Quia, *Lucæ* 14. v. 33. ait Christus: *Qui non renuntiat*

nunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: sed esse discipulum Christi, est esse Christianum; ergo qui non renuntiat &c. non potest esse Christianus.

Secundò. *Matth.* 19. Juveni cuidam Christum interroganti, quid faciendo vitam æternam possideret; respondit Christus, ut servaret mandata, cumque respondisset, se ea custodisse à juventute sua, & rogaret, quid adhuc sibi deesset; reposuit Christus, v. 21. *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus;* ergo ad vitam æternam consequendam, ultra observantiam mandatorum, requiritur abdicatio omnium, quæ possidentur.

Præterea: cùm hoc audito adolescens ille abjisset tristis: *Erat enim habens multas possessiones*, Christus ad suos conversus, ait v. 24. *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in Regnum Cælorum*. Cùmque Discipuli exterriti exclamarent: *Quis ergo poterit salvus esse?* Respondit: *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Ex quibus sic arguo. Qui possidet divitias, exponit se periculo amittendi vitam æternam, à quo nequit sinè miraculo eximi; sicut sine miraculo nequit camelus per foramen acus transire: sed qui tali periculo se exponit, à quo sinè miraculo liberari non potest, peccat: sicut peccat ille, qui cohabitat concubinæ in occasione proximâ peccati, à quo tamen posset eximi per miraculum; ergo &c.

XIX. Respondeo, neg. ant. Ad primam probat. expono verba Christi, sic. Qui non renuntiat, quoad rem, non potest &c. nego, quod hæc sit mens Christi. Qui non renuntiat, quoad affectum inordinatum, concedo. Sensus ergo verborum Christi est: qui non renuntiat præparatione, & affectu, nec paratus est amittere omnia temporalia, necessitudines omnes carnales postponere, vitam ipsam devovere, si salvâ fide, & pietate retineri nequeant; non potest officium implere Christiani, qui omnibus bonis temporalibus debet Christum, & animæ suæ vitam præferre. Et quòd hæc fuerit mens Christi, patet: quia dicta verba protulit occasione eorum, qui ad cœnam vocati, præ nimia terrenorum curâ, & amore, recusaverunt intrare.

XX. Ad secundam probationem, dist. similiter conseq. Abdicatio, quoad affectum, ut, nempe, homo paratus sit ob vitam æternam omnia temporalia dimittere, conc. conseq. Abdicatio, quoad actum, nego cons. Actualis enim, & voluntaria abdicatio temporalium, per se, solùm est instrumentum, & via ad perfectionem, ut docet S. Tho. 2. 2. *q.* 184. *a.* 3. & *qu.* 185. *a.* 6. *ad* 1. Quia verò deprehendit Christus, adolescentem illum non esse paratum dimittere bona temporalia propter æterna, sed pluris facere illa, quàm ista; ideo ineptum pronuntiavit esse regno Dei.

Hinc ad id, quod additur, respondetur, Christum ibi non loqui de divitibus, qui habent divitias, sed qui à divitiis habentur; quique divitiis serviunt, & earum amore parati sunt bona spiritualia omittere. Quasi diceret: æquè impossibile est, divitem cum amore, & cupiditate divitiarum inordinatâ salvari, ac camelum intrare per foramen acus. Non ergo divitiæ hominem exponunt periculo damnationis: multi enim divites fuerunt, simulque salvi sunt, & sancti: *Quin immo* (ut ait S. Tho. 2. 2. q. 185. a. 6. ad 1.) *potest esse summa perfectio cum magna opulentiâ. Nam Abraham, cui dictum est, Gen.* 17. Ambula coram me, & esto perfectus, *legitur fuisse dives*. Sed nimius, & inordinatus amor divitiarum, ut nimia spes in illis ponatur. Dum verò addit Christus, apud homines impossibile esse, quòd homo amans divitias salvus fiat; voluit indicare, esse impossibile homini viribus naturæ, esse tamen possibile viribus gratiæ. Unde subdit:

Apud

Apud Deum omnia possibilia sunt. Nec etiam ad deponendum divitiarum amorem tanta gratia necessaria est, quanta necessaria foret, ut camelus per foramen acus transiret; vel quis in occasione proximâ non peccaret. Nam ad hoc requireretur gratia extraordinaria: ad illud verò sufficeret gratia, specialis quidem, sed ordinaria. Non enim bona externa divitiarum adeo vehementer irritant sensum, quantùm delectationes venereæ.

XXI. Quintò objicies contra idem. Id vitæ genus viro Christiano licet, quod ab Apostolis, ac primitivis Christianis servatum est: atqui Apostoli, & primitivi Christiani, exemplo Christi in communi vivebant: unde omnes habentes prædia vendebant, & pretia ante pedes Apostolorum ponebant, ut ex Actibus Apost. *cap.* 4. supra ostendimus; ergo &c.

XXII. Respondeo in primis, quòd non omnes, adhuc tempore Apostolorum, qui ad fidem veniebant, divitiis renuntiabant; sed aliqui solum majoris perfectionis studio. Alii verò divitias retinebant: verum quidem est, quòd nimio earum amore non tenebantur; sed partem non modicam in Fidelium pauperum levamen erogabant. Hinc ex Fidelium eleemosynis formabantur collectæ, quæ in Jerusalem mittebantur, de quibus Paulus, 1. *Cor.* 16. *v.* 1. *&c.* Propterea idem Paulus, 1. *Corinth.* 7. *v.* 30. non præcipit Corinthiis, ut divitias abdicent; sed, ut qui *Emunt sint tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*, idest, ne nimio erga divitias amore ferantur. Et 1 *ad Timoth.* 6. scribit Timotheo, non ut divitibus abdicationem divitiarum intimet; sed ut in eis spem non ponant: *Divitibus hujus seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum &c.*

XXIII. Responderi etiam potest cum Javello, Economicæ Christ. *Tract.* 6. *c.* 2. quòd Christianus populus in duplici statu considerari potest. Nimirum in primo, ut fuit temporibus Apostolorum; & in secundo, qui incæpit post Apostolos, eorumque primos successores. In primo ergo statu decens erat, ut omnia bona inter Fideles essent communia. Tùm quia: recenti Christi, & Apostolorum exemplo commoti, majori perfectioni inhiabant. Tùm quia: eis erat cor unum, & anima una. Quo fiebat, ut unusquisque eo, quod sibi distribuebatur contentus esset, & bona communia quasi propria curaret. Verùm quia hujusmodi vivendi, forma, tractu temporis multiplicatis toto orbe Christianis, summè difficilis visa est; quia etiam repugnat appetitui sensitivo, qui vehementi cupiditate quærit quæ sua sunt; ac refrigescente caritate, Christianis proprium concedere generaliter prudens consilium fuit: rerumque communitas, & proprii abdicatio apud solos Monachos remansit, auctore S. Basilio apud Græcos, & S. Benedicto apud Latinos, quos subsequentium Regularium Ordinum Institutores imitati sunt. Et hic est secundus status, in quo, ut omnes vident, propter rationes superiùs allatas, rerum divisionem, etiam apud Christianos, locum habere congruum fuit.

DUBIUM V.

An etiam Viris Ecclesiasticis, imò & ipsi Ecclesiæ Proprium, ac Dominium Temporale habere Licitum sit?

§. I.

Errores circa Hoc.

I. Contra proprietatem, & dominium Ecclesiasticorum, & Ecclesiæ conclamant ad hæc usque tempora hæretici. Pauperes de Lugduno, qui & Waldenses à Waldone quodam Cive Lugdunensi nuncupati sunt, circa annum 1160. inter alios

alios errores, hunc afferebant, Sacerdotes pauperes esse debere, & solà contentos eleemosynâ: & quod Ecclesia Romana sub Sylvestro defecerit, cùm venenum possessionum temporalium in Ecclesiam infusum est.

II. Hunc errorem inter plures alios adoptavit Wicleffus, natione Anglus, anno 1375. Afferebat enim primò. *Contra Scripturam esse, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones, & ditare Clerum esse contra regulam Christi.* Secundò. *Sylvestrum Papam, & Constantinum Imperatorem errasse, Ecclesiam ditando.* Tertiò. *Quòd Imperator, & Domini seculares seducti sunt à Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.* Quartò. *Quòd Papa cum omnibus Clericis suis possessiones habentibus, sunt hæretici; eo quòd possessiones habent: & consentientes eis, omnes videlicet domini seculares, & cæteri laici.* Quintò. *Quòd Augustinus, Benedictus, Bernardus, damnati sunt, nisi pœnituerit de hoc, quòd habuerunt possessiones.* Aliaque impudentissimus homo evomuit, cui libenter subscripsere Lutherus, Calvinus, Henricus VIII. Angliæ Rex: quorum præcipuus furor in Civitatibus, Provinciis, ac Regnis eorum hæresi contaminatis, fuit Ecclesias, & Ecclesiasticos bonis spoliare. Attamen dogma Catholicum est, posse Ecclesiam, virosque Ecclesiasticos bona temporalia possidere.

§. II.

Resolutio Prior.

III. Dico primò. Ecclesiæ, & Ecclesiasticis viris absolutè licitum est habere proprium, & rerum temporalium possessionem. Constat primò ex jam dictis. Vidimus enim, Apostolos Ecclesiasticorum normam, unà cum Christo aliquid, saltem in communi, possedisse. Nam Judas omnium nomine loculos habebat, quibus eorum victui necessaria emeret; & pauperibus eleemosynam erogaret, ut habetur *Jo.* 13. *v.* 29. & superiùs expendimus. Ex quo S. Augustinus Tract. 62. in Joann. *Habebat ergo* (inquit) *& Dominus loculos, & à Fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentiis tribuebat. Tunc primùm Ecclesiastica pecuniæ forma est instituta: ubi intelligeremus, quod præcepit, non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servetur à Sanctis: sed ne Deo pro ista serviatur, & propter inopiæ timorem justitia deseratur. Nam & Apostolus imposterum providens, ait: Si quis Fidelis habet viduas, sufficienter tribuat eis, ut non gravetur Ecclesia, quo veris viduis sufficere possit.* Idest ne earum alimoniis gravetur Ecclesia; ut iis viduis, quæ omni subsidio destitutæ sunt, sustentandis sufficiat. Idem constat ex illo *Joann.* 4. *v.* 8. ubi dicitur, quòd *Discipuli abierant in Civitatem ut cibos emerent.* Habebant ergo pecuniam propriam, quâ suis, & Christi necessitatibus subvenirent.

IV. Secundò prob. Sacerdotes veteris legis habebant possessiones, & agros: nam *Josue* 21. postquam populus Israel adeptus fuit terram promissionis, Levitica Tribus, unde Sacerdotes sumebantur, ex præcepto Domini accepit ab aliis Tribubus quadraginta & octo Urbes ad habitandum, cum suburbanis ad alenda pecora sua: decimas etiam omnium terræ nascentium, & omnium pecudum accipiebant Levitæ. Si ergo hoc licebat Levitis, cur non licebit Sacerdotibus novæ legis; cum hoc non legatur à Christo interdictum, imò suo, & Apostolorum exemplo, vel comprobatum, vel saltem permissum? Si enim Paulus, 1. *Timoth.* 3. exigit ab Episcopo hospitalitatem, benè regere domum suam; quomodo hospitalitatem exercere posset, qui nihil proprium haberet? Quomodo domus suæ curam gereret, ac ei provideret, qui nihil possideret?

V. Hinc utrique Ecclesiæ Orientali, &

li, & Occidentali, post Apostolorum, usque ad Constantini tempora, sua fuerunt bona, posita primò in oblationibus, & collectis; deinde in agris, prædiis, patrimoniis, quibus Ecclesiam donabant Fideles. Unde Constantinus Lege Imperiali, quam refert Eusebius, *l. 2. de Vita Constantini c.* 39. Statuit, quæcumque bona Ecclesiis erepta, etiam fisco applicata, Ecclesiis restitui: *Neque enim* (inquit) *vel fisco concedetur, si quid eorum, quæ supra dixi, possideat, id firmiter retinere .... omnia ergo, quæ ad Ecclesias recte visa fuerint pertinere; sive domus, ac possessio sit, sive agri, sive horti, sive quæcumque alia; nullo jure, quod ad dominium pertinet imminuto, sed salvis omnibus, atque integris manentibus, restitui jubemus*. Quibus apparet, jam ante Constantinum, sub Imperatoribus Ethnicis, Ecclesiam bona possedisse; quæ postea pius Imperator munificentissimè auxit, ut omnibus compertum est. Imò eâdem lege *c.* 36. statuerat, bona Martyrum, si nullus cognatus superfit, jure hæreditatis ad Ecclesias devenire. Quibus moti multi bona sua Ecclesiis obtulerunt; & ipse S. Gregorius Nazianzenus omnia sua Ecclesiæ suæ legasse legitur: sicut & S. Ambrosium omne aurum, & argentum Ecclesiæ, vel pauperibus contulisse, prædia verò sua donasse Ecclesiæ, scribit Paulinus in ejus vita. Ubi duo consideranda occurrunt. Unum, quod viri Ecclesiastici sanctissimi prædia, & bona possidebant: alterum, quòd ea Ecclesiæ legarunt. Ergo bona possidere, tùm Ecclesiæ, tùm Ecclesiasticis viris non est illicitum. Ut enim ait S. Thomas 2. 2. q. 185. a. 6. ad 2. *Stultum videtur dicere, quòd tot Sancti Pontifices, sicut Athanasius, Ambrosius, & Augustinus, illa præcepta transgressi fuissent, si ad ea servanda se crederent obligati*.

VI. Ratio S. Thomæ citati hæc est. Si Episcopi, Pastores, aliique Ecclesiastici proprium habere non possent; hoc esset, vel ex præcepto, vel ex voto eorum statui annexo: sed neque adest præceptum: *Vivere enim absque proprio supererogationis est: non enim cadit sub præcepto, sed sub consilio. Unde Matth. 19. cùm dixisset Dominus adolescenti*: Si vis ad vitam ingredi serva mandata, *postea superaddendo subdit*: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. *Non autem Episcopi in sua ordinatione ad hoc se obligant, ut sine proprio vivant. Neque etiam vivere absque proprio, ex necessitate requiritur ad pastorale officium, ad quod se obligant; ergo non tenentur Episcopi ad hoc, quòd sine proprio vivant*. Hæc S. Thomas.

VII. Quia verò bona, quæ possunt habere Ecclesiastici, triplicis generis possunt esse. Primò. Patrimonialia, qualia sunt quæ vel hæreditate, vel industriâ, vel donatione, vel alio modo, ut laici, acquirunt. Secundò. Quasi patrimonialia, quæ acquirunt non ratione Beneficii, sed dicendo Missas, audiendo Confessiones, assistendo Choro, docendo, agendo Vicarias temporales. Tertiò. Merè Ecclesiastica, ut sunt ea, quæ recipiuntur ratione Episcopatus, Canonicatus, vel alterius Beneficii. Quæ adhuc sunt in quintuplici differentia. Primò. Quædam sunt immobilia, ut villæ, castra, prædia, & alia hujusmodi à Fidelibus donata Ecclesiæ. Secundò. Annui redditus deputati pro aliquo in Ecclesia agendo. Tertiò. Sunt decimæ. Quartò. Oblationes quotidianæ. Quintò. Bona utensilia, ut Sacræ vestes, Calices, ornamenta.

VIII. Idcirco sciendum primò: quod in bona patrimonialia Clerici, si non sint Religiosi voto paupertatis adstricti, habent verum dominium. Nam ut dicebamus cum S. Thoma, per Clericatum, nec fiunt incapaces dominii, nec intendunt se abdicare dominio. Idem dicendum puto de bonis quasi patrimonialibus: quia hæc dantur, vel per modum eleemosynæ sub certo onere, vel per modum stipen-

 dii,

dii, seu mercedis pro labore, vel pro assistentia, uti sunt quotidianæ distributiones: eadem enim de his ratio censenda est, ac de stipendiis pro aliis ministris, juxta illud Pauli 1. Cor. 9. v. 7. *Quis militat suis stipendiis unquam?* Nec refert, quòd aliquando excedant laborem: nam liberè ad hoc instituta sunt à Fidelibus.

Idem dicendum est de fructibus, quos percipiunt de bonis, sive immobilibus, sive de gregibus, sive decimis, sive oblationibus, saltem quoad eam partem, quæ eorum honestæ sustentationi necessaria est. Id colligitur ex eodem Paulo, citato loco, ubi subdit: *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Sunt enim fructus, decimæ, oblationes merces, vel fructus servitii, & laboris. Unde pergit Paulus v. 10. *Quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Inde infert: *Si nos vobis spiritualia seminavimus; magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Quod Christus ipse dixerat, Matth. 10. v. 10. & Lucæ 10. v. 7. *Dignus est enim operarius cibo suo.*

IX. Sed difficultas est de ea parte fructuum, quæ non est necessaria personæ, vel statui, sed superflua.

In quo, Sententia, in qua conveniunt celebriores Theologi, & Canonistæ, est, Clericos illius partis redundantis non esse dominos, sed tantum dispensatores; ita ut ex justitia teneantur, eam in pias causas erogare, & si secus fecerint, teneantur ad restitutionem. Ita Covarruvias in *c. cum Officiis, de Test. c.* 3. citans alios plures. Quod Navarro extendit etiam ad pensiones ex redditibus Ecclesiæ; nam res transeunt cum suo onere. Et probatur: primò. Quia in Sacris Canonibus dicuntur bona Ecclesiastica donata Domino Deo ut patet 1. 2. *qu.* 2. *c. qui Christi.* Et *qu.* 1. *c. Res Ecclesiastica.* Secundò. Quia Ecclesia semper intellexit, bona hujusmodi pertinere ad pauperes; ad viduas, & alias pias causas, ut 12. q. 1. c. *Præcipuus*, & c. *Ex his*. Tertiò. Quia si essent domini, non prohiberentur de illis testari: at prohibentur jure Canonico. Quartò. Quia Canones vocant illos tantùm dispensatores, & non dominos, ut 16. q. 1. c. *Decimæ* 23. q. 7. c. *Quod autem*. Et Extravag. *de Donationibus* c. 2. Quintò. Quia in aliis Canonibus vocantur raptores, & interfectores pauperum, qui ejusmodi superflua non elargiuntur, ut dist. 42. c. *Ordinamus* & 12. q. 2. c. *Gloria*. Tandem quia Fideles ea conditione dederunt bona sua Ecclesiæ, & Ecclesiasticis, ut ex superfluis alerent pauperes.

X. Quia tamen præfata sententia videtur rigida, temperandam esse judico cum D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *a.* 7. Quòd bona Ecclesiastica, alia sunt distincta pro tali, vel tali usu: alia sunt confusa, relicta nimirum Episcopo, vel Clerico absque ulla distinctione, vel speciali obligatione: *Si ergo* (inquit S. Thom.) *distincta sint bona, quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda; & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum ministrorum, aut in cultum divinum expendenda: non est dubium, quin contra fidem dispensationis agat, & mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur.*

Loquens autem de his, quæ suo usui deputata sunt, ait: *De his autem, quæ specialiter sunt suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis: ut scilicet, propter immoderatum affectum peccet quidem, si immoderatè sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum caritatis.* Ex quibus infertur, Clericos dominos esse fructuum Beneficiorum sibi assignatorum; & peccare quidem, si eos non expendant in pios usus, quoad superfluum, sed ad restitutionem non teneri.

Si vero

Si verò (pergit S. Thomas) *non sunt prædicta bona distincta, eorum distributio fidei ejus committitur: & si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bona fidei detrimento: quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet. Si verò sit multus excessus, non potest latere: unde videtur bonæ fidei repugnare. Et ideo non est absque peccato mortali.* Non dicit autem teneri ad restitutionem.

§. III.

An Romanus Pontifex habere possit Dominium Temporale?

XI. NEgant hæretici, præsertim Calvinus, Petrus Martyr, Magdeburgenses. Et dicunt primò. Jure divino Pontificem, seu Ecclesiam Romanam nullum habere dominium temporale. Dicunt secundò. Non licuisse Pontifici, aut aliis Episcopis accipere temporale dominium in Urbes, ac Provincias, quod modò habent, sive dono, sive usurpatione. Primum ergo illis concedimus: neque enim sumus in sententia aliquorum, volentium Pontifici Romano, & Ecclesiæ jure divino dominium temporale competere, ut infra dicetur. Cæterùm

XII. Dico secundò. Non repugnare juri divino, quòd Pontifex, & Ecclesia simul cum spirituali habeat etiam dominium temporale: ideoque justè, & licitè illud exercet supra Urbes, & Provincias, aliaque bona, quæ possidet. Prima pars probatur. Nusquam enim id legitur lege divinâ prohibitum. Nam in lege naturæ Melchisedech fuit Rex, & Pontifex, *Genes.* 14. *v.* 18. & *Hebr.* 7. *v.* 1. Item in lege scriptâ Moyses, Heli, Machabæi præter jurisdictionem spiritualem, & Sacerdotium, etiam temporalem habuerunt. In lege autem Evangelicâ nullum adest præceptum Christi vetans Ecclesiæ, & Sacerdotibus suis temporalium dominium: nullum Apostolorum, vel Conciliorum decretum id vetans: nullo voto possessionum juri renuntiavit Ecclesia, aut ministros suos renuntiare jussit. Imò quotquot Imperatores, & Principes, qui bona temporalia Pontifici Romano, & aliis Episcopis, nec non principatus temporales donarunt, ut Constantinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius; tanquam pii commendantur. E contra verò, qui ejusmodi principatus eisdem eripere conati sunt, ut Haistulphus Rex Longobardorum, Henricus IV. & V. Otho IV. Fredericus I. & II. qui Ecclesiæ terras invaserunt, tanquam injusti ab omnibus reprehenduntur. Recolenda sunt, quæ supra diximus §. præcedente.

XIII. Secunda verò pars probatur. Si enim licitè Ecclesia, & Romanus Pontifex bona sibi donata ab Imperatoribus acquisivit; ergo justè, ea retinet ac gubernat. Quis enim vetuit Ecclesiæ, bona sibi ex Principum, aut aliorum largitate donata, acceptare? Fortè quia Christus, Lucæ 14. v. 33. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus?* At hæc erat instantia Juliani apostatæ, qui bona etiam patrimonialia Christianis auferens, dicebat: Christus vester dicebat in Evangelio: qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet non potest meus esse discipulus. Deinde Joseph ab Arimathæa dicitur fuisse dives, & nihilominus discipulus Jesu pronuntiatur. *Matth.* 27. *v.* 57. Lazarus, & sorores dicuntur fuisse divites, & possessores castelli; & nihilominus Christus illum, & istas amicitiâ suâ dignatus est, nec opes renuntiare coegit. Sed quid plura? Christiani omnes discipuli Christi esse debent; & numquid omnes his, quæ possidebant renuntiant? Imperatores, Reges, dum ad fidem veniebant, retinebant imperia, & discipuli erant. Et ipsi hæretici Protestantes, qui (licet falsò) se Christi Discipulos jactant, cur omnibus, quæ possident, non

non renuntiant? Si ergo hoc non creditur esse præceptum factum omnibus Christianis; ergo nec fuit factum Apostolis, licèt essent Christi discipuli; ergo nec fuit factum Pontifici Romano, & Episcopis: qui etsi retineant ea, quæ possident, non desinent esse Christi discipuli.

XIV. Dicit Calvinus, *l.* 4. *Inst. c.* 11. §. 8. & 9. officium Episcopi, ac Pastoris separatum fuisse ab officio Principis; cùm *Matth.* 20. *v.* 25. & *Lucæ* 22. *v.* 25. Christus dixit: *Reges Gentium dominantur eorum .... vos autem non sic.*

Quod in se demonstravit, *Lucæ* 12. *v.* 14. cum cuidam petenti: *Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*; respondit: *Quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?*

Hoc quoque Apostoli impleverunt, dum, *Act.* 6. *v.* 2. dixerunt: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.*

XV. Nego tamen, priori loco Christum voluisse separare officium Pastoris ab officio Principis; ita ut in nullo ex suis ista conjungi nequirent: sed illis verbis instruere voluisse Apostolos, tanquam Pastores, ut non præsint subditis more dominantium, sed more patrum erga filios. Quod clariùs expressit S. Petrus, Ep. 1. c. 5. v. 3. *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontanee ... Neque ut dominantes in Cleris, sed ut forma facti gregis ex animo.*

Nego pariter, utrumque locum, quod posteriùs affert Calvinus, probare id, quod ipse intendit. Sed solùm ibi monentur Pastores, & Principes; ne minutioribus officiis ita occupentur, ut omittere cogantur majora. Hoc modo Jethro cùm vidisset Moysen tota die sedere ad judicandum, prudenter eum admonuit; non quidem, ut deponeret principatum secularem, & servaret solum Ecclesiasticum: sed ut constitueret minores judices, qui ipsum in levioribus causis adjuvarent, & ipse circa graviora occuparetur. De hoc aliqua dixi in Vera Ecclesia *Tom.* 1. *c.* 4. §. 4. per totum, quæ Studiosus adire poterit.

§. IV.

Objectiones Contra Præfata.

XVI. OBjicies primò. Christus, *Mat.* 10. *v.* 9. Apostolis, ait: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas &c.* Et Matth. 6. v. 34. *Nolite* (inquit) *soliciti esse in crastinum.* Quibus verbis in Apostolis omnes Ecclesiasticos, & eos præsertim, qui Apostolis in munere successerunt, alloquitur; ergo si Apostolis interdicitur possessio auri, & argenti &c. hæc interdicitur etiam Ecclesiasticis, maximè Pastoribus.

XVII. Hisce testibus abutebantur olim Apostolici, & Pseudoapostoli hæretici, & adhuc abutuntur Protestantes. Ad primum ergo respondit S. Th. 2. 2. q. 185. a. 6. ad 2. *Quòd verba illa Domini possunt tripliciter intelligi. Uno modo, mysticè, ut non possideamus neque aurum, neque argentum: idest, ut Prædicatores non innitantur principaliter sapientiæ, & eloquentiæ temporali. Ut Hieronymus exponit super illud Matth.* 10. Neque duas tunicas.

Alio modo, sicut Augustinus exponit in lib. 2. *de Consensu Evang.* cap. 30. *Ut intelligatur, hoc Dominum non præcipiendo, sed magis permittendo dixisse. Permisit enim eis, ut absque auro, & argento, & aliis sumtibus ad prædicandum irent, accepturi sumtus vitæ ab his, quibus prædicabant. Unde subdit:* Dignus est enim operarius cibo suo. *Ita tamen, quòd si aliquis propriis sumtibus uteretur in prædicatione Evangelii, ad supererogationem pertineret, sicut Paulus de seipso dicit,* 1. *ad Cor.* 9.

Tertio modo, secundùm quòd Chrysostomus exponit (homil. 2. in illud Rom. 16. Salutate Priscillam) *ut intelligatur, illa Dominum præcepisse discipulis quan-*

quantùm ad illam missionem, quâ mittebantur ad prædicandum Judæis, ut per hoc excitarentur ad confidendum de virtute ipsius, qui eis absque sumtibus provideret. Ex quo tamen non obligabantur ipsi, vel successores eorum, ut absque propriis sumtibus Evangelium prædicarent. Nam & de Paulo legitur 2. ad Cor. 11. quòd ab aliis Ecclesiis stipendium accipiebat ad prædicandum Corinthiis: & sic patet, quòd aliquid possidebat ab aliis sibi missum. Stultum autem videtur dicere, quòd tot Sancti Pontifices, sicut Athanasius, Ambrosius, & Augustinus, illa præcepta transgressi fuissent, si ad ea servanda se crederent obligari. Ita S. Tho.

XVIII. Qui hæc omnia pulchrè exponit *Quolib.* 12. *a.* 19. *ad* 2. his verbis: *Verba Matthæi tripliciter exponuntur: Hilarius, & Ambrosius exponunt secundùm sensum mysticum, dicentes:* Nolite portare aurum &c. *idest, nihil in spiritualibus ministeriis auro vendatis:* non duas tunicas, *idest, non duplicem animam habeatis. Alii exponunt ad litteram. Et una expositio est Augustini, qui dicit, quòd illa verba non dicuntur per modum præcepti, sed permissionis: ita quod, qui non servat, non peccat, & qui servat meliùs facit; ut sit sensus:* Nolite portare, *idest, quando istis ad prædicandum, nolite soliciti esse de expensis, quia debentur vobis à populo:* Dignus est enim operarius &c. *Quasi diceret: ideo permitto, quòd non portetis, quia digni estis accipere ab aliis, quibus prædicatis. Paulus hoc non servavit, & tamen contra regulam hanc non fecit, sed supererogavit. Alia expositio est aliorum Sanctorum, qui dicunt, quòd hæc dicta sunt præceptivè: sed hoc præceptum datum est, non ad semper servandum, sed ad primam missionem. Bis enim eos misit, scilicet ante Passionem Judæis, & post Resurrectionem Gentibus. In prima dixit eis:* In viam Gentium ne abieritis. *In secunda dixit:* Docete omnes gentes. *In prima mandavit, quòd prædicta servarent, non autem in secunda. Et ratio hujus est: quia in prima solùm mittebantur ad Judæos, apud quos consuetum erat, quòd magistri eorum ab eis sustentarentur: & ideo sinè scandalo poterant accipere, & uti potestate sibi concessâ. Apud verò Gentiles non erat hujusmodi consuetudo; quia apud eos non erant hujusmodi prædicatores: & ideo fuisset in eis scandalum, & visum fuisset eis, quod pro quæstu Apostoli prædicarent: & ideo Paulus hoc præceptum non servavit in Gentibus. Et ideo Dominus in secunda missione dixit:* Nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.

XIX. Ad id, quod secundò additur ex *Matth.* 6. dico, ibi non prohiberi aliquid servare in crastinum. Primò. Quia Christus, & Apostoli pecuniam secum portabant, unde Judas loculos habebat, ut dictum est. Secundò. Quia Christus, satiatis quinque millibus hominum, jussit colligi fragmenta, *Joann.* 6. *v.* 12. Quid autem colligi jussisset si nihil servandum esset in crastinum? Tertiò. 1. *Cor.* 16. Apostolus fieri in Sabbato collectas jubet, ut inde egentibus distribuerentur. Nec tamen omnia, quæ colligebant, eâdem die dividebant; sed aliquid pro necessitatibus sequentium dierum servabatur. Unde ait, v. 2. *Per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei benè placuerit.* Actorum 11. v. 28. Cùm instaret fames per Agabum prædicta, quæque postea sub Claudio evenit; dicitur quòd discipuli prout quisque habebat, proposuerunt singuli mittere ad subveniendum indigentiæ fratrum. Demum cùm Paulus Romam ad Cæsarem, ad quem appellaverat, ex Asia navigaret, *Act.* 26. & 27. nunquid aliquid alimenti pro via non recepit? Nec tamen pro uno solo die, cum non uno die posset navis ex Asia Romam transmeare.

XX. Igitur dixit Christus: *Nolite solliciti esse in Crastinum*, ad amovendam à cordibus eorum solicitudinem; unde non dixit nolite servare, sed

Noli-

Nolite soliciti esse. Potest autem aliquid in crastinum servari absque solicitudine: imò cùm jam servatum est pro crastino abit omnis solicitudo, ut jam ei non sit amplius cura de crastino, sed de Deo. Vel dicit: *Nolite soliciti esse:* ne scilicet Deo propter terrena ista adhæreamus, & Deum curæ, ac solicitudini terrenorum postponamus. Vel, ne hæc primò quæramus, sed Regnum Dei: unde præmisit, v. 33. *Quærite ergo primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

XXI. Objicies secundò. Non minùs à Deo distrahit possessio divitiarum, & terrenorum cura, quàm status conjugalis: sed ne Ecclesiastici à Deo distrahantur, arceantur à statu conjugali; ergo etiam à possessione divitiarum.

Respondeo, neg. maj. Magis enim per se, & ex natura suâ à Deo dividit status conjugalis: quia vir debet adhærere uxori. Ait enim Paulus, 1. Cor. 7. v. 33. *Qui cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est:* debet filiorum educationi incumbere, familiam procurare; præterquam quod munditiam corporalem tollit, actus spirituales impedit &c. Quod de possessione terrenorum non currit. Ecclesiasticus enim vir ea possidere potest, ac debet; non ut illis adhærens, neque ut cor in illis figens, nec ut in illis thesaurizans: sed ut utens eis ad sui sustentationem, & ut aliorum indigentiis provideat. Quare Ecclesiastici, qui divitias habent, tanquam non habentes esse debent, & eas de facili proximo egenti dispensare. Quod si secùs fecerint, ut non rarò contingit, Ecclesiasticos viros magis divitiis inhiare, quàm laicos: hi Christi concessione abutuntur. Et pro istis non stamus.

XXII. Objicies tertiò. Ecclesiastici in nova lege correspondent Levitis in veteri: sed Levitæ possessiones non habebant: Josue enim 13. ubi legitur terræ promissionis facta divisio, Tribui Levi nulla portio assignata fuit. Dicitur enim, v. 33. *Tribui autem Levi non dedit possessionem, Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus.* Hoc idem legitur, *Numer.* 18. *Deuteron.* 18. *Ezech.* 44. ergo &c.

Respondeo, neg. min. Ut enim supra dicebamus, Tribui Levi datæ fuerunt Civitates, agri, armentaquæ possidebant. Ita enim præceperat Dominus, Numer. 35. v. 2. *Præcipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis: Urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum: ut ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus, ac jumentis.* Quod legitur fuisse impletum, Josue 21. v. *Dederuntque filii Israel de possessionibus suis juxta imperium Domini, Civitates, & suburbana earum.* Non igitur præcepit Deus, ne Levitæ quidquam possiderent; sed noluit, eos habere portionem ab aliis Tribubus separatam, quomodo aliæ Tribus habebat, in quibus pars unius erat à finibus alterius exclusa. Levitæ autem, earumque urbes, & suburbana, sicut etiam conjugia, debebant singulis Tribubus communicare; ut possent singulas docere legem Dei, & judicia ejus: quod non adeo faciliter fieri potuisset, si Levitæ portione, & habitatione ab aliis Tribubus sejuncti fuissent. Et ad hanc formam hodie possessiones suas habet Ecclesia in omnibus Regnis. Ubi enim quodvis Regnum propriis finibus circumscribitur, aliudque excludit: Ecclesia per omnia Regna, sicut Sacras, & Spirituales functiones exercet; ita etiam pro suis Ministris in omnibus Regnis bona temporalia sibi constituta habere debet, ac possidere.

XXIII. Objicies quartò. Cùm Valentinianus Imperator lege sanxisset, & ad Damasum Papam misisset, quâ Clericis, & Monachis interdicebat, ne quid, sive donatione, sive testamento à devotis mulieribus acciperent, sive per se, sive per subjectam personam; & quòd si quid contra

hanc

hanc legem donatum esset', fisco addiceretur, ut habetur *L. 20. de Episcopis, & Clericis, Cod. Theodos.* hujusmodi lex nedum improbata non fuit, sed maximè laudata à SS. Ambrosio, *Ep. 31. ad Valentinianum*, & Hieronymo, *Ep. 2.* modò *34. ad Nepotianum*. Eâ ergo tempestate sentiebant Patres, Clericos, ac Monachos à terrenorum possessione arcendos esse.

XXIV. Respondeo, neg. conf. Præfati enim Patres legem Valentiniani laudant, non quia censerent Clericos, & Monachos possidere, aut sibi testamento legata acquirere non posse; sed laudant, quia latam ad frænandam hypocrisim, & avaritiem Monachorum, & Clericorum: qui eo tempore sub pietatis fuco avaritiem tegentes, viduarum domos adibant, easque inducebant ad donationes, & legata de bonis suis sibi facienda: non sinè gravi Fidelium scandalo, & damno eorum, ad quos jure sanguinis bona illa pertinebant. Hinc S. Ambrosius laudatus Clericos increpans: *Possessio* (inquit) *Ecclesia sumtus est egenorum. Numerent, quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi subsidia ministraverint. Prædia igitur intercepta, non jura sunt.* Et S. Hieronymus ait: *Pudet dicere, Sacerdotes Idolorum, mimi, & aurigæ, & scorta hæreditates capiunt; solis Clericis, & Monachis, hoc lege prohibetur. Et prohibetur non à persecutoribus, sed à Principibus Christianis: nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem.* De hac lege fusè tractat Baronius, *ad ann. Christi 370. num. 118. &c.* videndus.

DUBIUM VI.

Quid, & Quotuplex sit Possessio: Quomodo Acquiratur, & Deperdatur.

§. I.

Quid sit Possessio.

I. Possessio (sinè quâ saltem regulariter non acquiritur in re dominium) secundùm aliquos à *Pedum sessione* dicitur, *Leg. 1. ff. de Acquirenda possessione*. Quia potissimus actus, quo rerum immobilium (quæ propriè *res* dicuntur) possessionem acquirimus, est positio pedum intra ipsas. Secundùm alios vero derivatur à *Pos*, antiquo nomine, quod est idem, ac *Potens*, *& sedeo*, quasi *Cum potestate sessio*. Quidquid autem sit de possessionis Ethymologia.

II. Possessio in genere rectè definitur, quòd sit: *Detentio rei corporis, & animi, jurisque adminiculo.* Ita ex *Leg. 1. ff. de Acquirenda, vel amittendâ possessione*. Dicitur *Detentio*, sive justa, vel iuris; sive injusta, vel facti solùm, ut videbimus. Dicitur *Rei*, sive corporalis, sive spiritualis. Nam etiam circa res incorporeas, ut Beneficia, & Dignitates; imò etiam supernaturalem, ut Gratiam, & Gloriam, possessio dari potest. Dicitur *Corporis, & animi adminiculo*. Quia ad possessionem acquirendam, nec sufficit solus animus, seu intentio possidendi; sed etiam requiritur, ut quis rem aliquo modo corporali, ut manibus, pedibus, oculis, aut alio modo à jure constituto apprehendat. Nec sufficit sola detentio, aut apprehensio corporis (quæ à Juristis appellatur detentio Asinina) aliàs quæcumque quis pedibus calcaret, aut manibus apprehenderet, eorum possessionem acquireret: sed requiritur ulteriùs animus, & intentio rem illam faciendi suam, & ut suam detinendi,

nendi, hoc est suo nomine, & auctoritate. Unde Tutor, Depositarius, Commodatarius non sunt propriè possessores rei pupillaris, depositæ, commodatæ; quia non habent animum illas proprio, sed alieno nomine detinendi.

III. Porro hæc corporis, & animi apprehensio non requiritur ad continuandam rei possessionem, sed solum ad possessionis inchoationem. Unde qui jam, per præsentiam corporalem, alicujus rei possessionem accepit; etsi præsens rei possessæ non semper sit, continuatur in possessione, per solam animi detentionem. — Neque requiritur ad ineundam possessionem, ut omnes partes rei possessæ corporaliter apprehendantur; sed sat est, ut apprehendens possessionem domus, eam intret. — Neque requiritur, ut possessor in propria personâ possessionem acquirat; poterit enim hanc acquirere, & detinere per procuratorem, colonum, servum, filium, *ex Lege Generaliter, ff. de Acquirenda possessione*, his verbis: *Quisquis nostro nomine, nobis volentibus, fit in possessione, veluti procurator, amicus, hospes, nos possidere videmur.*

Tandem dicitur *Juris adminiculo*. Ad quod non requiritur, ut jus positivè faveat; sed sufficit, ut jus positivè non resistat, & talis rei detentionem non reddat inefficacem ad consequendos fructus. Quare non excluduntur ab hac definitione possessiones injustæ, & malæ fidei.

§. II.

Quotuplex sit Possessio.

IV. POssessio rectè dividitur primò in justam, sive in possessionem juris, & facti simul; & injustam, sive in possessionem facti tantùm. Prima est: *Insistentia, seu detentio rei, tanquam suæ, cum jure detinendi*. Secunda verò est: *Insistentia, seu detentio rei, tanquam suæ, sinè jure detinendi*. Differunt autem in hoc; quòd possessio justa provenit ex legitimo, & justo titulo, & parit potestatem, ac jus rem detinendi, idest, contra quemcumque invasorem mediis à jure permissis defendendi: ideoque dicitur possessio facti, & juris simul. E contra injusta possessio nullum tribuit jus insistendi rei possessæ, eamque detinendi: et ideo dicitur possessio facti tantum.

V. Sed dices. Ex dictis possessio debet esse, jure non resistente: sed possessioni injustæ jura resistunt; ergo possessio injusta non est membrum possessionis.

Respondeo, dist. min. Quatenus injusta est, co. min. Quatenus est talis rei possessio, nego min. Possessioni ergo injustæ, quatenùs injustæ, jura resistunt; ideoque ex injusta possessione non oritur jus detinendi, sed potiùs obligatio illam legitimo domino restituendi. Quatenus tamen est possessio juridicè facta, jura non resistunt. Sit exemplum: si quis vi, aut fraude alienum agrum invadit, possessio est injusta; quia est contra jus naturale, & positivum, quibus vis, & fraus prohibetur: nihilominus est possessio juridica, quia ager non est materia ipso jure prohibita possideri, sicut sunt divinæ, & res sacræ respectu laicorum. Unde licèt injustus possessor teneatur ad agri restitutionem: ex tali tamen possessione aliquos effectus juris reportat: nempe, quòd non possit etiam ab ipso domino, sinè publicà auctoritate ex agri possessione exturbari.

VI. Dividitur secundò possessio in naturalem tantùm, civilem tantùm, & naturalem, ac civilem simul. Naturalis tantùm est, quæ fit corporaliter detinendo rem, quam alius civiliter possidet. Civilis tantùm est, quæ solo animo rem detinet; licèt enim ad capessendam possessionem corporalis apprehensio requiratur, ad possessionem tamen retinendam sufficit animus rem detinendi. Naturalis

verò,

verò, & civilis simul est rei, quæ corpore, & animo, nullo alio civiliter possidente, detinetur. Ex his ultima est possessio omnium perfectissima: secunda perfecta: prima verò imperfectissima. Rem declaro exemplo. Titius ex agro, quem civiliter, & naturaliter possidebat, egreditur, nullo relicto custode: tunc Titius desinit agrum possidere naturaliter, non tamen civiliter, quia censetur habere animum retinendi. Interea Cajus agrum Titii occupat: sic Cajus dicitur agrum possidere solùm naturaliter, quamdiu Titius animum retinet, nec deposuit agrum recuperandi. Quòd si Titius animum etiam agrum recuperandi despondeat; Cajus mox incipit esse possessor tam civilis, quàm naturalis illius agri.

VII. Ex his colligitur: posse simul dari duos possessores eiusdem rei in solidum, sub diversa tamen ratione; videlicet, unum naturalem, alterum civilem; sicut in eandem rem unus potest habere dominium directum, & alius utile: non tamen duos possessores ejusdem generis, & rationis, *Lege 3. §. Ex contrario, ff. de Acquirenda vel amittendâ possessione*, sic: *Ex contrario plures eandem rem in solidum possidere non possunt: contra naturam quippe est, ut cùm ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris.*

VIII. Quæres: Quænam sint privilegia possessionis?

Respondeo, præcipua esse quatuor. Primum, quòd possessio, si sit bonæ fidei, parit præscriptionem, & mediâ prescriptione parit dominium. — Secundum, quòd si oriatur dubium circa dominium rei, melior est conditio possidentis, & pro illo ferenda est sententia: quia in pari casu ei favendum est, qui habet specialem titulum, sicut habet possessor. — Tertium, in judicio non incumbit possessori dominium rei probare, sed alteri, qui talem rem repetit; quia possessio secum affert præsumtionem dominii. Quartum, quod licèt possessori suam possessionem etiam armis tueri, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et hoc non solùm verum est de possessione naturali, ut si alius vellet te è domo ejicere, vel pallium à tuis humeris tollere; sed etiam de possessione civili: ut si rediens ad tuam domum, eam videres ab injusto invasore occupatam, potes armis eum repellere: quia hoc non est invadere alium, sed tuam possessionem tueri, *Leg. 3. ff. de Vi, & vi armatâ*, *C. Olim de restit. expoliatorum*. & Lessius, *lib. 2. c. 3. dub. 14.*

§. III.

Quot Modis Aquiratur, vel Amittatur Possessio.

IX. Circa primum respondeo, communiter tribus modis acquiri possessionem: apprehensione verâ, apprehensione fictâ, & legis constitutione. Apprehensio vera est, quæ in re corporeâ fit, manibus, si sit mobilis, ut pecunia; pedibus, si sit immobilis, ut domus, vel ager. Apprehensio ficta est actus, qui constitutione, & acceptatione juris habetur pro vera apprehensione, ejusque loco substituitur: ut si accipias possessionem domus per traditionem clavium, vel instrumenti; vel agri, per eius ostensionem. Legis autem constitutio est modus acquirendi possessionem, solâ legis dispositione, absque ulla corporis, vel animi verâ, aut fictâ apprehensione.

X. Quæres primò: Quandonam requiratur vera apprehensio?

Respondeo, apprehensionem veram requiri, & fictam non sufficere. Primò. Quando acquiritur possessio bonorum, quæ domino carent, & fiunt primò occupantis ea, ut sunt feræ, thesauri, pisces, gemmæ &c. Unde *L. 2. Inst. tit. 1. num. 13. §. Illud*, si quis feram vulneraverit, & eam non ceperit, non censetur illam possidere, neque suam facere. — Secundò. Cùm depositarius vult vi, vel

clam depositum possidere: tunc debet illud apprehendere, & loco movere, *Leg. 3. Si rem, ff. de Acquir. possess.* — Tertiò. Ut hæres acquirat possessionem bonorum defuncti; quia domino carent, à quo tradantur, *Leg. 2. ff. de Acquir. possess.* Si tamen res aliqua capi consuevit, non per se, sed per aliquid sui, ut equus per capistrum, vinum per dolium; ad veram apprehensionem sufficit, si illud capiatur per illud, per quod capi consuevit.

XI. Quæres secundò: Quando, & quibus modis contingat apprehensio ficta?

Respondeo, fieri septem sequentibus modis. Primò. Per ostensionem, & visum rei. Unde Lege: Quod meo, ff. de Acquir. possess. *Si venditor è turri demonstret fundum, vacuamque se tradere possessionem dicat; non minus possidere capi, quàm si pedes finibus intulissem.* — Secundò. Per traditionem scripturæ continentis titulum, & jus possessionis: quia talis scriptura rem ipsam continere censetur, *Leg. 1. cap. de Donat.* — Tertiò. Per traditionem clavium ad eum locum, in quo res in contractum deductæ servantur, verbi gratia horrei, cellæ vinariæ &c. Sic, *Leg. Clavibus 74. ff. de Contr. emp.* — Quartò. Per appositionem custodiæ rei, quam quis intendit possidere, domino consentiente. — *Lege: Quarumdam rerum S. de Acquir. possess.* — Quintò. Si ab illo, ad quem transfertur res, obsignetur per se, vel per alium, ex *Lege Quod si neque 14. ff. de Periculo, & commodo rei venditæ* — Sextò. Per clausulam constituti: hoc est, cùm antiquus possessor, facto contractu, constituit se possessorem nomine illius, cui rem alienat, *Leg. Quod meo, & Leg. Qui bona fide ff. de Acquir. possess.* — Septimò. Si is, qui rem alienat, sibi reservat usumfructum rei alienatæ, *Leg. Quisquis. Leg. Si quis argentum, §. Sed si quidem. C. de Donat.*

XII. Quæres tertiò: Quandonam possessionem conferat sola legis dispositio?

Respondeo. In Hispania, solâ legis dispositione quis succedit in possessione Majoratus, absque ulla corporis, vel animi verâ, aut fictâ apprehensione; imò nesciente eo, qui in possessionem introducitur. Ex *Lege 45. Tauri*, apud Covaruvias, *lib. 3. Variarum, cap. 5. nu. 6.* Et in Gallia, docet idem Auctor, hæreditas defuncti transit immediatè ad possessionem legitimi successoris, per ipsam mortem possidentis, absque ullo actu apprehensionis: ideoque hæc possessio vocatur Civilissima, estque præter jus Commune introducta: neque propriè ipsi convenit definitio possessionis supra data.

XIII. Si quæras autem quartò: Quomodo acquiratur possessio rerum, seu jurium incorporalium?

Respondeo, comparari, seu acquiri per usum ejusmodi juris cum scientia, & patientiâ prioris possessoris; vel per immissionem in fundum, in quo est servitus, factam à possessore animo cedendi possessionem. Sic Molina, *disp.* 4. & alii. Ubi tres conditiones requiruntur. Prima. Ut qui utitur jure aliquo, intendat, & credat, se uti jure suo. Secunda. Ut fiat sciente, & permittente possessore, vel illo, cujus interest ejusmodi usui resistere. Tertia. Ut non possit præsumi, quòd ille usus fuerit concessus ex gratia, & liberalitate antiqui possessoris; sed credatur proprio jure exercitus. Quare ad comparandam alicujus juris possessionem, aliquando unus actus sufficit, aliquando plures requiruntur. Unus actus sufficit, si sit talis naturæ, ut prudentum judicio non soleat concedi ex gratia: ut si quis Canonicæ electioni cum voce, & suffragio interfuerit, juxta Caput *Cum Ecclesia de Causa possessionis &c.* Multò plures autem actus requiruntur ad comparandam servitutem itineris per alienum fundum; quia ejusmodi iter sæpiùs concedi solet ex gratia.

XIV. Circa secundum verò, nempe, modos amittendi possessionem, Respondeo primò. Possessionem rerum mobi-

mobilium, sive immobilium, sive civilem, sive naturalem amitti ipsâ voluntate, & animo rem possessam cedendi, aliquo exteriori signo manifestatâ; ut si eam alteri donet. In pupillis tamen, & furiosis, non sufficit animus etiam manifestatus possidentis; sed requiritur consensus Tutoris, & Curatoris, *Leg. Possessione. Lege: Si id, ff. de Acquir. possess.*

XV. Respondeo secundò, quoad res mobiles possessionem amitti. Primò. Per furtum, & rapinam. Secundò. Per amissionem rei, ut bursæ, vel auri. Tertiò. Per fugam, si sit animal non habens consuetudinem revertendi. Possessio autem servi per ejus fugam non amittitur, *Leg. Pomponius. 13. ff. de Acquir. & amitt. possess.* Quartò. Si res alterius custodiæ concredita, ut depositum, commodatum, detineatur animo non restituendi, sed detinendi ut suam, *Leg. 3. Possideri, ff. de Acquir. possess.*

XVI. Respondeo tertiò, rerum immobilium possessionem deperdi. Primò. Per longam possessoris absentiam, qui nec per se, nec per alium rei insistat, aut non protestetur, se nolle dimittere possessionem. Quodnam verò tempus longum judicetur: alii decennium arbitrantur, alii plus, alii prudentum judicio relinquunt. Secundò. Si sciens, rem suam ab alio esse possessam, illam negligat recuperare. Tertiò. Si res ita ab alio sit occupata, ut non sit probabilis recuperatio; vel etsi ad recuperandum insistat, repulsus non audeat resistere. Quartò. Per longam oblivionem, *Leg. Furtum, ff. de Usucapionibus.* Vel si nesciat, rem illam esse suam, vel eam inter sua bona non computet; quia tunc animi adminiculo eam non detinet. Quintò demum. Si de rei recuperatione desperet: ut si illa sit occupata à nimis potente, si aquis mersa, vel continuò inundata.

XVII. Ex usque modò dictis, patere potest, magnam esse differentiam inter acquisitionem possessionis, & dominii: distincta enim sunt, separabilia, & diversos effectus, & actiones juris pariunt. Unde actio, quæ est de dominio, & proprietate rei, dicitur *de Petitorio*: quæ vero est de possessione, dicitur *de Possessorio*. Et neque acquisitâ rei possessione, idcirco acquiritur dominium, nec illâ amissâ perditur dominium: sicut nec acquisito dominio, eo ipso quoque acquiritur possessio.

QUÆSTIO VI.

De Modis Acquirendi Dominium.

Post factam communi hominum consensu, & iure Gentium rerum divisionem, atque ideo dominiorum acquisitionem; res acquisitionis dominii capaces, sunt in triplici differentia. Vel enim actu sunt dominio alicujus subjectæ; vel etiamnum sunt indivisæ, seu necdum occupatæ; vel dominum aut possessorem, quem habebant, amiserunt. Dominium rerum primæ conditionis traditione, & translatione acquiri, certum habemus. At res secundæ, & tertiæ conditionis variis modis, juxta Legisperitos, sub dominio veniunt: puta occupatione (cujus species sunt venatio, aucupium, piscatio) inventione, alluvione, accessione, commixtione, formatione, usucapione, seu præscriptione. De his in præsenti quæstione agendum erit.

DUBIUM I.

De Venatione, Aucupio, Piscatione.

§. I.

De Animalibus Mansuetis.

I. Venatione capiuntur feræ, piscatione pisces, aucupio aves, quæ omnia animalia sunt. Ex his tamen alia sunt naturâ suâ mansueta, ut oves, gallinæ, canes &c. alia

alia naturâ fera, & sylvestria: & ex his aliqua interdum mansueta facta, ut cervi, falcones, aliaque venatione, aut aucupio capta, quæ hominum industriâ mansuescunt. Alia suæ naturali libertati relicta, ut feræ in sylvis, & montibus, pisces in lacubus, in fluminibus, in mari. Alia verò conclusa, ut pisces in stagnis, & piscinis, feræ, & aves in aliquo certo loco clausæ. Hìc de animalibus venatione capi solitis tantùm agemus.

II. Dico primò. Animalia domestica, & ex natura suâ mansueta, etsi egrediantur è custodia sui domini, & longiùs abeant, non eximuntur ab ejus dominio. Ita habetur *Instit. L. 5. §. Gallinarum, ff. de Acquir. rerum dominio*. Et ratio est. Quia illa sola animalia fiunt primò occupantis, quæ libera sunt: sed ejusmodi animalia, utpote ex natura suâ domestica, & intra moralem potestatem sui domini constituta, non censentur libera; ergo &c. Quare ovis ex lupi faucibus erepta, quamvis mortua, est suo domino restituenda, per legem citatam.

III. Dico secundò. Animalia naturâ suâ fera, sed hominum industriâ mansuefacta, tamdiu manent sub dominio sui domini, quamdiu habent consuetudinem redeundi, vel quæsita facili negotio reduci possunt: amissâ verò consuetudine revertendi, & spe ea recuperandi, fiunt primò capientis. *Inst. §. Pavonum de Rer. divis.* & ratio eadem est. Quia in priori casu non censentur extra potestatem moralem sui domini constituta, suæque libertati naturali reddita. At in posteriori judicantur ad nativam libertatem rediisse, ac nullius domini esse; ac proinde fiunt primò capientis. Quare animalia è vivariis fugentia, si non sit spes redeundi, eaque recuperandi, fiunt primò capientis, ut si perdices, aves, phasianæ avolent: si ex alluvione, vel rupta crepidine, pisces ex stagno, vel piscina in flumen transeant; si rupto, vel transcenso muro cervi, damæ in sylvam fugiant; tunc enim redeunt ad naturalem libertatem. E' contra peccaret contra justitiam, qui ejusmodi animalia piscinis, septis, vivariis, caulis conclusa caperet: si quidem ut sic jam sunt occupata, & habent pro domino illum, qui ea ibi conclusit.

§. II.

De Feris Sylvestribus.

IV. Dico tertiò. Animalia sylvestria, quæ domino carent, fiunt primò occupantis; & tamdiu manent in ejus dominio, quamdiu intra illius custodiam coercentur. *Leg. 3. 4. & 5. ff. de Acquir. rer. domin.* Et *§. Feræ, Instit. de rer. divis.* Et ratio est. Quod enim nullius est, fit primò occupantis; occupatio enim possessionis vim habet: & hoc ipso quòd quis rem nullius occupat, acquirit jus super illam ab alio independens.

V. Dices. Contingere potest, ejusmodi animalia sylvestria capi in fundo alieno: sed tunc videntur esse sub dominio domini illius fundi; ergo non fiunt primò capientis. Min. probatur. Nam dominus illius fundi potest justè prohibere, ne quis feras, aut aves in suo fundo capiat; ergo habet jus &c.

VI. Respondeo, neg. min. ad probat. dist. conf. Habet jus in fundum, conf. In feras, nego conf. Potest quidem dominus fundi prohibere, ne quis ingrediatur suum fundum ad capiendas feras, vel aves ratione dominii, quod habet in fundum; non verò supra aves, vel feras ejus fundum ingressas. Quare si quis contra mandatum domini ingrederetur ejus fundum, ibique feras, aut aves caperet, sibi caperet; neque eas domino fundi restituere teneretur, sed solùm damnum, si quod intulit, in tali fundo ex venatione. Sic *Leg. Quod enim. ff. de Acqu. rer. domin.* ubi dicitur: *Neque inte-*

Interest, quoad feras, bestias, & volucres, utrum in suo quisque fundo capiat, an in alieno.

VII. Hinc fit, quòd cùm flumina alienum fundum operiunt, pisces, qui ibi capiuntur, non sunt domini fundi: sed sunt capientis, licèt possit fundi dominus prohibere ingressum. Si tamen illius fundi fructus constaret ex venatione, aucupio, vel piscatione; tunc qui contra domini voluntatem ingressus caperet, vel feras, vel aves, vel pisces, non faceret suos; sed domino fundi eos, sicut & cæteros fundi fructus restituere teneretur. Ex *Leg. Venationem*, & *Leg. 3. §. Cum feras, ff. à Acquir. possess.*

VIII. Infertur etiam, quòd animalia, quæ in circumseptis saltibus magnæ amplitudinis, & vastitatis continentur; ita ut nunquam capta, vel quasi capta, sed suæ libertati relicta censeantur; nondum sunt sub dominio domini saltus, quamvis solus ibi venandi jus habeat: sed fieri ea primò capientis. Quod etiam dico de piscibus lacuum magnæ amplitudinis, à quibus aqua, nec deduci, nec pisces pro libito extrahi possunt. Ex *Leg. 3. §. Cùm feras, ff. de Acquir. possess.*

IX. Quæres primò: An apes sint animalia sylvestria, ita ut si fugiant, fiant capientium?

Respondeo, feras sylvestres esse decerni *Instit. de Rer. divis. §. Apium*, & *Leg. Naturalem, §. Apium*. Ubi dicitur: *Apium quoque fera natura est*. „Itaque quæ in arbore nostra consederunt, antequam alveo à nobis concludantur; non magis nostræ esse intelliguntur, quàm volucres, quæ in arbore nostrâ nidum faciunt. Ideo si alius eas incluserit, dominus earum erit. Favos quoque, si quos hæ fecerint, sinè furto quilibet possidere potest. Sed, ut supra quoque diximus, qui in alienum fundum ingreditur, potest à domino, si id præviderit, jure prohiberi, ne ingrediatur ..... Examen, quod ex alveo nostro evolaverit, eòusque nostrum esse intelligitur, donec in conspectu nostro est, nec difficilis est ejus persecutio; alioquin occupantis fit.

X. Quæres secundò: Quid dicendum sit, si fera ab uno vulnerata sit, ab alio vero capta?

Respondeo, quòd aut vulnus est lethale, & sufficiens, ut fera capiatur: & vulnerans persequitur feram cum morali certitudine eam capiendi: & tunc fera est vulnerantis. Nam moralis apprehensio, & occupatio feræ fit etiam medio instrumento, quo quis facit, ne extra suam potestatem elabi possit; ut si illam gladio, vel jaculo confodiat. Si verò vulnerans, vel non lethaliter feram percussit, vel non persequitur feram, nec proinde habet moralem spem illam capiendi, pertinebit ad capientem: siquidem à nullo alio priùs occupata censetur, sed in sua libertate manens. Utrumque colligitur ex *§. Illud quæsitum est, Inst. de Rer. divis.* Ubi Imperator decernens, quòd fera ab uno vulnerata, & ab altero capta, non sit vulnerantis, sed capientis, hanc causam dat: quia multa accidere possunt, ut eam non capiamus; ergo quòd fera capientis sit, non vulnerantis, procedit in casu, quo vulnerans non sit in morali certitudine feram capiendi; si autem in morali eam capiendi certitudine sit, non capientis, sed vulnerantis erit. Addit Molina, *de Just. & Jure, disp. 42.* quòd si percussio non sit solùm occasio, sed causa, ut feræ ab alio capiatur; æquitas naturalis postulat, ut pro quantitate causæ eam inter se dividant.

XI. Quid autem dicendum erit de fera, vel ave in laqueum lapsâ? Erit ne eam capientis, an ejus, qui laqueum aut rete posuit?

Respondeo, ex *leg. In laqueum, ff. de Acquir. rer. domin.* videri, eam esse adjudicandam capienti. Aliqui tamen distinguunt (& distinctio videtur colligi ex eadem lege) Vel enim fera,

puta aper, inhæret laqueo, aut reti, ut expedire se non possit; & tunc est ejus, qui laqueum posuit: quia censetur ab illo jam detenta, & occupata. Vel luctando poterat se expedire, antequam veniret qui laqeum posuit: & tunc fera fit capientis. Alii verò dicunt, hanc legem esse consuetudine contrariâ abrogatam; ut scilicet fera illius sit, qui rete posuit. Quo circa venatorum usus, & praxis est attendenda.

XII. Quæres tertio: Quid de columbis dicendum sit?

Certum est, non licere columbas in columbariis capere, ubi proprium dominum habent, qui suis eas alit expensis. Neque fas est, eas capere intra spatium permissum, dummodo à propriis dominis alantur: secus autem si à propriis dominis non alantur, & alienos agros devastent. tunc enim & capi, & occidi posse à domino agrorum, pro compensatione damni illati, sustinet, inter alios, Gabriel à S. Vincentio, *de Just. & Jure*, *disp.* 4. *q.* 1. — Nec tamen quisque sibi licitum faciat columbas vicini, vel alterius domini occidere, quolibet prætextu damni sibi illati; nisi damnum sit grave judicio prudentum. Quia si columbæ aliquando bona grana capiunt, etiam sæpe nociva auferunt; impediuntque, ne herbæ, & semina inutilia plurimùm augeantur, & segetes suffocent. Addo: quòd aliâ viâ, quàm eas occidendo, vel capiendo, possunt columbæ à propriis agris arceri; exponendo nimirum in agris linteamina appensa, vel alia signa, quibus deterreantur.

Neque dicas, nimia esse damna, quæ à columbis inferuntur; ideoque posse eas absolutè vel capi, vel occidi. — Dico enim, quòd estò propter hoc aliqui sentiant, columbaria esse illicita, oppositum tenendum est. Quia licèt interdum columbæ grana satorum comedant, comedunt etiam, ut dicebam, grana noxia. Imò remotis columbariis graviora damna sequerentur. Nam nisi in eis detinerentur, columbæ adeo multiplicarentur, ut agros devastarent: nec enim possent ita facilè capi vel, occidi.

XIII. Intellige tamen, columbas è columbario egressas non posse occidi, cum duplici limitatione. Prima. Si habeant consuetudinem ad suum columbarium revertendi. Si enim consuetudinem ad illud revertendi amiserint, præsertim noctu; censentur propriam libertatem sibi vindicasse, & fiunt primò occupantis. Secunda est. Si non nimis procul à columbario discedant: alioquin censentur nativæ libertati restitutæ, & factæ communes. Unde in Regno Castellæ columbæ discedentes per unam leucam à columbario, fiunt primò occupantis.

XIV. Cæterum qui columbaria nutriunt, licèt possint uti illis seminibus, quæ columbarum sustentationi aptiora sunt; peccarent tamen mortaliter, & ad restitutionem tenerentur, qui cibis uterentur, vel odoribus, aliisque artificiis eos miscerent, quibus columbas ex aliis columbariis attraherent; vel quibus alienæ columbæ inescatæ consuetudinem amitterent ad proprium columbarium revertendi: quia sic fraude, ac dolo auferretur ab aliis suarum columbarum dominium. Si verò quis sinè fraude alienas columbas attraheret; quia nimirum meliùs suas aleret, vel meliorem stationem aptaret, nullius criminis reus esset. Hoc idem censerem, si aliquam industriam quis adhiberet, vel commnunum cibo, aliudque misceret; non ut alienas columbas attraheret, sed ut suos columbario assuefaceret, ne ad alia avolarent. Hoc enim hisce in Regionibus moris esse didici.

§. III.

§. III.

Quomodo Venatio, Aucupium, & Piscatio fieri possint Illicita.

XV. Illicita fieri potest animalium captura. Primò ex parte personæ. Sic Ecclesiasticis interdicitur clamorosa venatio, præsertim frequens, & immoderata, *Cap. 1. & 2. de Clericis venatoribus*. Monachis quoque, *Clemen. Ne in agro, de statu Monachorum*, §. *Porro à venationibus*. Venatio autem clamorosa est, quæ fit canum, & armorum strepitu. Hoc enim dedecet statum Ecclesiasticum: & rursus quia occasio daretur, ut bona, quæ sunt in pauperes eroganda, in canibus, accipitribus &c. alendis expenderentur. Rectè tamen advertit Medina, *de Restit. qu. 12.* quietam, & minimè tumultuosam venationem, modicam tamen, sinè scandalo, & vitæ periculo, honestæ recreationis causâ Clericis non interdici. Et Clemens V. *cap.* citato, §. *Porro* id permittit Monachis, si eorum Monasteria vivaria, aut saltus possideant, in quibus feræ sint, vel jus venandi in alienis agris habeant. Dummodò tamen *Infra Monasteria, seu domos, quas inhabitant, aut eorum clausuras venaticos canes non teneant, nec venationi præsentiam exhibeant personalem* — Piscationem verò etiam in fluminibus apertis, aut mari Clericis non interdici, ex eo colligi videtur; quòd Apostoli, etiam postquam Christum secuti sunt, piscationem exercuerunt, *Joann. 21. v. 3.*

An autem Clericis cum strepitu canum, & armorum venantibus interdicatur: negativè sentirem, si tamen moderatè, & sinè scandalo fiat; nec bona pauperibus tradenda in alendis canibus, & accipitribus dissipentur. Secus tamen affirmativè tenendum censeo: quia Canones sic venantes Clericos gravibus pœnis subjiciunt. Nam Episcopos jubent per tres Menses à communione suspendi, Presbyteros per duos menses; Diaconos verò ab omni officio: gravis autem pœna gravem culpam supponit. Pœnas autem præfatas, non latas, sed tantùm comminatas, censet Lugo cum aliis.

XVI. Illicita secundò fieri potest animalium captura ex parte loci: Ut si contra Domini voluntatem fiat in alieno saltu, agro, vel lacu: quia quilibet jus habet utendi suo fundo, ejusque usum aliis impediendi. In quo casu, ut supra dicebamus, capiens feram, non tenebitur ad restitutionem feræ captæ domino fundi; sed solùm ad compensationem damni, si quod intulit; (nisi fortè fera illa esset mansuefacta, vel animal in domini fundi potestatem redactum) — Quod pariter dico, si ille, qui prohibet venationem, solus habeat jus venandi sibi à Principe concessum. Nam per hoc, quòd sibi comparaverit jus venandi, non proinde acquisivit dominium ferarum ibi existentium: quia tamen jus illius læsit, qui solus habebat facultatem venandi, vel piscandi in tali loco; tenebitur compensare damnum, quod ei intulit.

XVII. Hinc fit, quòd Princeps ex potestate, quam habet exigendi à suis subditis, tàm ea, quæ ad sui competentem sustentationem necessaria sunt, quàm ad ejus decoram recreationem; potest prohibere aucupium, venationem, vel piscationem, non tantùm in locis suo particulari dominio, & proprietati subjectis; sed etiam potest loca ad dominium Communitatis, vel alicujus privatæ personæ pertinentia sibi reservare, ut sibi soli venari, aut piscari liceat. Ita Doctores communiter. Si tamen Princeps venatione damnum grave inferret domino prædii, teneretur illud compensare. Triplici verò titulo potest ab hujus compensationis debito Princeps excusari. Primò. Si prædia eorum, qui damnum patiuntur, cum tali onere fuerint data, vendita, aut in emphyteusim tradita; vel si esset terra bello justo

justo occupata, & cum tali onere distributa. Secundò. Quando Dominus prædii, vel ex contractu oneroso, vel non coactè, aut ex metu erga Principem; sed prorsus voluntariè, & liberè consentit in venationem. Tertiò. Si aliunde damnum à Principe compensatur: ut si feras occidendo plus profit agricolis, quàm obiit fata proterendo.

XVIII. Tertiò. Illicita redditur venatio ratione temporis. Si, puta, diebus festis, vel jejuniorum instituatur. *Can. An putatis dist. 86.* Quo tempore (advertit Lessius) venatio non per se, sed per accidens tantùm censetur prohibita; quatenus occasione ejus, vel ommittitur Sacri auditio, vel assistentia divinis officiis, vel jejunii observatio. Sic ex Can. citato, & Lessio, *lib. 2. cap. 5. dub. 9.*

XIX. Quartò. Illicita potest reddi venatio, quia perniciosa bono communi. Ut si fiat tempore, quo feræ sunt gravidæ, vel quo aves nidificant: quo tempore venatio, & aucupium solent prohiberi. Rursus si piscatio fiat piscium nimis minutorum, vel per injectionem escæ, quâ pisces moriantur, & aquæ inficiantur.

XX. Quintò. Illicita genericè, & contra iustitiam potest esse venatio, aucupium, & piscatio ex damnis, quæ privatis personis ex eas inferuntur. Ut si venatores alienos agros cultos ingredientes, equis, canibus, ac propriis ipsi pedibus sata proterant, ac dissipent, sepes disrumpant, vineas destruant, aliaque damna ingerant; ad quæ compensanda ex justitia tenebuntur.

DUBIUM II.

De Acquisitione Dominii super Bona Inventa, Domino Carentia.

§. I.

De Bonis Domino Carentibus in Genere.

I. Bona inventa domino carentia varii generis sunt. Quædam enim sunt, quæ in nullius unquam fuere dominio, ut gemmæ, vel margaritæ in mari, vel littore repertæ. Quædam insuper sunt, quæ aliquando habuerunt dominum; sed longo tempore habere desierunt. Et hæc sunt, primò. Quæ à multo tempore mari, vel fluvio submersa, fortuitò sunt extracta, vel ejecta. Secundo, Ea, quæ dominus non vult amplius habere in sua potestate, & vocantur *derelicta*: ut nummi, qui occasione alicujus diei solemnis in populum sparguntur.

II. Rursus: alia sunt bona in terræ visceribus nascentia, & latentia, ut venæ metalliferæ, & diversa mineralia: sunt præterea Thesauri inventi. Thesaurus autem definitur in Leg. *Nunquam, ff. de Acquir. rerum domin.* quòd sit: *Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.* Quare thesauri nomine intelligitur pecunia, aliave res mobilis pretiosa, ut torques aureæ, vel argenteæ, vasa, armillæ &c. Sunt demum bona, quæ habent dominum, ipsius tamen non habetur notitia, ut annulus aureus in via repertus.

De bonis hujus ultimi generis specialis quæstio erit, dubio sequenti. Hic de bonis prioribus modis, eorumque inventione sermo erit.

III. Dico ergo primò. Bona, quæ nullius erant domini, ut margaritæ inventæ in littore maris, & bona derelicta, fiunt primò occupantis ea. Pri-

Primum habetur, §. *Lapilli Inst. de r.r. divis.* secundum verò, §. *Qua ratione instit. eodem tit.* Et ratio est: quia, ut dicitur Leg. 3. ff. de. Acqu. rer. domin. *Quod nullius est, id naturali ratione conceditur occupanti* — Quod si petas: Cujus fient dicta bona? An primò videntis, an primò capientis. — Dico, quòd fiunt primò capientis. Non enim res solo aspectu acquiritur; sed vel apprehensione, vel alia exteriori actione ad acquisitionem dominii institutâ.

IV. Quæ autem sint censenda derelicta, si de domini intentione non constet, ex conjecturis dignosci debet: puta, si dominus rem perditam faciliter possit recuperare, & negligat. Vel si non possit, nisi cum magna, & insuperabili difficultate: vel si nullus, nomine ipsius, ad ea repetenda venturus existimetur: & ideo prudentis arbitrio censeatur, non habere voluntatem, ut sibi ea restituantur: talia bona haberi possunt pro derelictis.

V. Ex his infero, cum, urgente tempestate, merces projiciuntur in mare, vel tempore incendii bona aliqua in plateas dejiciuntur; illa bona non esse habenda tanquam derelicta: siquidem dominus nonnisi coactus illa projicit, & censetur servare voluntatem illa recuperandi. Quapropter excommunicantur in Bulla Cœnæ illi, qui bona Christianorum naufragantium surripiunt. Quam tamen censuram putat Lugo non afficere illos, qui verosimiliter existimant, dominum mercis, aut alium, ipsius nomine, nunquam rediturum ad eam recuperandam: tunc enim merces, & alia similia bona habentur pro derelictis.

Si quis tamen speciali industriâ, aut labore incendii, vel naufragii tempore bona alterius ab incendio, vel naufragio præservavit; etsi teneatur res illas domino suo restituere, quia non censentur derelictæ: potest tamen compensationem sui laboris, & periculi à domino exigere, & interea rem ereptam loco pignoris detinere. Ita Lessius, *lib. 2. cap. 5. dub. 18.*

Similiter: Si quis inveniat bona ex alluvione fluviorum asportata, ut sunt arcæ, dolia vini, & similia; si non longè asportentur, non censentur derelicta, sed debent domino suo restitui: compensato tamen labore, si quem impendit, in illis à flumine extrahendis.

§. I I.

De Mineralibus, & Thesauris.

VI. Dico secundò. Mineralia, & venæ metallicæ inventę in loco publico, jure naturæ pertinent ad inventorem. Et ratio est: quia quod nullius est, fit primò occupantis. Si verò inveniantur in fundo alieno, pertinent ad dominum fundi. Et ratio est: quia non minùs mineralia, & metalla adhærent terræ, atque ex illa virtute solis producuntur, quàm arbores, herba, creta, lapides: sed creta, lapidicina, fontes, arbores, herbæ pertinent ad dominum fundi, ceu partes ejus; ergo & mineralia.

Dixi, spectato jure naturæ. Nam de facto, & jure positivo humano solent mineralia cameræ Principis applicari. Et hoc fieri potuit. Vel quia ab initio agri fuerunt singulis ita distributi; ut mineralia reservarentur Principis dispositioni. Vel quia, per modum tributi, communi statuto voluerunt à subditis id exigere, ac sibi Principes reservare: sic bono publico petente, ne privati nimis potentes fiant, ut possint contra Principem rebellare.

VII. Dico tertiò. Jure naturæ, & Gentium absolutè spectato, Thesaurus inventus transit in dominium inventoris. Ratio est, quia quod nullius est: fit primò occupantis: at thesaurus censetur in nullius esse dominio: licèt enim sit in agro alterius, non tamen censetur esse pars agri, sicut sunt mineralia, & venæ metallicæ: unde non est ratio naturalis probans, eum esse domino fundi adjudicandum.

VIII. Dixi, spectato jure naturæ, & Gentium absolutè. Nam jure positivo, *§. Thesaurus, Inst. de Rer. divis. & leg. unica de Thesauris*, aliisque particularibus Regnorum, aut Provinciarium statutis plura circa thesauros sancita sunt. Primò. Ut thesaurus in proprio fundo repertus integrè cedat inventori. — Secundò. Si thesaurus fortuitò fit inventus in alieno fundo, etiam Principis, quoad dimidium spectet ad inventorem; quoad alterum verò ad dominum fundi. Utrumque docet S. Tho. 2. 2. *q.* 56. *a.* 5. *ad* 2. his verbis: *Quædam enim sunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicujus, sicut lapilli, & gemmæ, quæ inveniuntur in littore maris: & talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non extat aliquis possessor: nisi quòd secundùm leges civiles tenetur inventor dare medietatem domino agri, si in alieno agro invenerit. Propter quod in parabola Evangelii dicitur, Matth.* 13. *de inventore thesauri absconditi in agro, quòd emit agrum; quasi ut haberet jus possidendi totum thesaurum.* — Tertiò. Si ex industria fuit quæsitus, non requisito fundi domino, totum cedat domino fundi; quamvis inventor possit repetere expensas à se factas. — Quartò. Thesaurus arte magicâ repertus fisco cedit. *Leg. Nemo Cod. de Thesauris* — Quintò. Si quis sciens, in alterius agro latere thesaurum, neque domino manifestans, tantùm petat licentiam effodiendi agrum; debebit thesaurum taliter repertum totum domino fundi reddere: eo quia illa licentia, per errorem concessa, pro nulla habetur — E contra sextò. Qui, seclusâ hac reticentiâ, sub expressâ conditione quærendi thesaurum obtinuit licentiam effodiendi agrum absolutè, & absque ullâ reservatione, lucratur totum thesaurum repertum: quia dominus agri suam partem illi cessisse existimatur. Ita Molina *disp.* 56. post initium.

IX. An autem dictæ leges positivæ obligent in conscientiâ, dubitatur. Quidam enim censet, obligare solùm ad pœnam: quia servato jure naturæ, qui invenit thesaurum, invenit rem nullius domini, ac proinde potest illam servare, ut suam. Sed communius tenetur, illas leges etiam in conscientiâ obligare, quia non sunt leges puræ pœnales, sed dispositivæ.

X. Quæres tamen: Si fundus duos habeat dominos: unum proprietarium, alterum feudatarium, seu emphiteutam, cui adjudicanda erit illa pars thesauri, quæ domino fundi debetur?

Respondent Rebellus, & Molina, esse dividendam inter utrumque dominum. — Si tamen unus ex illis esset merè usufructuarius (vel fundum in locationem, commodatum, vel in pignus accepisset) nihil participaret de thesauro invento; quia thesaurus non est fructus fundi Sic, ex *Leg. Fructus* 8. *§. Si fundum, ff. Soluto Matrimonio!* Ubi marito fundi dotalis usufructuario pars inventi thesauri in fundo dotali denegatur.

XI. Demum. Si quis saccum avenâ plenum, in quo aurum lateat, vel panem, in quo sint nummi reconditi, ab aliquo ignorante, quod inibi lateat aurum, dono, vel pretio accipiat, non tenebitur ad restitutionem auri inventi. Quia prior dominus sacci, vel panis, cùm propter ignorantiam auri latentis, non intenderit aurum occupare, non efficitur dominus, sed ne quidem possessor ipsius. Is enim qui nescit, non possidet, *Leg.* 3. *§. Cæterum, ff. de Acquir. possess.*

DU-

DUBIUM III.

De Inventione Bonorum Incertorum.

§. I.

Quædam Præmittuntur.

I. Certum eſt primò: quòd rei amiſſæ inventor tenetur morali, & ſufficienti diligentiâ quærere rei inventæ dominum; quam ſi omittat, & dominus non compareat, adhuc non poteſt rem illam, ut ſuam retinere: ſed elapſo tempore debito, prudentum judicio tenetur rem illam erogare pauperibus, vel alicui pio uſui applicare. Ita communiter Doctores. Quia bona, quæ malâ fide, & ex delicto poſſeſſa ſunt, ſi non poſſunt reddi domino, applicari debent pauperibus, vel aliis piis uſibus, *ex Cap. Cum tu. De uſuris:* ſed inventor omittens debitam diligentiam inquirendi dominum, incipit poſſidere ex delicto, & numquam fit poſſeſſor bonæ fidei; ergo ſi dominus non compareat, tenetur ea bona erogare pauperibus &c.

II. Certum ſecundò eſt: ſi res inventæ, ſint Eccleſiæ, & non conſtet, cujus Eccleſiæ bona ſint, non eſſe inventoris; ſed tradenda eſſe Prælato Eccleſiaſtico, vel in alios Eccleſiæ uſus convertenda: quia quod ſemel Deo dicatum eſt, ad uſus humanos ulteriùs transferendum non eſt, *Cap. 51. de Reg. Jur. in 6.*

III. Tertiò certò certius eſt: quòd ſi inventori conſtet de domino rei inventæ, eam illi integrè reſtituere tenetur. Neque poteſt ſibi aliquid retinere, nec quidquam exigere pro rei inventione; quia inventio rei, quæ habet dominum, nullum jus præbet inventori, neque eſt digna pretio; niſi dominus, in ſignum gratitudinis, aut lætitiæ pro re inventa, aliquid ei velit largiri: hoc enim poteſt accipere. Si tamen inventor aliquas expenſas fecit pro re inventa cuſtodiendâ, puta, ſi res inventa ſit equus, vel aliud animal, in quo alendo ſumtus fecerit; poterit hos repetere, & rem in pignus detinere, donec ei à domino ſumtus compenſentur.

Quod in dubium vertitur eſt: an ſi adhibitâ debitâ diligentiâ, dominus nequeat inveniri, res inventa adhuc debeat erogari in pauperes: an poſſit ab inventore, ſalvâ conſcientiâ, retineri, eâque ad libitum uti, vel eam alienare tanquam ſuam.

§. II.

Refertur Prima Opinio.

IV. Prior ſententia, quam docent Scotus, in *4. diſt. 15. q. 2.* Cajetanus, Leſſius, Molina, Navarrus &c. aſſerit, rem inventam, etſi poſt moralem adhibitam diligentiam, dominus non compareat, eſſe ab inventore pauperibus erogandam; neque poſſe licitè eam ſibi retinere. Et citatur pro hac ſententia S. Tho. 2. 2. *q. 62. a. 5. ad 3.* & *q. 66. a. 5. ad 2.*

V. Fundamenta hujus ſententiæ ſunt. Primò. Quia conſuetudo, & praxis apud viros timoratos ita viguit, ut jam vim legis obtinuiſſe videatur.

Secundò. Quia res, quæ manet ſub prioris domini jura, ſi non poteſt reddi domino, debet expendi juxta ejus præſumtam voluntatem: ſed videtur præſumta domini voluntas eſſe, ut ſi non poſſit erogari in ejus temporale emolumentum, ſaltem expendatur in ejus animæ utilitatem, quod maximè fit, erogando eam in pauperes; ergo &c.

Tertiò. Quia in *Authent. Omnes peregrini*, ſtatuitur, ut ſi peregrinus inteſtatus deceſſerit, bona ipſius, ſi fieri poſſit, per manus Epiſcopi hæredibus tradantur, vel in cauſas pias erogentur.

Quartò. Ex cap. *Cum tu*, de uſuris, decernitur, uſuras reſtituendas eſſe iis, quibus extortæ ſunt, vel eorum hære-

heredibus, vel in amborum defectum erogandas esse in pias causas.

VI. Limitant hujus sententiæ Patroni suam doctrinam. Primò. Nimirum, si inventor sit pauper: tunc enim poterit rem inventam sibi applicare, vel in partem, vel etiam in totum, maximè cum consilio Confessarii.

Secundò. Si post legitimam in pauperes distributionem factam dominus compareat, nihil tenetur illi inventor restituere, quia jam facta est legitima applicatio: & domino intra præscriptum tempus non invento, in hæc bona pauperes successerunt, favente eis regula juris in 6. 58. *Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.*

Tertiò. Addunt aliqui, quòd si inventor, vel quia pauper, vel quia opinionem probabilem, quam subjiciemus, secutus fuit, rem inventam consumserit, domino comparenti restituere nihil tenetur. Quia nec ex injustâ actione, quæ nulla datur, ad hoc tenetur, neque ex re acceptâ, quæ non est: nisi fortè res in sua specie, vel in æquivalenti permaneret, quo inventor factus esset ditior. Tunc enim rem, si extat, domino comparenti restituere tenetur, vel id in quo factus est ditior; nisi tamen per lapsum temporis legitimè præscripserit. Idem dicunt de pauperibus, qui non tenentur bona inventa, inter eos legitimè distributa, domino comparenti, si non extant, restituere eâdem ratione.

VII. Sed quid si pauper, cui res inventa applicata est, eam in propria specie habeat, vel pretium ejus: tenebitur ne domino comparenti reddere?

Affirmant Palaus, Laiman &c. Quia concessio illa videtur facta cum hac tacitâ conditione, si dominus non compareat. — Negant tamen cum Navarro, Soto, Ledesma, & alii. Sentientes, eum non teneri in foro conscientiæ; quia rem illam non accipit mutuo, sed in eleemosynam, ideoque perinde, ac si ipse dominus talem rem misericorditer illis indulsisset.

§. III.

Refertur, & Eligitur posterior Opinio; & Respondetur Fundamentis prioris.

SEcunda opinio est, inventorem, factâ sufficienti diligentiâ, & domino non invento, posse res inventas sibi reservare. Ita Sotus, Medina, Bannez, Sayrus &c. Cùm quibus

VIII. Dico. Quamvis valdè consultum sit, bona inventa, domino non comparente, erogare in pauperes; valdè tamen probabile est, & in conscientia tutum, res inventas, si, factâ debitâ diligentiâ, dominus non inveniatur, posse ab inventore retineri. Et ratio est. Primò. Quia res inventa, cujus dominus non comparet, neque ex jure naturæ debet in pios usus converti, neque ex jure positivo. Non ex jure naturæ: quia res eo ipso, quod sit amissa, & dominus non compareat, habetur pro derelicta: unde devolvitur ad statum communem, fitque proinde primò occupantis eam — Neque etiam ex jure positivo: quia nulla lex reperitur, quæ jubeat, res inventas, domino, post diligentiam adhibitam, non invento, esse in usus pauperum distribuendas. Leges autem, quæ à Contrariis afferuntur, loquuntur de rebus injustè ablatis, quarum dominus non invenitur, ut dicemus.

IX. Secundò. Ideo res inventa, domino non comparente, deberet in pauperum usus converti, quia talis præsumitur esse mens domini: sed hoc videtur falsum; ergo &c. Min. prob. Tùm quia: mens domini potiùs præsumitur esse, ut res maneat penes inventorem, cùm res faciliùs possit ita recuperari. — Tùm etiam quia: dominus potest esse Turca, aut Paganus: sed hic non habebit voluntatem, ut res in suam spiritualem utilitatem convertatur, ut tactam, quod domino istarum rerum, si sit infidelis nihil

hil proderit hujusmodi in pauperes distributio; ergo &c.

X. Adverto tamen, res inventas, post factam sufficientem diligentiam, fieri inventoris, non statim tanquam domini, sed tanquam possessoris. Unde si intra tempus ad præscribendum, vel usucapiendum à jure definitum, dominus compareat, tenetur illi restituere rem inventam: non autem tenebitur, si primùm expleto tempore ad præscribendum requisito, dominus compareat. Nam usque ad terminum præscriptionis inventor solùm se habet, ut possessor bonæ fidei, ex veri domini ignorantia: sed elapso hoc termino, jam acquirit dominium jure legitimæ præscriptionis, de qua infra sermo erit.

XI. Jam ad fundamenta oppositæ sententiæ respondendum est. Priusquam tamen respondeatur, monendum censeo meum Candidatum, quòd estò pro ea afferatur S. Thomas, nihil tamen decernit S. Doct. quod illi faveat. Nam in primo loco ex 2. 2. *q.* 62. *a.* 5. *ad* 3. non loquitur de casu præsenti, sed de casu, quo facienda est restitutio de re ablatâ, vel acceptâ, quæ est inhabilis ad præscribendum. Ait enim S. Doctor: *Si ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere secundùm quod potest, scilicet dando in eleemosynam pro salute ipsius (sive sit mortuus, sive vivus) præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui facienda est restitutio.* In *quæst.* verò 66. *a.* 5. *ad* 2. ubi loquitur de rebus inventis, nostram potiùs firmat sententiam, ait enim: *Si pro derelictis* (bona inventa) *habeantur, & hoc credat inventor, licèt sibi eas retineat, non committit furtum. Aliàs autem committitur peccatum furti. Unde Augustinus dicit in quadam homiliâ* (Serm. 19. de verb. Apost. cap. 8. *& habetur* 14. q. 5. c. 6.) *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.* Hoc supposito.

XII. Ad primum fundamentum respondeo, non paucos esse, qui contrarium in praxi habeant. Si qui tamen timoratæ conscientiæ res inventas, etiam post diligentem inquisitionem, & elapso præscriptionis termino, domino non comparente, dent pauperibus; opus consilii faciunt sententiam tutiorem sequentes, non opus præcepti. Neque ex obligatione particulariter existimatâ consuetudo universaliter obligans inducitur.

XIII. Ad secundum, vel nego min. cujus oppositum ostendimus in secunda probatione hujus sententiæ. Vel etiam distinguo min. Si illa res fit incapax in alterius dominium transeundi, conc. min. Si fit capax, nego min. Incapax est transeundi in alterius dominium res commodata, deposita, injustè accepta, malâ fide, idest, sinè diligenti inquisitione, possessa: & hæc semper est restitutioni obnoxia, quia semper supponit de hoc justum, sive tacitam, sive expressam voluntatem veri domini. Res capax transeundi in alterius dominium est, quæ cum invincibili ignorantia veri domini justo aliquo titulo possidetur; & talis est res inventa, quæ justo titulo occupata, si post diligentem inquisitionem, verus dominus non inveniatur bona fide possidetur: & eo non comparente, post elapsum terminum præscriptionis, transit in dominium possidentis.

XIV. Ad tertium dico, legem illam loqui de bonis intestatis, non verò de inventis. Magna autem disparitas est inter bona intestata, & bona inventa. Quia mors peregrini, & defectus heredis non est justus titulus ad possidenda bona defuncti: at inventio est justus, & juridicus titulus.

XV. Ad quartum dico, citatum caput *Cum tu de usuris*, nihil evincere contra nos. Nam solùm loquitur de bonis injustè, & ex delicto, utpote per usuram, acquisitis, quæ retineri non possunt; ideoque in defectu domini sunt pauperibus eroganda. Nos autem loquimur de rebus inventis, ideoque justo titulo acceptis.

DU-

DUBIUM IV.

De Modis Acquirendi Dominium per Alluvionem, Accessionem &c.

§. I.

De Alluvione.

I. ALluvio est incrementum, quod ab alluente flumine uni prædio demitur, alteri adjicitur. Porro hoc incrementum duplex est. vel latens, vel patens. Latens est, si occultâ vi fluminis, velut insensibiliter, una pars ripæ carpitur, altera augetur. Patens verò est, cùm manifesto fluminis impetu pars ab uno prædio avulsa sensibiliter defertur in aliud; vel novæ insulæ emergunt, vel fluvius alveum mutat.

II. Dico ergo, quòd alluvio latens tribuit dominium soli accrescentis, non tamen alluvio patens: nisi partem à suo solo avulsam dominus habeat pro derelicta: aut si longo tempore ita hæsit fundo vicini, ut arbores, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint. Ita in Instit. §. *Praterea, de Rerum divisione*, his verbis: *Praterea quod per alluvionem agro tuo flumen adjicit, jure gentium tibi acquiritur. Est autem alluvio incrementum latens. Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi non possit, quantum quoquo momento temporis adjiciatur. Quod si vis fluminis de tuo prædio aliquam partem detraxerit, & vicini prædio attulerit, palam est, eam tuam permanere. Planè si longiori tempore fundo vicini tui hæserit, arboresque, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicino fundo acquisita esse.* Idem statuitur, *Leg. Adeo quidem, ff. de Acquirendo rer. Dominio, §. Praterea.* Postea autem in utroque loco decernitur, quid de insula in medio fluminis nata dicendum sit: nempe, quòd si insula nascitur in medio fluminis, erit communis illis, qui in utraque ripa fluminis possident. Si uni ripæ sit propior, illius domino accrescet, ad quem illius ripæ fundus, & prædium spectat.

§. II.

De Accessione.

III. ACcessio est, quâ res aliqua propterea fit tua, quia alteri rei, quæ tua est, vel bonâ fide tua esse putatur, accedit. Accessio autem duplex est: naturalis una, altera industrialis. Naturalis adhuc duplex: una per nativitatem, altera per alluvionem. De hac jam dictum est, quomodo per eam dominium acquiratur. Accessio ergo per nativitatem locum habet in viventibus, ut in partu ancillæ, fœtibus pecorum, in plantis, & arboribus, quæ in nostro solo nascuntur. Accessio autem industrialis est, quæ fit per plantarum insitionem, inædificationem, intexturam, scriptionem, picturam &c.

IV. Dico primò. Accessio per nativitatem tribuit dominium rei, quæ accedit. Sic dominus ancillæ fit dominus partus, qui ex illa nascitur (etsi pater fuerit liber, quia partus sequitur ventrem) dominus pecoris fit dominus fœtuum, qui inde nascuntur, dominus fundi fit dominus arborum, quæ ex ipso crescunt: quia *Accessorium naturam sequi congruit principalis*, ut habet Regula 42. *Juris in 6.*

V. Dico secundò. Accessionis industrialis regula est:

> *Quidquid plantatur, feritur, vel inædificatur,*
> *Omne solo cedit, radices si tamen egit.*

Ita habetur, *Instit. de Rer. divis.*

Difficultas tamen est: si res aliena, per humanam industriam accedat meæ, puta si meæ vesti alienam purpuram inseruerim, si meam gemmam alieno auro

auro ligaverim, si meo calici alienas gemmas inseruerim; an per talem accessionem acquisierim rei accedentis dominium, sive bonâ, sive malâ fide id fecerim.

Respondeo, hæc omnia accedentia fieri domini rei, cui accedunt. Ita *Instit. de Rer. divis. §. Si tamen alienam*: sive hoc bonâ, sive malâ fide actum sit. Cum hoc tamen discrimine: quòd si bonâ fide factum sit, puta, si bonâ fide meæ vesti intexuerim purpuram alienam; dominus purpuræ habet solum actionem condictionis ad habendum pretium illius, *Leg. 1. ff. de Condictione sine causâ*. Et *Lege Gemma*, *ff. Ad exhibendam*. Si autem malâ fide, habet dominus purpuræ actionem furti contra me.

VI. Hinc infertur primò: quòd si quis in suo solo ex aliena materiâ ædificaverit, ipse intelligitur dominus ædificii; quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit: debebit tamen materiæ domino duplum reddere. Quod ideo provisum est, ne ædificia rescindi necesse sit. Ita *Inst. de Rer. divis. §. Cum in suo* — Si verò quis in alieno fundo ex sua materiâ ædificaverit, illius fit domus, cujus & solum est: & etiam dominus materiæ proprietatem amittit, sic ut licèt domus illa diruatur, materiam tamen vindicare non potest. Et ratio est: quia cùm in alieno fundo sciens, & volens ædificaverit, ejus voluntate censetur alienata. Sic in *Instit.* eodem §. Si verò possidens alienum fundum, quem bonâ fide existimabat esse suam, in eodem ædificet; & verus dominus repetat fundum suum, & renuat solvere pretium materiæ, & mercedes operariorum; habebit bonæ fidei possessor exceptionem doli mali adversùs dominum soli: quia nemo debet locupletari cum possessoris bonæ fidei detrimento. Secus tamen si malâ fide ædificavit. Sic in *Inst.* §. eodem.

VII. Infertur secundò: plantas, & sata, quæ in alieno solo plantantur, aut seruntur, si radices nondum egerint, illius esse, qui ea plantavit; si verò jam radices egerint, erunt domini fundi. Ita in *Inst. de Rer. divis. §. Si Titius*. Ubi additur: quòd hoc adeo verum est, ut si vicini arbor in terram Titii radices egerit, Titii arborem effici dicatur; & arbor prope confinium posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit.

VIII. Infertur tertiò: literas in aliena chartâ descriptas, aut membranâ cedere non scribenti, sed domino illius. Sic Leg. *Quâ ratione ff. de Acquir. rer. domin.* Et in *Inst.* eod. tit. §. *Litera*, ubi dicitur: *Litera quoque, licèt aurea sint, perinde chartis, membranisque cedunt; ac solo cedere solent ea, quæ inædificantur, aut inseruntur* — Ab opposito autem tabula cedit picturæ, non pictura tabulæ, maximè quando pictura esset pretiosa, *Leg. Quâ ratione*, §. *Sed non ut litera*. Et Instit. ubi supra § *Si quis in aliena*. Ubi hæc habentur: *Nobis videtur, melius esse, tabulam picturæ cedere: ridiculum est enim, picturam Apellis, vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere*.

§. III.

De Specificatione, Confusione, & Commixtione.

IX. Modis dominium acquirendi accenseri etiam solent specificatio, confusio, & commixtio.

Specificatio dicitur, cum ex alterius domini materia fit nova species, ut ex uvis alterius vinum, ex argento alterius poculum. De quo, in *Inst.* §. *Cùm ex aliena*, datur hæc regula. Vel enim res, per specificationem facta, potest ad pristinam rudem materiam reduci, ut poculum in argenteam massam; & tunc materiæ dominus fit etiam dominus illius speciei; unde dominus argenti fit etiam dominus poculi ex ipso facti. Vel non potest ad pristinam materiam, & naturam reduci;

ei; ut vinum, aut oleum factum ex alienis uvis, & olivis, quod non potest in uvas, & olivas iterum reduci: & sic, qui fecit vinum, & oleum fit dominus etiam materiæ.

X. Confusio est, cum ex materiis duorum dominorum fit unum tertium, in quo difficilis est partium discretio, & separatio: ut si quis ex melle unius, & alterius vino faciat mulsum.

XI. Commixitio autem est, cum res mixtæ ita transeunt in unum tertium, ut singulæ tamen distinctæ maneant; ut frumentum, pecuniæ &c.

XII. De his sunt regulæ sequentes. Prima. Si res duorum dominorum sive casu, sive mutuo consensu misceantur, & confundantur, dominium totius rei est commune utrique, §. *Si duorum. Inst.* eodem. tit. — Secunda. Si corpora rerum mixtarum maneant ita distincta, ut facilè discerni, & separari possint, ut frumentum, pecuniæ &c. dominium manet penes priores dominos — Tertia est. Si rem alienam cum tua ita confundas, & misceas; ut miscibilia ad invicem discerni, aut separari nequeant; vel ex rebus confusis tertia species consurgat, totius rei dominus efficeris. *Inst. de Rer. divis.* §. *Quòd si partim.* Et ratio est: quia non solùm operam tuam dedisti, sed & partem ejusdem materiæ præstitisti.

Hæc dixi secundùm jura. At secundum forum conscientiæ, etsi efficiaris dominus rei alienæ; si tamen dominus sit invitus, semper eris obligatus ad restitutionem, vel compensationem priori domino faciendam.

DUBIUM V.

De Modo Acquirendi Dominium per Præscriptionem, sive Usucapionem.

§. I.

Quid sit Præscriptio.

I. Licèt hæc duo nomina *Usucapio*, & *Præscriptio* sæpe confundantur; tamen secundùm rigorem loquendi differunt in hoc: quòd præscriptio est rerum immobilium, soloque hærentium, imò etiam incorporalium, ut servitutum, jurium, jurisdictionum: usucapio autem est rerum mobilium, quæ quasi manu capiuntur.

II. Præscriptio autem dicitur; quia res, per diuturnam possessionem, quasi *inscribitur* possidenti, & alterius dominium, & jus *præfinit*, ac *terminat*, & quasi titulum ponit. Sic etiam Usucapio ab *usu*, & *capio* dicitur; quia per illam longo usu res capitur ab utente, & eripitur priori domino. Hæc quoad nomina. Modò veniamus ad res.

III. Præscriptio, seu usucapio definitur sic: *Acquisitio dominii, & juris alieni peremtio, per continuationem possessionis bonâ fide, tempore à lege definito.* Ex Leg. 3. ff de Usucapione. Explico sic: alienum agrum per decem, aut viginti annos bonâ fide possedisti, existimans esse tuum: vi talis continuatæ possessionis acquiris dominium illius agri, & extinguitur jus, quod habebat prior dominus in ipsum. Et ideo dicitur: *Acquisitio dominii, & juris alieni peremtio.* Additur: *Per continuatam possessionem.* Quia ad inducendam præscriptionem requiritur possessio, idest, animus detinendi illam rem, ut suam. Ex quo infertur, primò: furiosos, infantes &c. non posse præscribere, sicut neque Depositarium, neque is, cui res traditur

ditur in pignus: neque qui mittuntur solo animo custodiæ, neque Commodatarios, neque Usufructuarios, neque actus meræ amicitiæ, esse capaces præscriptionis. Quia præfati non sunt verè possessores, neque desinent rem, ut suam. Quare omnes incapaces possessionis, sunt etiam incapaces præscriptionis. Ideoque Religiosi particulares nihil prescribere possunt: quia nihil, ut proprium, valent possidere: sicut neque laici possunt præscribere circa decimas, aut alia sacra, quia incapaces sunt ista possidendi. Requiritur ergo, quòd sit possessio, rei immobilis, ad præscriptionem, mobilis verò ad usucapionem: non quæcumque, sed bonâ fide, & legitima, continuata etiam secundùm tempus à lege statutum. De quibus infra dicemus.

Quod in controversiam venit, est: An legitima prescriptio solùm valeat, & liberet præscribentem ab onere restitutionis in foro externo: an verò etiam in foro interno, & conscientiæ; tametsi elapso tempore præscriptionis, manifestè constet, eam rem fuisse alienam.

§. I I.

Resolutio Dubii.

IV. DIco. Legitima præscriptio conferi verum ius, & dominium etiam in conscientia; & liberat, etiam in foro interno. ab onere restitutionis: etsi transacto tempore ad præscribendum requisito. sciat, eam rem, quam possidet, fuisse alienam. Probatur hac ratione. Leges justæ, & sanctæ, sicut impedire possunt translationem dominii in alios, invitis propriis dominis, quando expedit bono communi: & Reipublicæ Princeps, tanquam pacis custos, sicut potest criminosos suis bonis mulctare; ita potest justè, & sanctè transferre dominia in alios, quando expedierit bono communi, & bono pacis suorum judicaverit congruum: at expedit maximè bono communi, & pacis, ut legitima præscriptio conferat verum jus, & dominium in conscientia; ergo præscriptio &c. Min. probatur ex finibus Principum, & legum statuentium præscriptionem, quorum primus est: ne incerta diu, & ferè semper maneant dominia; quod contingeret, si domino non præscriberetur certum tempus ad inquirendam rem suam. Sic *Leg. 1. ff. de Usucapionibus*. Secundò. Ne lites protrahantur, *Leg. ultima ff. Pro sua*. Si autem non daretur præscriptio, litibus modus non esset. Tertiò. Ne possessores in continuo metu vivant rem possessam amittendi, *Leg. Cùm notissimi, Cod. de Prescript.* Viverent autem in continuo metu, si antiquus possessor posset quocumque tempore rem, quam possident, repetere. Quartò. Ne homines in suis rebus, & juribus conservandis negligentes essent, *Leg. Ut perfectius, Cod. de Annali exceptione*. Negligentes autem essent, si semper anxii forent, ne bona possessa, sibi ab aliquo eripi semper possent.

V. Confirmatur. Rerum divisio, & dominia à jure positivo ortum habuerunt (ut supra diximus) ob bonum pacis in humana societate servandum; ergo ob idem bonum potest jus humanum dominia eripere, & ea transferre. Si enim Christus ad redimendum tempus nos admonitos voluit, ut contendentibus nobiscum de tunica, relinqueremus, & pallium, *Matth. 5. v. 40.* justè potuit jus humanum, ad contentiones vitandas, huic, vel illi bona adjudicare. Quare S. Thomas, Quolib. 12. a. 24. *Si quis* (inquit) *præscribat bonâ fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat, alienum fuisse post præscriptionem: quia lex potest aliquem pro peccato, & negligentiâ punire in re suâ, & illam alteri dare, & concedere.*

§. III.

Rationes Contrariæ.

VI. Oppones primò Regulam 48. juris in sextò: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jacturâ*; & Regulam 207. juris civilis. *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuriâ fieri locupletiorem*: sed si vim haberet præscriptio, aliquis fieret locupletior cum alterius detrimento; ergo &c.

Respondeo, neg. min. Nam per præscriptionem non fit detrimentum cum injuria priori domino. Siquidem ipsâ juris constitutione, in finem boni publici post elapsum tempus præscriptioni definitum, cessat jus, & dominium prioris domini. Potuit autem lex, ob publicum bonum, dominia transferre; sicut, ob idem, potest & dominio privare, quin injuriam faciat.

VII. Oppones secundò. Alexander III. *Cap. Vigilanti. De præscript.* dicit, quòd Ephesinus Legislator solùm, propter vitandam miserorum segnitiem... præscriptioni vigorem legis imposuit: quod dicit etiam S. Tho. loco supra citato; ergo cessante segnitie ex parte prioris domini, non favet præscriptio. Rursus: idem Alexander ibi dicit, sibi placere, talem præscriptionis legem non habere vigorem.

Confirmatur. Segnities prioris domini non est tanta culpa, quæ mereatur tantam pœnam, qualis esset privatio propriorum bonorum.

VIII. Respondeo, Alexandrum III. non velle ibi, segnitiem fuisse causam adæquatam, quæ moverit Imperatorem, vel alium ad ferendam præscriptionis legem: addit enim, *& longi temporis errorem, & confusionem* vitandam, præscriptioni fuisse vim legis impositam. — Subjungit, sibi non placere: non quidem legitimæ præscriptionis legem (quam *Cap. Illud autem.* Et C. *Quia indicante*, ibi probat, & tempus præscribendi statuit) sed præscriptionem illegitimam, quâ nimirum, secundùm leges civiles, etiam malæ fidei possessores præscribunt. Hoc improbat Alexander III. & etiam S. Tho. *Quolib.* 12. *a.* 24. citato. Ubi quærens: an ille, qui malâ fide præscripsit, teneatur ad restitutionem, respondit: *Quòd circa hoc est contrarietas juris civilis, & canonici: quia secundùm jus civile talis præscriptio tenet: secundùm jus canonicum talis præscribere non potest. Et ratio hujus contrarietatis est: quia alius est finis, quem intendit Legislator, scilicet pacem servare, & stare inter Cives; quæ impeditur si præscriptio non curreret: quicumqe enim vellet, posset venire, & dicere, illud fuit meum quocumque tempore. Finis autem juris canonici tendit ad quietem Ecclesiæ, & salutem animarum: nullus autem in peccato salvari potest, nec pœnitere de damno, vel de alieno, nisi recompenset.*

IX. Ad Confirmationem, vel nego suppositum, quòd negligentia domini fuerit adæquatum motivum inducendi præscriptionem, cum alia fuerint, ut ostensum est. Vel nego, præscriptionem inductam fuisse in pœnam: lex enim præscriptionis non est punitiva culpæ, sed consultiva boni communis. Vel tandem hoc admisso, dico, quòd licèt negligentia in se non sit tanta culpa; negligentia tamen, quæ potest esse causa, vel occasio damni publici, nempe, litium, incertitudinis dominiorum, inquietudinis, & anxietatis, meretur, ob bonum publicum, tantam pœnam. Talis autem est negligentia domini in repetendis bonis suis.

X. Oppones tertiò. Si quis ante tempus præscriptionis resciat, rem, quam possidet, non esse suam, tenetur in conscientia illam restituere vero domino; quia contra conscientiam, & malâ fide eam retineret; ergo à pari, si post tempus præscriptionis resciat, rem illam non esse suam, contra conscientiam, & malâ fide eam

reti-

retinebit: & sic tenebitur, eam restituere.

Respondeo, neg. conseq. vel potiùs suppositum. Transacto enim tempore, per leges definito ad præscribendum, jam est certa scientia in possessore legitimè præscribente, quòd talis res possessa sit sua; etsi aliàs certò possit scire, quòd olim fuerit aliena. Sicut qui emit rem aliquam, quamvis certò sciat, eam rem fuisse alienam ante emtionem; post emtionem tamen certò scit, esse suam.

XI. Oppones quartò. Si in emtione, & venditione contingat deceptio, solùm citra medietatem justi pretii, leges civiles denegant actionem in foro exteriori contra deceptorem; & tamen hinc nullum confertur dominium in conscientia deceptori: qui tenetur restituere id, quod plus justo pretio accepit, ut docet S. Tho. 2. 2. *q.* 77. *a.* 1. *ad* 1. nec quocumque lapsu temporis excusatur; ergo quamvis elapso tempore ad præscriptionem definito, leges denegent priori domino actionem adversùs præscribentem; adhuc non sequitur, quòd illi conferant dominium in conscientia. Conf. prob. Quia finis tàm istarum, quàm illarum legum est idem, nempe, lites minuere inter Cives.

Confirmatur. Si Judex innixus falsæ præsumtioni, vel errori, rem unius alteri adjudicet: etsi bonâ fide procedat, tamen, cognito errore, tenetur in conscientia rem ei, cui abstulit, reddere; ergo etiam bonæ fidei possessor præscribens, cognito suo errore etsi invincibili, & jure prioris domini, tenetur ipsi restituere rem, etsi præscriptam.

XII. Respondeo primò, quòd, vel emptor malâ fide emit rem minus; aut venditor malâ fide vendidit eam plus, quàm valet: & tunc uterque tenetur ponere æqualitatem, & reddere, vel plus, quod accepit, vel minus, quod dedit. Et eodem modo possessor malæ fidei nunquam potest legitimè, & in conscientia præscribere, quidquid sit de foro externo: & in hoc stat paritas inter emtionem, ac venditionem, & præscriptionem. Verùm quia etiamsi in venditione, & emtione non interveniat fraus, aut mala fides; adhuc tamen qui rem suam supervendit, & qui vilius emit, estò pœnam à lege non incurrat, si citra medietatem justi pretii plus vendiderit, vel minus emerit: in foro tamen conscientiæ tenetur illud plus, vel minus restituere, & ponere æqualitatem. Idcirco

XIII. Respondeo secundò, disparitatem esse. Nam leges, quæ in materia venditionis, & emtionis non concedunt decepto actionem contra deceptorem, si deceptio sit infra medietatem justi pretii, sunt tantùm permissivæ: leges autem de præscriptione sunt præceptivæ, & directivæ. Leges autem præceptivæ differunt à permissivis, quòd illæ conferunt jus in conscientia, istæ verò non.

Ad dignoscendum autem, quandonam lex sit præceptiva, & quando solùm permissiva; attendi debet ad medium, quo utitur lex ad suum finem, qui est bonum commune consequendum. Si enim medium ità sit malum, ut nullâ viâ possit cohonestari; tunc tantùm est permissiva: & sic lex permittit meretrices, & in judicio defendit, ad evitanda adulteria, & alia pejora mala. Si autem medium, vel sit opus de se honestum, vel possit aliquâ viâ honestari ex intentione legislatoris; ita ut, quatenus ordinatum ad finem legis, malum non sit, lex erit præceptiva, & directiva. In casu ergo præsenti lex de præscriptione habet pro fine, ut rerum dominia sint certa, quòd lites vitentur, & à Civibus anxietates tollantur, & alia, quæ supra diximus: & ad hoc consequendum eligit, ut post tantum tempus res maneant apud bonæ fidei possessorem, & in ipsum transferatur dominium in perpetuum. Hoc medium per se malum non est, imò, ut necessarium ad finem legis, per se bonum est; & ideo potest à lege præcipi. Sicut

cut potest à lege præcipi, quòd, ob commune bonum, aliquis mulctetur, & spolietur bonis suis. At deceptio ita per se mala est, utpote contra justitiam ponens inæqualitatem; ut nullâ viâ possit cohonestari. Quare ergò leges ad evitandas frequentes lites, quæ ex contractibus orirentur, si pro qualibet inæqualitate daretur actio in judicio, deceptionem citra medietatem justi pretii non puniant; non tamen transferunt dominium in damnificantem, nec eam præcipiunt, sed tantùm tolerant, & permittunt.

XIV. Ad Confirmationem disparitas est inter Principem, seu Rempublicam, & Judicem: quòd Principi, seu Reipublicæ incumbit prospicere bono publico: unde si bonum publicum exposcat, potest bonæ fidei possessori præscribenti applicare dominium rei, etiam sinè culpâ prioris domini. Judex autem non potest transferre dominia; sed solùm potest, & debet, secundum allegata, ferre sententiam, & cuique tribuere, quod suum est.

DUBIUM VI.

Conditiones Requisitæ ad Legitimè Præscribendum.

§. I.

Quænam Res sint Inhabiles ad Præscribendum.

I. Conditiones legitimæ præscriptionis quatuor sunt. Prima, res apta præscribi. Secunda, bona fides. Tertia, justus titulus. Quarta, possessio legitimo tempore continuata. Quæ hisce carminibus clauduntur:

Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus.
Lege requisitum, possessio, tempus adæquat.

Hic ergo de prima conditione agetur.

II. Res inhabiles ad præscribendum sunt. Primò. Quæ jure divino competunt, ab alio præscribi non possunt: Sic potestas, & jurisdictio Summi Pontificis, cùm sit juris divini, à nullo præscribi potest.

III. Secundò. Quæ jure naturali sunt prohibita, nullius temporis diuturnitate præscribi possunt, & fieri licita. Quæcumque enim diuturnitas temporis non minuit, sed auget malitiam, & turpitudinem peccati. *Cap. Cum haberet. De eo, qui duxit &c.* & S. Tho. in 4. *dist.* 41. *a.* 5. *qu.* 1. *ad* 2.

IV. Tertiò. Ea, quæ jure civili, vel canonico prohibita sunt possideri, aut alienari, præscriptionis capacia non sunt. Nam in primo casu deficit possessio: in secundo autem plerumque deficit justus titulus, ex defectu justæ alienationis; & concurrit error juris, qui ad usucapionem non juvat. *Leg. Nunquam* 31. *ff. de Usucapionibus.* Et *Cap. Hoc consultissimo. De rebus Eccl. non alien.* Hinc præscribi non possunt, primò. Loca sacra, religiosa, publicis usibus deputata; ut forum, theatrum, pontes, via publica, *Lege Usucap* 9. *ff. de Usucapione.* Secundò. Præscribi non possunt à laico contra Ecclesiasticos jura spiritualia; ut jus decimandi, conferendi Beneficia &c. Tertiò. Non datur præscriptio contra obedientiam, *Cap. Cùm non liceat. Et Cap. Cùm ex officii. De præscript.* Hoc tamen intelligendum est, non sic, ut non possit dari præscriptio contra obedientiam huic potiùs, quàm alteri; sed ita, ut non possit dari præscriptio contra obedientiam, aut visitationem absolutè: quasi quòd nulli debeatur obedientia, nulli visitatio. Quia absurdum est, dari homines acephalos, idest, sinè Capite, & Superiore.

V. Quartò. In actibus meræ facultatis, seu in iis, quæ pro suo arbitrio homines solent facere, vel omittere, nullo jure, vel obligatione interveniente, non potest cadere præscriptio: nisi is, qui facultatem habet, alterius prohibitioni cum patientia acquieverit. In tali enim casu potest

test prohibens contra illum præscribere. Unde si quis domum suam altiùs hactenus non ædificarit, non ideo contra illum præscribitur: si tamen ab alio prohibitus, cessaverit altiùs ædificare, contra illum currit præscriptio.

VI. Quintò. Res indivisa communis pluribus, nullo tempore, ab aliquo illorum præscribi potest; quia nomine aliorum possidet, *Leg. Si communem, ff. Quemadmodum servitus amittatur*.

VII. Tandem res furtivæ, seu violenter detentæ præscribi non possunt, quamdiu vitio furti, aut violentiæ purgatæ non fuerint, *§. Furtivæ §. Aliquando. Instit. de Usucap.*

§. II.

Quomodo Bona Fides requiratur ad Præscribendum.

VIII. Bona fides est credulitas, quâ quis sibi prudenter persuadet, rem, quam possidet, esse suam; vel saltem inculpabiliter ignorat, eam esse alienam. Dicitur *Prudenter, & inculpabiliter*. Quia persuasio ex crassa ignorantiâ procedens non facit bonam fidem; ad quam necessariò requiritur judicium prudens, seu conscientia invincibilis, quòd res, quam possidet, non sit aliena.

IX. Prima, quæ hic occurit quæstio, est: an bona fides ad omnem prorsus præscriptionem sit necessaria.

Jura civilia olim admittebant præscriptionem etiam in malæ fidei possessore, ut videre est in *Leg. Regiæ* 21. *tit.* 29. & indicat S. Tho. *Quolib.* 12. *a.* 24 *Dub. praeced.* §. 3. *num.* 8. relatus. Sed hujusmodi leges abrogatæ, & antiquatæ fuerunt à Summis Pontificibus Alexandro III. *Cap. Vigilanti. De praescript.* ab Innocentio III. in Conc. Lateranensi. C. 42. his verbis: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bonâ fide præscriptio, tam canonica, quàm civilis: cùm sit generaliter omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali non potest observari peccato. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ*. Et Bonifacius VIII. Regula 2. juris in 6. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Ex his

X. Dico. Ad legitimè præscribendum necessariò requiritur possessio bonæ fidei, continuata usque ad tempus pro præscriptione definitum: & ideo sanctissimè jura Pontificia leges civiles contrarium afferentes abrogarunt. Prima, & secunda pars simul probantur. Prima quidem ex allatis Pontificiis legibus constat. Pro secunda verò sic discurro. Meritò Pontifices abrogarunt leges illas, quæ erant iniquæ: at tales erant leges concedentes dominium, vi præscriptionis, possessori malæ fidei; ergo &c. Maj. est certa. Quia Principes fideles subjecti sunt Summo Pontifici; & potestas secularis subditur Ecclesiasticæ, in ordine ad bonum spirituale, & salutem animarum Fidelium; sicque potest tollere leges iniquas, quæ sunt contra jus naturale, & bonum spirituale Fidelium. Min. probatur. Leges, quæ favent peccato mortali, & cedunt in perniciem boni publici, iniquæ sunt, & injustæ; quia tota æquitas legum ex conformitate ad legem naturalem, & ordine ad finem publici boni pensatur: & ideo leges permissivæ meretricum iniquæ non sunt; quia licèt peccatum mortale permittant, hoc tamen faciunt ad majus malum à publico avertendum: sed leges concedentes jus præscriptionis possessori malæ fidei, non solùm favebant peccato mortali, sed etiam cedebant in perniciem publici boni; ergo &c. Min. probatur. Possidere alienum malâ fide, peccatum mortale est; quia quod non est ex fide, idest, conscientiâ, peccatum est. Rursus: contra jus naturæ est, quod fur, hoc ipsò, quòd est in mora ad restituendum, acquirat sibi dominium rei furtivæ; aut, quòd hæc

de

de causa defendatur à judice in possessione: istæ autem leges concedebant furibus, ob istam causam, dominia rerum ablatarum, & eos in judicio contra verum dominum defendebant; ergo favebant peccato contra jus naturæ. — Quòd autem essent quoque in perniciem boni publici, probatur. Quia dictæ leges dabant ansam perditis viris occupandi res alienas; dum sciebant, post aliquod tempus possessionis etiam injustæ acquisitæ, sibi dominium illarum rerum comparandum, seque à judice contra verum dominum defendendos.

XI. Ex his colligitur: non esse sustinendam sententiam Adriani, *Quolib. 6. n. 3.* dicentis, illas leges seculares esse justas; non tamen conferre jus in conscientia; sed solùm denegare actionem vero domino, ut post exactum illud tempus à lege definitum, possit res suas petere à possessore coram judice: eo modo, quo (§. præcedente) leges denegant actionem decepto citra dimidium justi pretii --- Nam ad hoc jam data est ibi disparitas: quòd lex denegans actionem decepto citra dimidium, est lex tantùm permissiva; non quasi hoc approbans, & concedens dominium rei non suæ, sed quasi non puniens. At leges concedentes jus præscribendi possessori malę fidei, essent non solùm permissivæ, sed præceptivæ, approbativæ, & concessivæ dominii injusto possessori.

XII. Sed dices. Carolus V. in Conventu Matriti, anno 1528. petitione 157. legem edidit, mercedes à famulis exigi non posse, elapso triennio ab eo die, quo à famulatu cessarunt: sed in hoc casu impossibile est, quòd non contingat mala fides in dominis, & ex hac acquirant dominium mercedis servis debitæ; ergo &c.

Rursus: *Cap. Placuit. De præscript.* conceditur Episcopo, ut triennio partem Ecclesiæ, quam scit esse alienam, præscribat; ergo à jure Canonico admittitur præscriptio cum scientia rei alienæ.

XIII. Respondeo ad primum, Carolum V. eâ lege non concedere dominium stipendii dominis, qui toto triennio non solverint, si habuerunt malam fidem; sed duo statuere. Unum, quòd in casu dubii pronuntianda sit sententia pro dominis contra famulos, elapso triennio. Alterum, quòd cùm fuerit certa mala fides domini, non continuò parata sit executio contra illum, sed admittatur ad probationem. Ita Covarruvias, *P. 2. §. 11.*

XIV. Ad secundum, quod magis urget, suppono, Canonem illum Concilii Africani, tempore hæresis, seu schismatis Donatistarum, quo Episcopi aliqui negligebant, oves suas revocare ad Catholicam veritatem, statuere: ut, si aliquis Episcopus locum aliquem ad Catholicam unitatem converterit, si per triennium tenuerit locum illum, Episcopo illius eum non repetente, de cætero non repetatur. Quod statuit in pœnam culpabilis negligentiæ, quâ Pastor oves suas ad unitatem promovere neglexit, & promotas confirmare per triennium non curavit.

Neque dicas. Ergo etiam in pœnam negligentiæ in repetenda re suâ, poterit ab eo transferri dominium in possessorem; etsi iste sciat, rem illam non esse suam, & sit malæ fidei possessor.

Nego enim conf. & suppositum. Lex enim de præscriptione non est lata in pœnam, nec præcipuè respicit culpam proprii domini; sed lata potissimùm fuit, ne rerum dominia manerent incerta, ut supra vidimus. --- Addo: quòd negligentia domini in re suâ repetendâ non est talis culpa, ut præcisè mereatur privari à quocumque possessore: potest enim, eam prout sibi libuerit, derelinquere. At culpa Pastoris negligentis, oves sibi commissas pascere in iis præcipuè, quæ earum salutem spectant, tanta est; ut qui eas longo tempore dereliquerit, Pastor non sit: ideoque ab eo earum cura, & jurisdictio justè eripienda, & alteri, qui eas à periculo liberavit, qui-

quicumque ille sit, tanquam vero pastori tradenda.

XV. Ex his infertur: debitorem nullo unquam tempore præscribere, aut eximi ab obligatione solvendi debitum. Quod patet. Tùm quia: leges justè abrogant omnem præsciptionem cum scientia rei alienæ. Tùm quia: obligatio, quæ oritur ex æquitate juris naturalis, non tollitur, nisi per modum juri naturali conformem: hic autem modus, ad tollendam obligationem solvendi debitum, alius non est, quàm solutio, vel condonatio debiti. Tùm denique: quia debitor, vel initio habuit animum solvendi debitum, vel non. Si non; ergo non est ex bona fide, ideoque non potest præscibere. Si habuit; nullam cæpit possessionem, sed illam integram reliquit creditori: sinè possessione autem præscriptio non currit.

§. III.

Quando Salvetur Bona Fides.

XVI. Quæres primò: An possessor constituatur in mala fide, si dubitet, an res sit sua, an aliena?

Procedit quæstium, tàm de eo, qui cum dubio cæpit rem possidere; quàm de eo, qui cùm absque dubitatione cæperit possidere, postea illi subortum fuit dubium: an res, quam possidet, sua sit, an alterius. Et loquimur de dubio prudenti, & rationabili, quo nimirum ex probabilibus motivis prudenter in praxi dubitat: non autem de dubio, quod levibus scrupulis, ac fundamentis nititur. Hoc enim non impedire bonam fidem, nec eam interrumpere, sive ab initio, sive postea insurgat, constans est omnium sententia. Deponendum tamen est practicè tale dubium judicio Confessarii, aut viri docti à dubitante consulendi. Loquendo ergo de dubio præcedenti, & rationabili.

XVII. Dico primò. Qui cum dubio prçcedenti, & rationabili, an res sit sua, cæpit illam possidere, non fit possessor bonæ fidei; nec eâ possessione potest præscribere, donec deponat dubium: quo deposito, incipiet illi currere tempus præscriptionis, etiamsi remaneat illi aliquod dubium speculativum. Plures habet partes hoc Assertum.

Prima, nempe, quòd qui cum dubio cæpit possidere, non sit bonæ fidei possessor, constat. Tùm quia: *Leg. Bonæ fidei, ff. De Acquir. rer. domin.* dicitur: *Bona fidei emtor, non dubiè &c.* ergo bona fides distinguitur contra dubiam. — Secundò. Qui possidet bonâ fide, possidet cum conscientia sanâ, & quietâ: sed qui possidet cum dubio prudenti, an res illa sua sit, non habet conscientiam sanam, sed vulneratam, non quietam, sed anxiam, ob motiva, quæ suggerunt rem esse alienam; ergo &c. — Tertiò. Bona fides in aliis materiis stare nequit cum hæsitatione, & dubio: si enim quis dubitet, an hodiernus dies sit dies jejunii, non habet bonam fidem, ut vescatur carnibus; & si cum illa hæsitatione vescatur carnibus, peccabit mortaliter, quod non esset, si eis bonâ fide vesceretur; ergo neque in materia possessionis stare potest bona fides cum hæsitatione, & dubio.

Secunda pars, ex dictis, constat §. *præced.* Ostendimus enim, solum possessorem bonæ fidei posse præscribere: si ergo qui possessionem cum dubio cæpit, non cæpit esse possessor bonæ fidei, neque cæpit illi favere tempus ad prescribendum.

XVIII. Tertia verò pars, nempe, quòd adhibitâ sufficienti diligentiâ ad inquirendum verum dominum, & deponendum dubium; is, qui possidet, inchoat præscriptionem ab eo temporis puncto, quo diligentiam adhibuit, probatur primò. Ad inchoandam præscriptionem sufficit simul cum possessione, & reliquis conditionibus bona fides humana: sed qui, post adhibitam diligentiam possibilem, non invenit, rem

rem, quam possidet, esse alienam, ab eo temporis puncto incipit habere bonam fidem; ergo ab eo temporis puncto incipit præscribere. Min. patet. Quia ille possessor incipit esse practicè certus, quòd ea res sit propria; quidquid sit, an maneat in illo aliquod dubium leve, seu speculativum. Maj. etiam constat. Quia in moralibus non est efflagitanda certitudo mathematica, sed moralis, & quæ haberi potest per humanam investigationem — Secundò probatur ex fine legum, quæ de præscriptione latæ sunt; qui certè frustraretur, nisi is possessor præscriberet: quod sic probo. Nam finis legum, quæ de præscriptione latæ sunt, est, ne dominia rerum longo tempore sint incerta: at nisi hic possessor præscriberet, dominium rei illius, quam possidet, perpetuò esset incertum; ergo &c. Min. prob. Quia possessor ille cum eodem dubio transfunderet rem illam in suos heredes, & isti in suos &c. — Tertiò probatur. Si Judex per sententiam applicaret rem illam possidenti; sinè dubio à tempore pronunciatæ sententiæ possessor inchoaret præscriptionem, etsi adhuc maneret speculativè dubius: sed ad quietandam conscientiam, & bonam fidem habendam, tàm sufficit diligentia adhibita, quàm Judicis sententia; ergo &c.

XIX. Dico secundò. Dubium superveniens possessioni, quæ jam bonâ fide inchoata erat, non parit malam fidem; nec proinde interrumpit præscriptionem. Ita communiter Doctores. Et prob. primò ex D. August. *l. de Fide, & Operibus*, relato C. 51. *Virgo*. 34. *q.* 1. ubi dicitur: *In jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cùm verò scíverit, nec ab aliena possessione recesserit; tunc malæ fidei possessor perhibetur: tunc justè injustus possessor vocabitur*. Solùm ergo possessor malæ fidei pronuntiatur, qui continuat in possessione cum scientia rei alienæ; sed qui jam cæptâ possessione incipit dubitare an res, quam possidet, sit sua, non habet scientiam rei alienæ, sed tantùm dubium; ergo &c. — Secundò probatur ex *Cap. Dominus de secundis nuptiis*. Ubi habetur, quòd fœmina, quæ bonâ fide nupsit secundo viro, priore vivo; si dubium postea supervenerit, non poterit quidem petere, sed debitum tenetur reddere secundo viro; ergo similiter in nostro casu, qui bonâ fide cæpit possessionem, etiamsi superveniat dubium, poterit continuare præscriptionem — Ratio autem est. Quia qui possidet rem aliquam, & incipit habere hæsitationem, & dubium, an sit propria, habet tamen animum, ut cum scíverit, eam esse alienam, dandi eam vero domino; non peccat mortaliter continuando in possessione: quia in casu dubio, nemo tenetur rem possessam abdicare, cum in dubiis melior sit conditio possidentis; ergo iste simul cum dubio, si tamen adhibeat diligentiam, & habeat animum, si scíverit, rem possessam esse alienam eam dimittendi, continuat in possessione bonæ fidei necessariâ ad præscribendum.

XX. Sed dices primò. Per litis contestationem in exteriori foro interrumpitur præscriptio bonâ fide inchoata: sed litis contestatio solùm parit conscientiam dubiam; ergo &c. — Secundò. Qui cum dubio rei alienæ possidet rem, ut propriam, exponit se periculo retinendi rem alienam: sed qui exponit se periculo, peccat; ergo &c.

XXI. Ad primum respondeo ex Bannez. In casu contestationis litis, secundùm jura, interrumpi præscriptionem, non præcisè propter dubium ortum ex litis contestatione; sed quia jura solùm favere volunt possessori pacifico. Cum quo stat, quòd si dubium aliunde, quàm ex litis contestatione oritur, possessor continuet pacificus, & consequenter in præscriptione.

XXII. Ad secundum nego maj. Qui enim cum dubio superveniente, an res

an res sit sua, continuat in possessione; dummodo tamen adhibeat debitam diligentiam pro exquirenda veritate, nullius peccati periculo se exponit. Graviter quidem peccaret, si talem diligentiam negligeret, fieretque malæ fidei possessor: quia talem diligentiam negligens, & in possessione continuans, censeretur ita esse dispositus, ut vellet in ea continuare, etiamsi sciret, rem illam esse alienam.

XXIII. Sed quid, si etiam adhibitâ morali diligentiâ, possessor maneat practicè dubius: an sibi liceat rem possessam retinere, & cum tali dubio continuet possessionem: poteritne præscribere?

Respondeo, certum esse, quòd qui dubitans, an res sit sua, & adhibitâ omni morali diligentiâ tale dubium vincere non possit; tenetur dubium practicum deponere, & judicare, sibi licitum esse retinere possessionem rei, de qua speculativè dubitat, an sit sua. Quod si non deponat dubium, & tamen in possessione continuet, graviter peccabit. Recolantur dicta, *Tom. 1. in 1. 2. Tract. de Act. human. Q. 4. de Conscientia, Dub. 5. §. 2. & 3.*

An verò retinens dubium practicum constituatur possessor malæ fidei, & interrumpat præscriptionem; non est improbabilis sententia negativa: tutior tamen, & practicè probabilior est sententia affirmativa. — Ratio primæ opinionis est. Quia quòd dubitans, adhibitâ morali diligentiâ, non deponat conscientiam practicè dubiam, merè per accidens est, nec parit conscientiam rei alienæ; quæ sola, ut vidimus, facit possessorem malæ fidei. — Ratio verò secundæ opinionis est. Quia præscriptio cùm sit odiosa domino, non est amplianda, sed restringenda. Cùm ergo leges Canonicæ universaliter dicant, præscriptionem non currere cum peccato in possidente; etiam in hoc casu præscriptio patietur interruptionem.

Neque dicas. Sic possidentem peccare quidem; sed non peccato injustitiæ, quæ sola obstat præscriptioni — Nam dico, quòd estò in nostro casu operans directè, & per se non peccet contra justitiam, peccat tamen indirectè: quatenus ex propria malitiâ non deponens dubium, & adhuc continuans in possessione, censetur habere animum possidendi illam rem, etsi non esset sua: vel saltem vult exponere se periculo peccandi contra justitiam.

XXIV. Quæres secundò. An salvetur bona fides cum ignorantia juris, vel facti?

Suppono primò, vel potiùs recolo dicta, *Tom. 1. in 1. 2. Tract. de Act. human. Q. 1. de Voluntario. Dub. 7. §. 1. num. 2.* nimirum, duplicem esse ignorantiam: unam invincibilem, aliam vincibilem. Invincibilis est, quæ, adhibitâ morali diligentiâ, vinci non potest. Vincibilis verò est, quæ, adhibitâ morali diligentiâ vinci potest: quæ ideo culpabilis dicitur, quia in culpa est illi, qui potuit eam vincere, & non vicit. Hic ergo non loquor de ignorantia vincibili, & graviter culpabili; quia hæc cum bona fide non cohæret, & ideo præscriptionem parere nequit.

XXV. Suppono secundò, & recolo ex dictis citato loco, *num.* 3. ignorantiam etiam invincibilem, aliam esse juris, aliam facti. Ignorantia juris est, quâ quis ignorat, dari legem vetantem, seu præcipientem tale factum. Ignorantia verò facti est, quâ quis habet scientiam legis; ignorat tamen circumstantiam facti, vel quod tale factum sit lege prohibitum. Sit exemplum. Tibi vendidit Petrus equum, quem injustè possidet. Si putares, ipsum posse vendere rem, licèt non suam, haberes ignorantiam juris: si autem judicares, illum esse suum, & sic emeres, haberes ignorantiam facti. Item. Tibi rem aliquam donat pupillus. Si judicares, pupillum posse rem alienare, haberes ignorantiam juris: si autem nescires, illum esse pupillum, haberes ignorantiam facti.

P 2 Quæ-

Quæritur ergo: An ignorantia invincibilis, sive juris, sive facti, salvet bonam fidem, & juvet ad præscriptionem?

XXVI. Noto insuper: jus posse esse certum, & posse esse dubium. Si jus fuerit dubium, quia utrimque dantur opiniones de illo; valde commune est apud Auctores, errorem, vel ignorantiam illius non impedire præscriptionem: quia prudenter, & sic bonâ fide procedit, qui cuilibet ex illis opinionibus sese accommodat. Tùm etiam: quia jura, ex quibus beneficium præscriptionis habetur, solùm excludunt à præscriptione ignorantiam juris clari, & certi.

XXVII. Certum etiam est, errorem, vel ignorantiam facti non impedire præscriptionem; quia jura solùm excludunt ignorantiam juris, *Lege Juris ignorantiam, ff. De Juris, & facti ignorantia*. Ubi dicitur: *Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse: facti verò ignorantiam prodesse constat*. Et meritò. Nam omnis præscriptio ignorantiam facti involuit, & in illa fundatur: præscribens enim bonâ fide credit, rem, quam possidet, sibi competere, seque legitimum titulum ad illam possidendam habere; cùm tamen in rei veritate res alteri competat, & legitimo careat titulo: sicque errat in facto. Tota ergo difficultas est de ignorantia juris: an ista, etsi invincibilis fit, obsit bonæ fidei, & præscriptioni.

XXVIII. In hoc duplex est sententia. Prima affirmans fundatur in jure, *Leg. Juris ignorantiam*, supra citatâ. Ubi expresse dicitur: *Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse*. Neque valet dicere, ibi legem loqui de ignorantia juris vincibili, & culpabili. — Nam lex in eodem sensu negat, ignorantiam juris præscriptioni prodesse, quo affirmat, ignorantiam facti prodesse: sed ignorantia facti, quæ prodest præscriptioni, non est ignorantia vincibilis, hæc enim præscriptionem parere nequit, sed invincibilis; ergo ignorantia juris, quam dicit non prodesse, est ignorantia invincibilis. Et ratio est: quia jura præsumunt, ignorantiam juris, etsi sine culpâ, constituere regulariter possidentem in malâ fide.

Si tamen ignorantia invincibilis juris esset in subjecto, in quo mala fides præsumi non posset, ut in minoribus, rusticis, & mulieribus; talis ignorantia, seu error tolerari posset, & juvaret illos ad præscribendum. Ita Auctores præfatæ sententiæ.

XXIX. Secunda verò sententia negat, ignorantiam juris certi, si sit invincibilis, & sine culpâ obesse præscriptioni, saltem in foro conscientiæ. Et ratio est. Quia ideo leges dicunt, cum ignorantia juris certi non præscribi; quia non præsumunt, eum, qui sic procedit, bonam fidem habere, & ne detur locus fallaciis: sed quando forum externum nititur falsæ presumtioni, non tenetur forum internum illi conformari; ergo si in foro conscientiæ constet, nullam esse fallaciam, & omnino cum bona fide processisse, talis ignorantia non oberit præscriptioni: sicut in sententia contrariâ non obest in minoribus, mulieribus &c. quia in eis mala fides non præsumitur. — Hinc possunt hæ duæ sententiæ conciliari dicendo: Quòd prima loquitur quantùm ad forum externum: secunda verò quantùm ad forum internum.

XXX. Quæres tertiò: An, & quando mala fides antecessoris noceat successori existenti in mala fide? Sit exemplum. Recipis bonâ fide per emtionem, legatum, hæreditatem, aliove titulo honesto rem à fure, vel ab alio, qui eam malâ fide possidebat: quomodo, & quando mala fides istius tibi obstare poterit, ne rem illam præscribere possis?

Suppono pro intelligentia: successores, alios esse particulares, seu singulares, alios universales. Particulares, seu singulares dicuntur, qui in re aliquâ particulari succedunt, ut ex titu-

titulo donationis, emtionis, legati. Universales dicuntur hæredes, qui in universum jus succedunt, & defuncti personam, repræsentant, *Leg. Hæreditas 62. §. De Regulis juris*. Rursus: Successor universalis alius est, qui, nempe, auctori possessionis immediatè succedit: alius mediatus, qui alio hærede mediante rem possessam consequitur. Hoc posito

XXXI. Dico primò. Successori particulari, vel etiam universali mediato bonâ fide succedenti, mala fides antecessoris non nocet, quin ordinario tempore possit præscribere. Prior pars constat ex *Leg. An Titius*, *ff. De Diverf. tempor. præscript.* Et *Instit. De Usucapione*, *§. Inter venditionem*. Et ratio est. Quia vitium personale non transit in successorem particularem, nisi hoc ipsi constet, & consentiat: sed vitium malæ fidei est personale; ergo &c.

Hoc tamen intellige eum dupliei limitatione. Prima. Quòd tempus præscriptionis non incipiat à tempore, quo antecessor malâ fide possedit; sed à tempore, quo successor bonâ fide in possessionem intravit: tempus enim malæ fidei pro præscriptione non computatur. — Secunda. Si res, in quam succedit, sit immobilis, & fuerit, ignorante priori domino, alienata, qui hanc à malæ fidei possessore accepit, non potest ante triginta annos præscribere, per *Authent. Malæ fidei*, *Cod. De Longi temp. præscript.*

XXXII. Secunda etiam pars probatur. Quia jura vetant duas fictiones ex eadem causâ, sicut umbra non facit aliam umbram: sed primus hæres, auctori malæ fidei succedens, solâ juris fictione constituitur in malâ fide, quia, ut dicemus, secundùm jura gerit personam ejus; ergo illa fictio non transit, nec parit aliam fictam malam fidem in secundo, sive in hęrede hęredis: imò hic, si bona fide succedit, potest tempore ordinario præscribere.

XXXIII. Dico secundò. Successor universalis immediatus, succedens primo malæ fidei possessori, non est capax ad præscribendum. Probatur. Quia hęres immediatus personam defuncti refert, secundùm jura, ejusque possessio fictione juris eadem est cum possessione defuncti: sed hæc infecta erat per malam fidem; ergo sic infecta transit, & continuatur in hęrede immediato.

Confirmatur. Hęres universalis, & immediatus repræsentat personam defuncti: & sicut in favorabilibus, ita etiam succedit in obligatoriis, & onerosis; ergo talis successio præscriptioni cooperari non potest, si non poterat in eo, cui immediatè, & universaliter succedit.

XXXIV Dico tertiò. Prælato, vel successori in Beneficio, non nocet ad præscriptionem mala fides sui Antecessoris, si ipse sit in bonâ fide. Quia non habet causam à suo Antecessore, sicut hęres; sed ab electione, & confirmatione, seu collatione Superioris.

§. IV.

De Titulo Requisito ad Præscribendum.

XXXV. Titulus est actus, vel causa habilis ad transferendum, vel acquirendum dominium. Unde tituli, qui ex natura suâ non tendunt ad translationem, vel acquisitionem dominii, ut commodatum, depositum &c. non sunt utiles ad præscriptionem.

Titulus alius est verus, alius præsumtus, seu coloratus. Titulus verus est, qui in re sufficit ad justificandam possessionem: ut si rem dono accipiam ab habente potestatem donandi. Titulus præsumtus, vel coloratus est, qui bonâ fide, & invincibili ignorantiâ creditur esse verus, cùm tamen in re non sit talis: ut si rem accipias ab eo, qui non habet potestatem donandi, invincibiliter tamen existimas eum talem potestatem habere.

XXXVI. Dico. Ad præscriptionem requi-

requiritur titulus, non verus, sed saltem probabiliter præsumptus: ut si rem possideas ratione venditionis, donationis, successionis, legati &c. Quòd igitur ad præscriptionem requiratur titulus, constat ex *Cap. Si diligenti. De Præscript.* Et *Leg. Celsus, ff. De Usucapionibus.* Et ratio est. Quia sinè titulo non potuit res ab initio bonâ fide possideri: cùm ergo bona fides sit præcipua conditio ad usucapiendum, sequitur, regulariter sinè titulo usucapi non posse.

XXXVII. Quòd autem non requiratur titulus verus, sed sufficiat præsumptus, vel qui bonâ fide probabiliter existimetur verus, & validus: ut si rem accipias ab aliquo, quem prudenter præsumis habere facultatem, eam rem tibi concedendi. Probatur. Quia si titulus sit verus, tunc absque præscriptione per se sufficit ad translationem dominii; ergo titulus, qui unà cum præscriptione sufficit, non debet esse verus in re, sed tantùm putatus verus; nimirum, conjunctus cum ignorantia invincibili facti, non quidem proprii, sed alieni. Nam in facto proprio non esse tolerabilem ignorantiam, docet Gloss. *in Leg. Finalis, ff. Pro suo.*

XXXVIII. Nota tamen: cum diximus, ad præscriptionem requiri titulum, locutos nos esse de præscriptione ordinariâ. Si autem loquamur de præscriptione extraordinariâ, quæ est triginta, vel quadraginta, vel centum annorum, titulus non requiritur. Quia in tâm longâ possessione sæpe tituli obliviscimur; & inter res nostras plura habemus, quæ ignoramus, quo titulo possideamus, an emtione, vel hereditate, vel alio titulo: sed tunc loco tituli fiat longa possessio. Ita communiter.

XXXIX. Nec dicas. Ad omnem legitimam præscriptionem requiritur, ut præscribens bonâ fide, & probabiliter existimet, rem esse suam: sed ad hoc requiritur titulus præsumtus; ergo &c.

Nam respondeo, neg. min. Potest enim aliquis bonâ fide existimare rem esse suam, etsi nesciat, quo titulo eam possideat. Si enim quis præcisè ad testimonium viri fide digni credat, rem esse suam, eamque possideat, possidebit quidem bonâ fide, sed non ex titulo: quia testimonium alterius non est sufficiens ad conferendum titulum.

§. V.

De Tempore ad Præscribendum Requisito.

XL. SUpponendum est: res capaces præscriptionis, alias esse mobiles, alias immobiles. Mobiles sunt, ut pecunia, vestis &c. Immobiles verò, ut ager, domus, census, reddítus annui, Beneficium, officium &c. His stantibus

XLI. Dico primò. Res mobiles cum titulo præscribuntur per triennnium, non solum contra privatos, sed etiam probabiliter contra Ecclesiam: sinè titulo autem, ad præscriptionem bonorum mobilium requiruntur triginta anni. Prima pars habetur, *Inst. De Usucapionibus, §. Jure Civili.* Secunda constat ex *Authentica, Quas actiones, Cod. De Sanctis Ecclesiis.* Tertia verò ex *Leg. 3. Sicut in rem, Cod. De Præscr. 30. vel 40. ann.* & communiter Doctores.

XLII. Dico secundo. Res immobiles, si ad privatum pertineant, cum titulo per decem annos præscribuntur inter præsentes, sive in ejusdem jurisdictionis territorio habitantes; & per viginti annos inter absentes, idest, qui extra idem territorium existunt. *Inst. de Usucapionibus, §. Jure civili. Lege ultimâ, Cod. De Longi temp. præscript. & Leg. Si quis emptionis, Cod. De præscript. 30. vel 40. ann.* — Quòd si quis partim præsens, partim absens fuerit, tempus absentiæ duplicari debebit: ut si octo annis præsens, & duobus absens à Provincia fuerit, præter illos octo, quatuor ad præscriptio-

ptionem anni sunt necessarii — Si autem nullus titulus interveniat, res immobiles privatorum præscribuntur spatio triginta annorum. Sic *Leg. Sicut in rem*, *Cod. De Præscr.* 30. *vel.* 40. *ann.* & *Cap. Sanctorum*, *De Præscriptionibus*.

XLIII. Dico tertiò. Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesias, vel pias causas, requiruntur quadraginta anni. *Cap. De Quarta*, *De præscript.* Authent. *Pro temporalibus*, *De Sacrosanctis Ecclesiis*. — Contra Ecclesiam Romanam nonnisi centum annis præscribitur, *C. Ad audientiam.C.Si diligenti*. *L. Quas actiones*, *Cod. De Sacrosf. Ecclesiis*. — Similiter contra Ordines Mendicantium, & gaudentes eorum privilegiis, nonnisi centum annis præscribitur, *Leg. Ut inter divinum*, *Cod. De Sacrosf. Ecclesiis*. Sic Molina, Lessius &c.

XLIV. Dico quartò. Bona Civitatum, Regnorum, quæ ad illa hereditate, legato, fidei commisso, donato, vel emto pervenerunt, centum annos requirunt ad præscriptionem, *Leg. Ut inter divinum*, *Cod. De Sacrosf. Ecclesiis*. Ea verò, quæ ex aliis titulis ad illa pertinent, quadraginta annis præscribi, docet Lessius.

XLV. Quæres primò: Quid sit, & quando requiratur immemorabilis temporis præscriptio?

Respondeo. Immemorabilis, seu immemorialis temporis præscriptio est: cujus initium excedit hominum memoriam, *Cap. Super quibusdam*, & in jure est maximæ auctoritatis. — Requiritur autem tunc, quando jus resistit præscribenti, idest, cum positivè possessionem prohibet. Unde Monasterium, Capitulum &c. possunt præscribere contra Ordinarium, verbi gratia, in jure patronatus, quamvis titulo careant; si modò in quieta possessione fuerunt ab immemoriabili tempore. Cæterum hæc possessio probari debet per testes, qui saltem per quadraginta annos de visu, vel sensu proprio, & à suis quoque Majoribus se talem rei statum semper audivisse, asseverent. Layman, *l.* 3. *de Just. Tr.* 1. *c.* 8. *nu.* 6. *&* 14.

XLVI. Quæres secundò: Qualis continvatio possessionis sit necessaria ad præscriptionem?

Suppono: ad præscriptionem requiri non solùm determinatum tempus, sed etiam continvationem possessionis: quare, defectu huius, prescriptio in jure dicitur aliquando non currere. Quod fit dupliciter. Primò. Cum præscriptio jam cœpta dormit. Secundò. Cum interrumpitur. Tunc dormire dicitur præscriptio, cum propter aliquod impedimentum superveniens ita suspenditur; ut tamen illo sublato, non sit necesse præscriptionem de novo incipere; sed tempus præcedens dormitionem cum tempore subsequente computari potest ad præscribendum. Interrumpi autem dicitur, cùm, propter superveniens impedimentum, præteritum præscriptioni tempus omnino extinguitur, & ineptum ad præscribendum judicatur. His positis

XLVII. Dico primò. Præscriptio dormit tempore pestis, & belli, quando homines latere, & tribunalia silere solent. Quia generaliter non valenti agere non currit præscriptio, *Cap. Ex transmissa*, *De præscript.* Item contra Ecclesiam dormit præscriptio Sede vacante, vel Prælato in hæresim lapso. Quia tunc caret legitimo defensore, *C. Auditis*.

XLVIII. Dico secundò. Præscriptio dupliciter interrumpitur: naturaliter, & civiliter. Naturaliter, cùm post præscriptionem rectè inchoatam defuit aliquid, ex requisitis ad præscriptionem necessariis, ut possessio, titulus, bona fides. Ita Communiter, *Leg. Naturaliter*, *ff. De Usucapione*. Civiliter interrumpitur, cùm nullum quidem è substantialibus requisitis deficit, juris tamen fictione censetur deficere. Quare hæc interruptio fit per actum juridicum; ut per libelli oblationem, citationem, litis contestationem, ex, *Leg.* 10. *C. De Aqu. Possess.* Et hæc differt à naturali, præcipuè

pue in hoc: quòd illa interruptio habet effectum suum respectu omnium adversariorum; ita ut, si quoad unum interrumpitur, quoad omnes interrumpitur. Civilis autem interruptio, solùm est respectu illius, qui litem movet. Unde si post motam litem, compertum fuerit, quod is, qui litem movit, non sit verus dominus; & interim contra verum dominum tempus præscriptionis elapsum fuerit: contra istum (quippe qui litem non intendit) præscriptio erit completa.

XLIX. Hìc tamen advertendum est primò: quòd si post litem motam sequitur sententia absolutoria præscribentis; tunc tempus litis motæ computatur ad præscriptionem. — Advertendum secundò: quòd si Actor litem, & causam jam incæptam non amplius prosequatur, nihilominus præscriptio per litis contestationem interrupta censetur: nisi Judex prudenter judicaverit, quòd actor dolo litem moverit ad prolongandum tempus præscriptionis. Colligitur ex *Leg. Ultima*, *C. De Præscript.* 30. *ann.* — Advertendum tertiò: ad continuandam possessionem non requiri, quòd possessio remaneat apud unam, eandemque personam. Unde potest de persona in personam, à donatore in donatarium, à venditore in emtorem continuari. *Leg. penultimâ*, §. 1. ff. *De Diversf. temp. præscript.* Videatur, Molina *De Justit. disp.* 78.

§. VI.

De Beneficio Restitutionis in Integrum contra Præscriptionem.

L. HOc supererat pro integra præscriptionis notitia. Igitur restitutio in integrum est remedium juris, quo hominibus læsis, aut circumventis Prætoriâ auctoritate succurritur, ipsos reponendo in statum pristinum; ut habetur, *Leg.* 1. *ff. Hoc titulo*. *Cap. Ex Litteris*. Cùmque multæ sint causæ, ex quibus aliquis circumveniri, aut lædi potest; puta ex contractibus mutui, pignoris, venditionis, emptionis, sententiâ Judicis decepti per falsos testes, instrumenta &c. ideo adversùs omnes istos modos lædendi potest læsus quærere beneficium restitutionis in integrum: de quo Canonistæ in titulo Decretalium Sexti, & Clementina de in integrum restitutione. In præsenti tantùm agimus de ea, quatenus est beneficium adversùs præscriptionem: atque ita rectè describitur, quod sit: *Remedium Juris, quod, factâ præscriptione, relinquitur priori domino, ut Judicis auctoritate in statum pristinum, in quo fuit ante præscriptionem, reponi possit*. Hoc præmisso

LI. Dico primò. Adversùs præscriptionem immemorabilem nemini datur beneficium restitutionis in integrum; quia hæc censetur jure privilegii: dummodo tamen non desint requisita legitimæ præscriptionis, præcipuè bona fides. Quæstio igitur procedit de præscriptione longi temporis.

LII. Dico secundò. Beneficium restitutionis in integrum datur minorennibus, Ecclesiis, Hospitalibus, aliisque piis locis, quæ in favorabilibus æquiparantur pupillis, & minoribus, ex hypothesi, quòd contra illos currat præscriptio, etsi longissimi temporis: quod beneficium quadriennio durat, computando à die præscriptionis completæ, & minoribus cognitæ. Quæ restitutio locum habet etiam in præscriptione quadraginta annorum, etiamsi negligentes fuerint in impedienda possessione. Ita de pupillis sancitur, *Leg. Ea quæ*, *Cod. De Tempor. integra restitut.* Et quoad Ecclesias. *Cap. Ecclesia*, & *Cap. Si adversùs*, *De Restitut. in integrum, in 6.*

LIII. Majoribus autem 25. annis conceditur etiam hoc beneficium, sed minori liberalitate; quia non sunt, ita favore juris muniti, sicut minores. Unde ut isto beneficio gaudeant, oportet, ut adsit justa, & gravis causa, qualis censetur, primò. Necessaria, vel justa absentia, vel involuntaria;

varia: ut si in hostium potestate, captivitate, vinculis fuerit: si causâ curandæ valetudinis in thermis: si belli, vel pestis tempore absuerit. Secundò. Justa, ut si absuerit in causa Ecclesiæ, negotiis, Reipublicæ tanquam Legatus, procurator, miles: quibus æquiparantur, qui causâ Studiorum peregrinantur, *Leg. Supervacuam. Cod. De temporibus in integr. restitut.* Tertiò. Si dolo, vel violentiâ adversarii impeditus fuit à rei suæ possessione, quamvis tunc etiam detur actio de dolo malo, *Leg. Divus Antoninus, ff. De in integr. rest.* Quartò. Si interveniat impedimentum naturæ, vel casus fortuiti. Ita restituitur servitus aquæductus illi, qui pluribus annis illum ducere omisit; non suâ negligentiâ, sed quia fons exaruit. Quintò. Secundùm aliquos justa, & inculpabilis ignorantia facti. Et ratio est: quia cum præscriptio sit odiosa, & introducta in odium negligentium: & ignorantia invincibilis facti omni vacet negligentiâ, non videtur ab hoc beneficio excludenda. Sufficiant hæc pro aliquali Candidati instructione. Res enim hujusmodi Juristæ, & Canonistæ magis sunt, quàm Theologi.

QUÆSTIO VII.

De Subjecto Dominii in Communi.

Expositâ jam naturâ dominii, nec non modis illud acquirendi explicatis; superest examinandum, quænam sint subjecta capacia illius; quod in hac Quæstione præstabimus.

DUBIUM I.

Quænam Natura sit Capax Dominii.

§. I.

Resolvitur de Creaturis Irrationalibus.

I. Joannes Gerson, de *Potest. Ecclesiastica, Consider.* 13. & *De Vita spirit. Lect.* 3. videtur sentire, quòd etiam in brutis, imò & in aliis creaturis sensu carentibus, sit aliquarum rerum dominium. Quod quidem, quoad bruta, probat ex illo, Gen. 1. v. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam .... ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri Cæli &c.* Sed per hæc verba confertur dominium homini super omnia præfata; ergo etiam brutis — Rursus: inter quædam animalia adest aliqua species principatus, subjectionis, & gubernationis: nam inter apes unus est Princeps, inter grues unus dux, quem cæteræ sequuntur. Unde S. Hieron. (*Epist.* 4. modò 95. *ad Rusticum Monachum*) relatus C. In Apibus 7. q. 1. *In apibus* (inquit) *Princeps unus est, grues unam sequuntur ordine litterario.* De apum regimine, & monarchiâ videri potest Thomas Cantipratanus, in *Lib. de Apibus*, Dioscorides, Matthiolus &c.

II. Quoad alias res inanimes probat ex *Gens.* 1. v. 16. ubi dicitur, quòd fecit Deus *Duo luminaria magna: luminare majus, ut præesset diei* (nempe Solem) *luminare minus* (nempe Lunam) *ut præesset nocti*. Quid est autem aliud præesse, quàm dominari? Et certè Sol, & Luna dominantur huic mundo inferiori; cùm calorem, virtutem, imò & vitam, ac motum influant, — Tum etiam ratione. Nam dominium nil aliud videtur esse, quàm facultas ad rem quamlibet: atqui quælibet res facultatem hanc habet: nam Sol facultatem habet ad illuminandum, gravia ad motum deor-

sum, levia ad sursum; ergo &c. His tamen non obstantibus

III. Dico. Nulla creatura irrationalis, sive sensu prædita, sive sensu carens, est capax dominii. Probatur primò. Quia, *Genes.* 1. pro ratione supremi dominii in omnia animantia assignatur imago divinitatis, quæ in ratione, & liberâ voluntate consistit: *Faciamus* (inquit Deus v. 26.) *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Quæ ponderans S. August. *Tract.* 8. *in* 1. *Ep. Joann.* ait: *Quia homo ex eo habet potestatem, ex quo factus est ad imaginem Dei. Ubi autem factus est ad imaginem Dei? In intellectu, in mente, in interiore homine; in eo, quòd intelligit veritatem, dijudicat justitiam, & injustitiam &c.* Ergo ubi non sunt hæc, ut non sunt in brutis, ibi non est potestas dominii.

Secundò. Si bruta haberent aliquarum rerum dominium, puta pabuli; sequeretur, quòd si quis illud auferret, injuriam eis irrogaret, ac subinde peccaret contra justitiam; quia auferre rem domino invito injuria est: sed neque animalibus, neque ulli creaturæ ratione carenti injuria irrogari potest; ergo nulla creatura ratione carens capax est dominii. Min. probatur. Injuria non fit, nisi nolenti; ergo ubi voluntas non est, injuria non erit, nec subinde dominium, ad cujus privationem injuria sequitur.

IV. Confirmatur. Illius solum potest esse aliquarum rerum dominium, cujus proprium est liberè, & electione operari: unde homo illarum tantùm operationum dominus dicitur, & est, quas liberè, & non ex necessitate ponit; quia dominium est, posse facere pro libito, & posse non facere: sed creaturæ irrationales necessariò agunt quidquid agunt; ergo nullius rei habent dominium --- Rursus: non potest esse aliarum rerum dominus, qui non est dominus sui, nec suarum operationum: sed creaturæ irrationales non sunt sui, nec suarum operationum dominæ; ergo &c. Videatur de hoc S. Tho. 1. 2. *q.* 1. *a.* 1. & 2. -- Præterea: dominium est jus utendi re ad quemcumque usum lege non prohibitum: sed creaturæ irrationales non possunt uti re aliquâ, quia usus est mediorum ad finem: creaturæ autem irrationales non possunt uti mediis, propter finem, cùm nequeant cognoscere proportionem mediorum ad finem, ut S. Thomas loco mox citato; ergo &c.

V. Neque dicas. In principio *Instit.* dici, jus naturale esse illud, quod *Natura omnia animantia docuit*: ergo jus naturale est commune hominibus, & brutis; cur ergo non etiam dominium? --- Nam respondeo, neg. conf. Brutis enim jus naturale attribuitur solùm æquivocè, & materialiter; quatenus faciunt naturali instinctu, & impulsu, quæ homines faciunt jure, & rectâ ratione præditi.

VI. Neque insuper obsunt ea, quæ ab initio in oppositum adducta sunt. Nam illud ex Genesi: *Ecce dedi vobis herbam &c.* contrarium potiùs ostendit. Quia apertè significat dominium herbarum &c. esse datum homini, ut ex iis sustentet se, & sua armenta, & pecudes.

Ad illud de apibus, & gruibus, dico, solùm evincere, quòd quædam animalia ex naturali instinctu habent quoddam simulacrum gubernii, quoddam dominium metaphoricum: ad eum modum, quo in formica dicitur esse sapientia, vel prudentia, juxta illud Proverb. 6. v. 6. *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam.*

VII. Quod autem dicitur in Genesi Solem factum fuisse, ut præesset diei, facit locutionem metaphoricam: quatenus sicut qui præest, & dominatur splendet in populo; ita Sol, qui in mundo fulget, & diei dat lucem, præesse per metaphoram dicitur.

Ad

Ad id, quod additur, nego, quòd dominium sit solùm facultas ad operandum: sed debet esse facultas ad liberè disponendum de re, secundùm omnem usum lege non prohibitum, quod soli rationali naturæ convenit.

§. II.

Resolvitur de Naturis Rationalibus.

EX dictis facilè apparet, solam naturam intellectualem, quippe ratione, & voluntate constantem, veri dominii capacem esse. Quia tamen natura intellectualis Deo, Angelis, & hominibus convenit; Deo quidem in summo gradu, Angelis in medio, hominibus in infimo: ideo

VIII. Dico primò. Deo soli convenit summum, absolutissimum, & inabdicabile dominium supra omnia creata. Probatur. Quia solus Deus est creator, & gubernator omnium: quatenus creator, est Dominus totius entitatis, & cujusvis actionis ejus: quatenus gubernator, omnia dirigit ad suum finem, nempe, ad se ipsum. Unde quà creator, omnia sibi subjicit, tanquam cau.æ primæ, & prorsus independenti: quatenus verò gubernator, omnia sibi subjicit tanquam ultimo fini. Quare hoc inter dominium Dei, & hominis discrimen est: quòd homo non est dominus naturæ, sed tantùm usus: Deus autem dominus est usus, & naturæ. Non solùm enim eâ uti potest quomodocumque voluerit; sed etiam potest eam immutare, & in nihilum redigere. Hinc Deus dicitur solus Dominus. Unde refert Suetonius, quòd cum quidam larvatus Octavianum Augustum Dominum conclamasset; id ipse ægrè ferens prohibuit, ne deinceps *Dominus* vocaretur, sed diminutivè *Domnus*: tacitè indicans, nomen *Dominus* soli Deo propriè convenire — Et ratio est. Nam ille solus est supremus Dominus, qui supremâ, & independente libertate potest uti quacumque re, ad quemcumque usum: sed solus Deus supremâ, & independente voluntate uti potest quacumque creaturâ ad quoscumque usus, & fines suæ sapientiæ; ergo &c.

IX. Dico secundò. Angelus habet quidem dominium supra suas operationes: sed supra hasce res corporales dominium propriè tale non habet, sed solùm præsidentiam quandam, ex dispositione divinâ. Tres habet partes hoc Assertum. Et prima liquet. Nam Angelus est intellectualis, & liber; ergo dominus est actionum, quæ suæ subsunt libertati.

Secunda pars probatur. Nullibi enim legimus, dominium propriè tale supra res corporales datum Angelis, sicut legimus datum homini, ut dicemus. Deinde dominium propriè tale est jus disponendi de re aliquâ, tanquam suâ, in proprium commodum &c. Sed Angeli, qui sunt spirituales, nequeunt uti rebus corporalibus in proprium commodum: quid enim Angelo conferre commodi potest tota hæc corporalis machina? Ergo &c.

Tertia verò pars ostensa à nobis fuit, *Tom. 6. in 1. P. Qu. 12. Dub. 4. §. 1. & 2.* Ubi diximus, totum hunc mundum visibilem per Angelos gubernari; singulis Regnis, ac Provinciis singulos Angelos esse præpositos: imò singulis hominibus, tanquam custodes, & ministros Dei ejus mandata exequentes. Unde *Apoc. 7. v. 2.* dicitur, quòd quatuor Angelis *Datum est nocere terræ, & mari*, tanquam scilicet voluntatem Dei exequentibus: quare statim eis injungitur: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus*.

X. Dico tertiò. Homini datum est verum dominium supra has res corporales inferiores. Probatur, ex Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra*. Quod repetitur, v. 28. *Replete terram, & subjicite eam, dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli &c.*

Et Pfalm. 8. v. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves, universas, insuper & pecora campi*. Unde universa propter hominem condita sunt, eique à Deo tradita, ut illis in suum commodum utatur.

§. III.

An Peccatores, & Infideles sint Dominii Capaces.

XI. Dico quartò. Homines etiamsi peccatores, imò & Infideles, habent verum dominium. Priorem partem ostendimus, contra Wicleffum, *Tom. 2. in 1. 2. Tract. de Legibus Q. 6. de Lege humanâ, Dub. 6. §. 2.* Ubi probavimus, Principes, ac Prælatos esse veros dominos; etsi illi careant fide, vel hi sint in peccato mortali; quæ huc revocanda sunt. Utraque autem pars continetur in Sacra utriusque Testamenti paginâ: Paulus enim, *Rom. 13. v. 1.* vult, ut *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo*, & v. 7. concludit: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal*. Quod & Christus ipse fecerat, *Matth. 17. v. 25.* solvendo pro se, & Petro tributum, sicut solvendum dixerat, Lucæ 20. v. 25. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Et tamen tunc Cæsar, ac cæteri Principes Infideles erant. Peccatores quoque veros esse Dominos, demonstrat S. Petrus, *Ep. 1. c. 2. v. 13.* dicens: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus &c. Quia sic est voluntas Dei &c.* Et v. 18. *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis*. In veteri etiam lege inter Reges, Principes recensentur non soli pii, ut David, Josaphat, Ezechias &c. sed etiam Achab, Manasses &c. quamvis impii, & idololatræ.

XII. Ratio autem est. Quia radix proxima, titulus, & subjectum dominii sunt ratio, contractus, hæreditas, possessio, electio &c. quæ omnia inveniri possunt non solum in hominibus justis, & fidelibus; sed & in peccatoribus, & infidelibus — Addo: quòd, sicut peccatum, & infidelitas non tollunt ab homine dominium in proprias actiones, vitam, membra, & famam; quia non tollunt ab eo rationem, ac libertatem: ita nec ab eo tolunt jus, & dominium in cætera bona, quæ quocumque justo titulo possidet. — Et tandem. Nam, cùm nemo sit certus, an sit in statu gratiæ, an peccati, incerta forent rerum dominia. Nulla insuper esset inter homines fides, ac securitas: cùm quilibet, prætextu peccati, posset inhiare spoliationi, bonorum alterius, sicque amplus aditus pateret injuriis.

XIII. Neque dicas cum Armacano, voluntatem non esse se solâ radicem totalem dominii; sed requiri, ut sit juncta fidei, & caritati. Quando enim Deus, *Genes. 1.* concessit Adæ dominium, benedictione ipsum præmunivit: quo designabat aliquid supra naturam, pertinens ad ordinem gratiæ. — Præterea: fundamentum dominii in eo consistit, quòd homo fit conditus ad imaginem, & similitudinem Dei, *Gen. 1. v. 26.* sed per peccatum mortale homo amittit imaginem Dei: quia comparatur jumentis insipientibus, *Ps. 48. v. 13.* ergo &c.

XIV. Respondetur enim, neg. assumtum. Aliàs sequeretur, quòd cùm Deus semper concedat Justis id, ad quod habent jus ex caritate; eis concederet plura temporalia bona, quo magis justi essent, si ex caritate ad ea jus haberent; quod tamen falsum est. Imò Christus à temporalium possessione Justos, ac perfectos dehortatur, Matth. 19. v. 21. *Vade, & vende &c.* — Ad primam prob. dico, benedictionem illam non fuisse collationem alicujus doni supernaturalis; alioquin etiam animalia bruta, quæ fuerunt à Deo pariter

bene-

benedicta, *Genes.* 1. *v.* 22. vel aliquo supernaturali dono insignita, vel dominii capacia fuissent effecta, quod falsum esse supra ostendimus. Fuit ergo illa benedictio non gratiam conferens, sed naturalem speciei propagationem largiens; unde statim subditur: *Crescite, & multiplicamini*.

Ad secundam, nego min. Referente enim Epiphanio, *Epist. ad Joann. Hierosolymit.* fuit error Origenis, Adam per peccatum imaginem Dei amisisse. Amisit quidem Adam peccando justitiam originalem, cujus beneficio appetitus sensitivus perfectè subjiciebatur rationi; & hac amissâ dicitur factus similis jumentis insipientibus; quia concupiscentia carnis, & appetitus sensitivus eum ad sensibilia trahere cæpit. Non tamen amisit naturalem libertatem arbitrii, in qua imago, & similitudo Dei sita est.

XV. Neque dicas iterum. Scriptura docet, propter solum peccatum amitti dominium. *Ecclesiastici* enim 10. *v.* 8. dicitur: *Regnum à Gente in Gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Et ratio est. Quia non est dominium, nisi à Deo: Deus autem non confert dominia improbis. Primò. Quia sunt ejus hostes. Secundò. Quia videretur abusum dominii approbare.

XVI. Nam respondeo, Scripturam solùm docere, Deum aliquando punire homines propter peccata, transferendo ab eis Regna, & dominia; sic olim punivit, & modò punit Judæos: non tamen, quòd homines, hoc ipso, quòd peccant, amittant Regna, & dominia. Verum quidem est, dominia esse à Deo: decet tamen Dei benignitatem, ut, sicut Matth. 5. v. 45. *Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos*, sic etiam generali suâ providentiâ dominia conferat justis, & injustis, quinimo eorum injustitias, & abusus approbet: sed, vel ut tali beneficio eos ad se alliciat, vel ut remuneret quædam moralia eorum benefacta, vel ut peccata subditorum puniat. Videndus hac in re S. Augustinus, *lib.* 5. *de Civitat. Dei, cap.* 15. 19. & præsertim 21. ubi hæc habet: *Non tribuamus dandi Regni, atque Imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in Regno Cælorum solis piis: Regnum verò terrenum, & piis, & impiis, sicut ei placet, cui nihil injustè placet.* Et post multa subjungit: *Qui Mario, ipse Cajo Cæsari, qui Augusto, ipse & Neroni, qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostata Juliano..... Hæc planè Deus unus, & verus regit, & gubernat, ut placet: & si occultis causis, numquid injustis?*

§. IV.

De Religiosis, an Capaces sint Dominii?

XVII. In hoc quæsito possumus loqui, vel de tota Communitate alicujus Ordinis Regularis; vel de singulis Religiosis in eo professis. Non loquimur de Clericis, quia de his locuti sumus supra.

Dico primò. Probabile est, Religiosos professos habere posse dominium rerum temporalium, sive mobilium, sive immobilium in communi; ita ut ipsa Communitas vero dominio eas possideat. Constare videtur ex Trident. *Sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 3. ubi: *Conceditur omnibus Monasteriis, & domibus, tàm virorum, quàm mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de observantia vocantur, etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat* — Et confirmatur. Nicolaus III. in Extr. *Exiit*, docet, dominium rerum, quibus Minores utuntur, ad Papam pertinere, non ad eorum Congregationes; quasi indicans, in

in aliis Religionibus, quibus licet habere aliquid in communi, dominium pertinere ad ipsas Congregationes.

Dixi hoc esse probabile. Quia est contraria Navarri opinio, volentis, solam administrationem, aut possessionem concessam esse Communitati; dominium verò esse apud Christum, & ejus Vicarium. Quod ex eo probari videtur, quia Communitas ea bona nec alienare, nec permutare, nec obligare potest absque licentia S. Sedis: quæ insuper aliquando adimit hujusmodi bona uni Communitati, & concedit alteri. Nec obsunt contrariæ opinionis momenta. Nam Tridentinum concedit quidem Communitatibus Religiosis possessionem, sed non dominium: aliud autem est possidere, aliud habere dominium, cùm possit, ex dictis, dari possessio sinè dominio; Nicolaus autem III. non procedit de hac re quasi definiens. Verùm ejusmodi Navarri rationes concludere videntur, omnia quoque quarumcumque Ecclesiarum bona esse sub immediato Summi Pontificis dominio: quia nec ista sinè S. Sedis licentiâ alienari, permutari nequunt: quod an verum sit, alteri judicandum relinquo. Fortè tamen utraque opinio conciliari posset dicendo: dominium directum, & supremum bonorum, à Communitate Religiosâ possessorum, esse apud S. Sedem; penes verò Communitatem esse dominium utile.

XVIII. Dico secundò. Certum est, Religiosos professos non posse in particulari habere ullum dominium, aut usufructum, aut possessionem cujuscumque rei, sive mobilis, sive immobilis. Est communis & certa sententia. Ex cap. *Cui portio.* C. *Duo sunt.* C. *Non dicatis.* 12. q. 1. Item C. *Monachi.* C. *Cùm ad Monasterium.* De stat. Monach. & ex Tridentino, *Sess.* 25. *de Regularibus*, C. 2. ubi sic statuit: *Nemini Regularium tàm virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus, possidere, vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Addens, nec licere Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam: sed omnia administrentur per solos Officiales, eosque amovibiles. Et ratio est. Quia cùm Religiosus per votum solemne, ab Ecclesia acceptatum, omnium temporalium proprietati, ac dominio renunciaverit, incapax omnis proprietatis, ac dominii effectus est: ita ut nonnisi sacrilegâ voti violatione contrarium præsumere possit, vel attentare. Quod exemplo Ananiæ, & Sapphire comprobatur: qui eo quòd post promissionem factam de toto agri pretio ad pedes Apostolorum tradendo, proprii aliquid clam retinuerint, morte mulctati sunt.

XIX. Quod dixi, nempe, Regulares esse incapaces juris, & dominii, intelligendum est quoad bona temporalia. Nam circa jura, & bona spiritualia dominium habere possunt. Unde Regulares beneficiarii habent dominium, vel quasi dominium, & possessionem suorum beneficiorum; & possunt agere nomine proprio ad eorum dominium vindicandum, adipiscendum, retinendum, recuperandum. Item simplex Religiosus proprio nomine potest agere super jure eligendi, competendi, præsidendi, præcedendi. Quia Religiosi per votum paupertatis non renuntiant juribus, & bonis spiritualibus.

XX. Quæres: An Religio, quæ aliquid possidet in communi, sit in gradu inferiori perfectionis, quàm ea, quæ nihil etiam in communi possidet.

Respondet S. Thomas, 2. 2. *q.* 188. *a.* 7. quòd perfectio non consistit essentialiter in paupertate, sed in Christi sequela. Unde dicit D. Hieron. super Matthæum, quòd *Quia non sufficit omnia relinquere, addit Petrus, quod perfectum est, scilicet, secuti sumus te.*

Pau-

Paupertas autem est sicut instrumentum, vel exercitium perveniendi ad perfectionem.

Hoc præmisso, distinguit S. Thom. tria genera Religionum; & secundùm hæc, tria genera, seu tres gradus paupertatis. Aliæ enim ordinantur ad actiones corporales activæ vitæ, ut ad militandum, ad peregrinos excipiendos; & his convenit habere in communi possessiones abundantes: quoniam absque aliquanta divitiarum copiâ non habebit paupertatem suo usui accommodatam, nec poterit assequi finem specialem, ad quem est instituta. Aliæ ordinantur ad contemplandum, sed non ad docendum, vel prædicandum; & his magis competit habere in communi possessiones, & divitias moderatas, quàm abundantes: quia quantò minor est copia divitiarum communium, tanto minor est solicitudo eas procurandi, vel conservandi; & proinde animus est magis expeditus contemplationi divinorum.

Aliæ sunt ordinatæ ad contemplandum, & insuper ad docendum, & prædicandum; & istis congruit, ut quàm minimum in communi possideant, nempe, non plùs, quàm sit necessarium vitæ Religiosorum: quia istis congruit habere vitam maximè ab exterioribus folicitudinibus expeditam: & idcirco ea paupertas illis congruit, quæ quam minimum folicitudinis secum afferat. *Quod quidem* (inquit) *fit*, *dum modica*, *quæ sunt necessaria vitæ*, *congruo tempore procurata conservantur. Et hoc Dominus paupertatis institutor docuit suo exemplo: habebat enim loculos Judæ commissos*, *in quibus recondebantur ei oblata*, *ut habetur*, *Joann.* 12.

XXI. Ex quibus infertur, Religionem institutam ad contemplandum, & contemplata aliis per doctrinam, & prædicationem tradendum; eo perfectiorem paupertatis assequi gradum, quò remotior est à possessione etiam in communi. Hoc enim apertè docet, *Opusc.* 17. contra retrahentes à Religione, *c.* 15. his verbis: *Tantò aliqua magis ad consiliorum perfectionem pertinent*, *quantò magis hominem à solicitudine mundi absolvunt. Manifestum est autem*, *quòd divitiarum*, *& possessionum cura impedit animum à rebus divinis. Sic igitur patet*, *quòd possessiones*, *& quascumque divitias omnino non habere*, *magis ad Evangelicam pertineat perfectionem*. Ne autem quis existimet, eum loqui tantùm de possessionibus in particulari, subjicit: *Nullus sani capitis dicet*, *ad mundi onera non pertinere communium possessionum curam. Pertinet igitur ad perfectionis pondus*, *ut etiam ab hujusmodi compedibus expediti homines serviant Deo*. Legendus est etiam C. 16. ejusdem Opusc.

DUBIUM II.

An Christus sit Totius Orbis Dominus.

§. I.

Status Quæstionis, *& Opinionum Varietas.*

I. De Christo, ut Deus est, nullam suppono esse controversiam. Nam ut Deus est Rex, & Dominus totius Universi, & omnium, quæ sunt in Universo. Immò nedum Christus, ut Deus, sed etiam ut *hic homo*, est verè Rex, & Dominus omnium. Nam illa dictio *ut* cadens supra *hic homo*, non reduplicat solam naturam humanam, sed personam, quæ in Christo Divina est. Controversia igitur est de Christo, spectatâ naturâ humanâ, seu secundum ea, quæ illi conveniunt ratione naturæ humanæ. Quâ in re adhuc distinguendum est. Nam quædam habet humanitas Christi, quæ sunt communia omnibus hominibus, ut esse risibilem, habere intellectum, voluntatem &c. Alia verò sunt propria illius naturæ humanæ singularis, ut in Christo; ut quòd fuerit conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine; quòd

quòd sit natura à Verbo assumta, eique unita; quæ illi naturæ singulariter, & ut ab aliis distinctæ conveniunt. Hîc ergo dum quærimus: an Christus, inquantùm homo, sit Rex, non sumimus naturam humanam secundùm communia, aliàs quilibet homo esset Rex, Monarcha; sed sumimus naturam humanam secundùm propria hujus naturæ singularis, ut Christi est: an Christus, inquantùm homo, specificando, & designando naturam humanam Christi, secundùm ea, quæ sibi propria, & singularia sunt, ut in Christo, sit Rex, & Monarcha totius Orbis.

II. Tres hîc invenio opiniones. Prima asserit, Christum fuisse verum, & legitimum Regem Israelis: non tamen eodem modo, & jure hujus sententiæ Auctores hoc illi tribuunt. Quidam enim, ut Burgensis, *in c. 1. Matth. addit. 2. Conclus.* 3. Armacanus, *l. 4. de Quæst. Armenorum, c. 15. & 16.* & alii, autumant, Christum jure hæreditario fuisse Regem Israelis; quia B. Virgo, ex qua natus est, jus habebat ad Regnum Judæorum: cùm per lineam rectam descenderet ex stirpe, & familiâ David, & deficiente viro fæmina succedebat in hæreditatem, *Numer. 27. v. 8.* & 36. *v.* 8. Qure cùm parentes Virginis ex stirpe Regia Davidis descenderint, nec filium habuerint; ad Virginem devoluta est hæreditas, & jus, quod ipsi ad Regnum habebant: & consequenter cùm Christus fuerit unicus filius Virginis, in illum hoc jus fuit translatum.

Colligunt. Quia, *Luca 1. v. 32.* Angelus ad Mariam: *Dabit* (inquit) *illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Et *Matth. 2. v. 2.* Magi Christum quærentes, dicebant: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Eique ut Regi aurum obtulerunt. Turbæ quoque illi occurrentes, *Luca 19. v.* 38. cantabant: *Benedictus qui venit Rex.* Et Joann. 12. v. 13. *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Cujus etiam Christus ipse fecit fidem, *Joann. 18. v. 37.* dum Pilato eum interroganti: *Ergo Rex es tu?* Respondit: *Tu dicis, quia Rex sum ego.* Quæ verba annuentis sunt. Unde Pilatus titulum Cruci affigens, scribi jussit, Joan. 19. v. 19. *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Et quamvis rogatus à Principibus Sacerdotum, ut titulum mutaret, renuit dicens, *v. 22. Quod scripsi, scripsi.*

Christus quoque Rex Israel prænunciatus fuit in veteri Testamento. Nam *Psalm. 2. v. 6.* de Christo dicitur: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Zachariæ 9. v. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & salvator.* Micheæ 5. v. 2. *Et tu Bethleem Ephrata .... Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*; quod affertur quoque, *Matth. 2. v. 6.* Huic opinioni favet eruditissimus æquè ac venerabilis P. Seraphinus à Porrecta, *in Elucid. a. 7. q. 35. tertia partis*, asserens, dicere, vel in dubium revocare, quòd Christus non esset Rex temporalis, est dicere, quod secundùm carnem non fuerit natus ex progenie David.

III. Alii verò, inter quos Albertus Pighius, *lib. 5. de Eccles. Hierarch. c.* 3. censent, Christum fuisse Regem Judæorum non jure hæreditario, sed communi eorum consensu, & voto. Nam cùm Messiæ adventum anxiè desiderarent, & simul crederent, futurum Regem temporalem Israelis, ut constat ex illis verbis, Lucæ 24. v. 21. *Nos autem sperabamus quia ipse redempturus esset Israel.* Et Act. 1. v. 6. ipsum interrogabant dicentes: *Domine si in tempore hoc restitues Regnum Israel:* proprerea turbæ credentes, Christum verum esse Messiam, voluerunt publicè, ac expresè facere eum Regem (*Jo. 6. v. 15.*) verùm eo fugiente, implicito illo, & tacito consensu remansisse Regem Israel. In quo sensu præfati auctores explicant illud primi *Machab.* 14. ubi cum Senatus, & Principes:

cipes Judęorum Simonem Machabæum, & ejus succeſsores in Ducem, & Principem Sacerdotum elegiſsent; ut perpetuò ea dignitas in ea familiâ duraret, exceptionem addiderunt: *Donec ſurgat Propheta fidelis*. Ideſt Chriſtus, quem certò credebant, Meſſiam futurum eſse Regem Iſraelis.

IV. Secunda ſententia docet, Chriſtum fuiſse quidem Regem ſpiritualem, & æternum; ita ut verum ejus Regnum ſit Eccleſia: non tamen fuiſſe Regem temporalem eo modo, quo alii Reges ſuis Regnis præſunt, temporalem, & civilem poteſtatem in ſibi ſubditos exercentes. Hanc tenent Bannez, Soto, Sylvius, aliique non pauci.

V. Tertia tenet, Chriſtum ab inſtanti ſuæ conceptionis fuiſſe verum Regem, & dominum, non ſolùm in ſpiritualibus, ſed in temporalibus: non ſolo dominatu juriſdictionis, ut Reges terreni, ſed etiam dominatu herili univerſorum hominum, & proprietarium omnium bonorum, quæ in mundo ſunt, & ab hominibus poſſidentur. Huic opinioni favent Sanctus Antoninus, 3. *p. tit.* 22. *c.* 5. §. 8. Turrecremata, *Summâ de Ecl. c.* 116. & alii. Cui etiam adhærere videtur S. Tho. 3. *p. q.* 58. *a.* 4. *ad* 1. & expreſſiùs, *Opuſc.* 20. *de Regim. Princ. l.* 3. *c.* 12. & 13. Quid autem nobis dicendum videatur, ſequentibus aperiemus.

§. II.

An Chriſtus fuerit Rex Iſraelis, vel Jure Hæreditario, vel Populi Judaici Conſenſu?

VI. Dico primò. Chriſtus non fuit Rex temporalis Iſraelis jure hæreditario, uti filius David. Probo primò. Quia dicere, Regnum Meſſiæ, promiſſum in Sacris Literis, futurum Regnum temporale, & temporaliter regnaturum, uti filium, vel ex ſtirpe David, redolet judaicum ſenſum; ita enim Judæi omnes, & judaizantes ſentiunt. Qui propterea Jeſum fuiſſe verum, ac promiſſum Meſſiam negarunt, & negant; quia non regali pompâ, ſed humili ſpecie ſeſe exhibuit.

Secundò. Quia Regnum Davidis, & Salomonis progenitorum Chriſti jam fuerat interciſum, & abolitum in Jechonia, & in perpetuum reſtituendum non erat, 4. *Reg.* 24. *v.* 3. & Hieremiæ 22. v. 30. *Nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda*. Unde apud Judæos, Babylonicâ captivitate ſolutos, poteſtas regnativa uſque ad Chriſtum translata legitur ad Sacerdotes, & Machabæos; qui cum eſſent de Tribu Levi, non erant de Tribu, ac familia David. Si ergo jus Regni à familia David ablatum erat, non poterat Chriſtus jure hęreditario eſſe Rex Judæorum.

Tertiò. Quia etiamſi jus Regium adhuc pertinuiſſet ad trahentes originem ex David; adhuc non conſtat, an eſſent alii cognati ſtirpis Regiæ propinquiores, & ſucceſſores in Regno magis legitimos, quàm Maria, & Chriſtus. Imò aderat ſaltem Joſeph vir Mariæ rectâ lineâ, ut conſtat ex Matthæo, & Lucâ, ex David deſcendens; cui utpote maſculo Regni ſucceſſio potiùs, quàm Mariæ, debebatur: cujus tamen Chriſtus filius non erat. Hinc ſurgit valida ratio. Nam ut conſtat in omnibus Regibus Iſraelis, ſucceſſio Regia ex Davide per lineam maſculinam, & non per fæmininam fuit ducta: ſed Chriſtus per lineam fæmininam tantùm eſt filius Davidis, cùm non fuerit filius Joſeph, ſed Beatæ Virginis; ergo jus ad Regnum jure hæreditario &c.

Quartò. Juxta Jacob vaticinium, Genſ. 49. v. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda .... donec veniat qui mittendus eſt*, Chriſtus eo tempore erat naſciturus, quo de Tribu Juda Regnum defeciſſet: at non defeciſſet, ſi Chriſtus hæreditario jure fuiſſet Rex Iſraelis; ergo &c.

VII. Neque obstant, quæ pro contraria opinione adducta sunt. Nam estò fæminæ succedere possent in jure hæreditatis, non tamen in jure Regni; cùm in Sacris Litteris contrarium appareat. Sed hoc etiam dato, succedere non potuissent, nisi in deficientiam masculi ex illa familiâ, vel stirpe: quod non contingit in casu. Nam ex stirpe David erat Joseph, ut diximus, & erant fortè alii masculi, ad quos jus hereditarium priùs spectabat, quàm ad Mariam.

Auctoritates autem, quæ ex Scripturis subjiciuntur, non evincunt, Christum fuisse Regem Israelis jure hereditario: sed indicant, vel ejus Regnum spirituale, vel eum fuisse Regem temporalem, & dominum super universum Orbem constitutum à Patre. De quo infra.

VIII. Dico secundò. Christus non fuit Rex Israelis, aut Judæorum con sensu, & voto populi. Probatur. Ut consensus populi potens sit Regnum in aliquem conferre, non sufficit consensus aliquorum de populo, seu plebe; sed requiritur consensus, & votum omnium Ordinum Regni: sed licèt turbæ, idest, homines de plebe aliquando Christum Regem conclamaverint; non tamen in hoc consenserunt Principes Sacerdotum, Scribæ, & Pharisæi, qui in populo primatum tenebant: quin potiùs acerrimè obstiterunt, & hac de causa reum mortis eum conclamaverunt; ergo &c.

Addo: quòd turbæ ipsæ, quæ in Christum, ut in Regem, consenserant, ex ignorantia, & proinde involuntariè ad hoc devenerunt: putabant enim Messiam eorum bella acturum, eosque à tyrannide liberaturum. Quare cum tandem viderent, Christum humili loco natum, omnium rerum indigum, & ad bella ineptum, consensum revocaverunt, clamantes: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* (Jo. 19. v. 15.)

Demum. Ut aliquis electione, & consensu fit Rex, requiritur electi acceptatio: sed Christus Regnum sibi oblatum non acceptavit; imò, ut habetur Joan. 6. v. 15. *Cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*; ergo &c.

§. III.

An Christus fuerit, & sit, inquantùm Homo, Monarcha, & Dominus totius Orbis à Deo Constitutus?

IX. Dico. Probabile est, Christum, inquantùm est homo, constitutum fuisse à Patre vi unionis hypostaticæ Regem, ac Dominum cùm potestate per se, & directè, nedum supra spiritualia, sed etiam supra temporalia universi Orbis: quamvis talis juris, & dominii usum, & exercitium habere noluerit. Hoc saltem probare videntur auctoritates Scripturæ, §. 1. num. 2. allatæ, huc revocandæ, quibus vocatur *Rex constitutus à Deo*: quòd *Dabit illi Deus sedem David patris ejus, & regnabit &c.* Quibus accedit, *Apoc.* 1. *v.* 5. ubi dicitur: *Princeps Regum terræ*. Et illud Psalm. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, Paulus applicans Christo, ad Hebr. 2. v. 8. *In eo enim* (inquit) *quòd omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei*. Et Matth. ultimo v. 18. *Data est mihi* (ait Christus) *omnis potestas in Cœlo, & in terra*. Qui autem dixit omnem potestatem, nullam exclusit, quæ in homine esse potest.

X. Accedit etiam S. Tho. *Opusc.* 20. *de Regim. Princ. lib.* 3. *cap.* 12. & sequentibus. Ubi apertè dicit: quòd Christus *Fuit verus Rex, Sacerdos, & verus Monarcha. Unde post Resurrectionem suam apparens Discipulis suis dixit:* Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. *Quod quidem ad humanitatem oportet referre, secundùm Augustinum, & Hieronymum; quia de divinitate nulli est dubium, quin semper habuerit.* Inde *cap.* 13. addit: „ Quod

„ in

" in Christi ortu Octavianus Cæsar jussit describi universum Orbem, in qua descriptione solvebatur tributum in recognitionem debitæ servitutis, non sine mysterio: quia ille jam natus erat, qui erat verus mundi Dominus, & Monarcha, cujus vices gerebat Augustus, licèt non intelligens: sed nutu Dei, sicut Cayphas prophetavit. Unde hoc instinctu ductus Cæsar mandavit tunc temporis, ut narrant historiæ, ne quis de Romano populo Dominum ipsum vocaret. Deinde ostendit excellentiam Monarchiæ Christi super alias. Tùm ratione durationis, quia duratura est in æternum. Tum ratione extensionis, quia ab ortu ad occasum dilatata. Tùm dominantis dignitate, quia Deus, & homo.

Hoc idem docet, 3. *p. q.* 59. *a.* 4. *ad* 1. ubi ait: *Quòd sicut dictum est* (a. præced. ad 1.) *judiciaria potestas consequitur Regiam dignitatem. Christus autem quamvis esset Rex constitutus a Deo; non tamen in terris vivens terrenum Regnum temporaliter administravit. Unde ipse dicit*, Jo. 18. Regnum meum non est de hoc mundo. *Similiter etiam judiciariam potestatem exercere noluit super res corporales, qui venerat homines ad divina transferre.* Et ad 2. *Christo* (inquit) *sunt omnia subjecta, quantùm ad potestatem, quam à Patre super omnia accepit, secundùm illud*, *Matth. ult.* Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. *Nondum tamen sunt omnia ei subjecta quantùm ad executionem.*

XI. Neque desunt rationes congruentes. Prima est. Nam Christus, ut homo, præeminere debet Adæ in statu innocentiæ; cùm natura humana Christi ex conjunctione divinitatis nobilior sit: sed Adam in statu innocentiæ constitutus fuit dominus omnium, quæ in mundo sunt, *Gen.* 1 *v.* 26. & 28. Et Ecclesiastici 17. v. 3. *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram*; ergo nisi dicamus, minus datum fuisse Christo, quàm Adamo, Christo datam fuisse potestatem etiam super temporalia dicere debemus.

Quod magis confirmo. Ex conjunctione cum divinitate derivavit in Christi humanitatem omnis dignitas Deo conveniens, & naturæ creatæ non repugnans: at esse Regem Universi, etiam quoad temporalia, est dignitas per se conveniens Deo, neque repugnat, ut creaturæ communicetur; ergo de facto fuit animæ Christi communicata.

XII. Secunda ratio est. Christus habuit supremam potestatem, & dominium super spiritualia, quæ sunt finis, ad quem omnia hæc temporalia ordinantur, & propter quem à Deo creata sunt; ergo multò magis habet potestatem, & dominium super temporalia ad finem spiritualem ordinata. Consequentia prob. Ut docet D. Thom. 2. 2. q. 40. a. 2. ad 3. *Omnis potentia, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de his, quæ sunt ad finem.* Unde *q.* 23. *a.* 4. *ad* 2. Ex quo *Caritas habet pro objecto ultimum finem humanæ vitæ, scilicet, beatitudinem æternam; ideo extendit se ad actus totius humanæ vitæ per modum imperii*: sed Christus, ut homo, constituitus est à Deo, ut dirigat ad finem spiritualem: cùm sit constitutus supremum Caput, Judex, & Pontifex omnium, & in ipso est ars, ac virtus plenissima, & architectonica omnia ad dictum finem ordinandi; ergo in eo cum summa potestate ad spiritualia conjuncta quoque esse debet suprema, & Monarchica, potestas, quà possit de temporalibus, ad dictum finem ordinatis, plenissimè disponere, eaque imperare; sicut ad supremum artificem pertinet principari inferioribus, eisque imperare.

XIII. Neque dicas, hinc sequi solùm, Christum habuisse directam potestatem in spiritualia; & in temporalia solum indirectam, eo modo, quo eam habet summus Pontifex: hoc autem non est habere potestatem Regalem in temporalia.

 Nam

Nam respondeo, negando illatum. Estò enim concedam, in Christo potestatem primariam fuisse ad spiritualia; ei tamen dico, fuisse vi unionis hypostaticæ conjunctam etiam supremam, directam, & immediatam potestatem in temporalia. Neque est idem de Romano Pontifice. Nam Christus habet excellentiam supremi Capitis, cui omnia subjecta esse debent: Pontifex autem Vicariam solum habet potestatem, quæ est sola facultas dispensandi, ideoque non est cum tanta amplitudine, ut in Christo. Sed de hoc infra.

XIV. Interea audiatur S. Bernardus, *l.* 3. *de Consider. c.* 1. ita ad Eugenium III. Papam scribens: *Dispensatio tibi super illum* (Orbem) *credita est, non data possessio. Si pergis usurpare & hanc, contradicit tibi, qui dicit:* Meus est Orbis terræ, & plenitudo ejus. *Non tu ille, de quo Propheta:* Et erit omnis terra possessio ejus. *Christus hic est, qui possessionem sibi vindicat, & jure creationis, & merito Redemtionis, & dono Patris. Cui enim alteri dictum est:* Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? *Possessionem, & dominium cede huic. Tu curam illius habe. Pars tua hæc: ultra ne extendas manum.* Ubi S. Bernardus tres titulos dominii amplissimi in Christo reperit, quorum nullus est in Papa. Primus est *Creationis*: & de hoc non disputamus, quia non est Christi, ut hominis, sed ut Dei. Secundus est *Redemtionis*, juxta, illud, Rom. 14. v. 9. *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Idest, Morte, & Resurrectione suâ mortuos & vivos redemit; & merito Redemtionis omnes suos fecit servos, ac suo subjectos dominio. Unde 1. Cor. 3. v. 23. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Tertius autem titulus est *Donum Patris*, quo in Scripturis Rex annuntiatur: *Quem*, Hebr. 1. v. 2. *constituit hæredem universorum.* Et quo titulo, *Lucæ* 10. *v.* 22. ipse dicebat: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* — His addo: quòd summum Sacerdotium Christi, utpote secundùm ordinem Melchisedech, qui fuit Sacerdos, & Rex, debuit esse Regiæ potestati conjunctum.

XV. Estò autem Christus supremâ etiam in temporalia potestate emineret, eâ tamen uti noluit: sed potius humili, ac vili incessu eam voluit occultare. Unde sicut, licèt ex gloria animæ quasi naturaliter gloria etiam corporis consequeretur, eam tamen corporis passibilitate celare voluit: sic estò Regia potestas, quâ donatus à Patre fuerat, requireret majestatis pompam, placuit ei paupertatis velamine eam operire. Unde, ut ait Apostolus, 2. Cor. 8. v. 9. *Propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites effetis.* Sic enim congruebat fini nostræ Redemtionis, & nostro erudimento. Hujus Christi humiliationis rationes affert S. Thom. *Opusc.* 20. citato. *Capite enim.* 14. ostendit, quòd estò Christi principatus statim à sua nativitate cœperit se manifestare, Angelorum ministerio, denuntiatione ad pastores, & Magorum adoratione; eum tamen in adulta ætate occultare voluit, ad docendum in Principibus humilitatem, per quam quis redditur in regimine gratiosus. Unde, multis Principum allatis exemplis, concludit S. Thom. *Omnes magni Principes & Monarchæ cum humilitate subjugaverunt mundum, sed cum fastu elationis perdiderunt dominium.* Cap. verò 15. aliam assignat rationem, nimirum: *Ad insinuandam differentiam inter suum, & aliorum Principum dominium. Quamvis enim temporaliter esset dominus Orbis; directè tamen ad spiritualem vitam suum ordinavit Principatum.* Et post multa subdit: *Ad tollendam igitur suspicionem de cordibus hominum, quòd quasi Principatum assumserit, ut in mundo dominaretur, & hoc esset finis ejus, ut aliorum dominorum; vitam abje-*

abjectam elegit : & tamen verus erat dominus, & Monarcha, quia factus est Principatus super humerum ejus.

§. IV.

Solvuntur Objectiones in Contrarium.

XVI. Objiciunt primò testimonium Christi, Joann. 18. v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo. Si de hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc.* — Nec valet dicere, Christum solùm negare exercitium Regiæ temporalis potestatis. — Nam hoc jam constabat Pilato, qui eum videbat pauperem. Rogabat ergo Pilatus, an ipse haberet jus Regni, ut Cæsari posset contradicere; ergo cùm Christus ei respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, non solùm usum negavit, sed etiam jus Regalis potestatis.

XVII. Respondeo primò, Christum non negare, se esse Regem; nam, v. sequenti, se esse Regem fatetur: sed negare, se esse Regem in eo sensu, quo accusabatur à Judæis: nimirum quòd Regnum Judæorum affectaret, & quòd ad hunc finem venisset, ut Regiam potestatem in mundo exerceret, aut mundanum quæreret Principatum: cùm potius venisset in mundum, ut testimonium perhiberet veritati. Ex quo non sequitur, quòd Regiam potestatem etiam super naturalia se habere negaret; sed solùm se ad eam exercendam non venisse. Hoc autem satis erat ad vacandum animum Pilati: qui cùm Cæsaris potestatem zelaret, de ambitu Regiæ majestatis timebat, neque de jure curabat. Estò autem eum pauperem videret, adhuc timore poterat, ne favore populi Regnum affectaret: maximè quia eum accusabant, quòd subverteret gentem, & prohiberet, tributa dare Cæsari.

XVIII. Respondeo secundò. Advertendo cum S. Augustino, *Tract.* 115. *in Joan.* & S. Thoma, *Lect.* 6. *in c.* 18. *Joan.* Christum non dixisse *Regnum meum non est in hoc mundo*, sed *de hoc mundo*: neque dixisse: *Regnum meum non est hic*, sed *non est hinc*. Regnum ergo Christi, cui data est omnis potestas in Cœlo, & in terra, est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo. Quasi diceret, secundùm Augustinum, idest, Fideles mei, qui sunt Regnum meum, sunt in hoc mundo; sed non sunt de hoc mundo, per affectum, & imitationem. Vel secundùm Chrysostomum relatum à S.Thom. ibi: *Regnum meum*, idest, *potestas mea, & auctoritas, quâ Rex sum, non est de hoc mundo: idest, non habet originem ex causis mundanis, & electione hominum, sed aliunde, scilicet, ab ipso Patre, Dan.* 7. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus, quod non corrumpetur.

XIX. Objiciunt secundò. *Lucæ* 12. v. 14. cuidam roganti Christum, ut componeret litem, quam cum fratre suo habebat, circa divisionem hæreditatis, respondit: *Quis me constituit judicem, aut divisorem inter vos?* Ut autem significaret, se carere non solùm usu, sed potestate judiciaria, dixit, Joann. 3. v. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum*; ergo &c.

XX. Respondeo cum S. Thom. 3. *p. q.* 59. *a.* 4. *ad* 1. relato supra, §. præcedente, *num.* 10. quòd Christus sicut habuit Regiam potestatem temporaliter administrandi, eâ tamen in terris vivens uti non voluit: ita etiam habuit judiciariam potestatem, eam tamen in temporalia noluit exercere: quia missus fuerat, non ut judicaret mundum, sed ut mundum salvaret. Utramque ergo Christus in sui conceptione potestatem accepit, & dominativam, & judiciariam; sed neutrâ in ordine ad temporalia uti voluit: ad hoc enim à Patre missus non fuerat. Unde Ambrosius, à S. Thom. relatus, in prefatum locum Lucæ: *Benè* (inquit) *terrena declinat, qui propter divina.*

divina descenderat: nec judex dignatur esse litium, & arbiter facultatum, vivorum habens, mortuorumque judicium, arbitriumque meritorum.

XXI. Hac etiam viâ respónderi potest auctoritatibus Sacræ Scripturæ: in quarum aliquibus videtur negari, Christum fuisse Regem, in aliis verò affirmari, fuisse Regem solùm spiritualium — Nam auctoritates primi generis solùm intendunt, Christum Regiâ majestate, non apparuisse. Auctoritates vero secundi generis dum admittunt, Christum fuisse Regem, sed solùm spiritualium, non negant in eo Regalem potestatem etiam super terrena; sed solùm indicant, hanc non fuisse præcipuum ejus finem: sed præcipuum Christi finem fuisse, dominationem terrenam in spiritualem vitam dirigere, & ordinare, ut ex S. Thom. *Opusc.* 20. ostensum est.

XXII. Objiciunt tertiò varia SS. Patrum testimonia dicentium, Regnum Christi fuisse spirituale, non fuisse de hoc mundo, non fuisse terrenum, temporale, non seculari honore &c. Ut Augustini, *lib.* 17. *de Civit. Dei c.* 7. *Tract.* 115. *in Joan.* Hieronymi *l.* 4. *super Jerem. c.* 22. Ambrosii, & aliorum.

XXIII. Sed his, & similibus respondeo, SS. Patres non negare, Christum esse Regem per verum jus, & potestatem super omnia Regna mundi, non minus, imò magis, quàm Principes terræ. S. August. *l.* 22. *contra Faust. c.* 33. in Christo Regnum cum Sacerdotio unitum demonstrans, ait: *Nonne ipse David, cùm panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi solis Sacerdotibus, ita una persona utrumque futurum, idest in uno Jesu Christo, Regnum, & Sacerdotium figuravit?* Solùm ergo volunt Patres, Christum non fuisse Regem, quales sunt Reges terreni; nimirum, temporales, & circa temporalia unicè occupati, & circa hæc potestatem suam exercentes: cum potissimus Christi finis esset, homines ad Cœlestia à terrenis sublevare. Quapropter idem S. Aug. *Tract.* 51. *in Joann.* ad illa turbarum verba clamantium: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel*, ait: *Sed quid fuit Domino Regem esse Israel; quid magnum fuit Regi seculorum Regem fieri hominum? Non enim Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos; sed Rex Israel, quòd mentes regat, quòd in æternum consulat..... Quòd Rex esse voluit Israel, dignatio est, non promotio; miserationis indicium est, non potestatis augmentum: qui enim appellatus est in terra Rex Judæorum, in Cœlis est Dominus Angelorum.*

XXIV. Objiciunt quartò Ratione. Primò. Facere Christum Regem temporalem, est fingere Messiam, qualem Judæi expectant.

Secundò. Id ex vi unionis hypostaticæ collatum est humanitati Christi, quod ad finem Redemtionis, & hominum instructionem conducebat: sed ad hæc non conducebat Regia majestas, & temporalium dominium. Nam ad Redemtionem conducebat humilitas, juxta illud, Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens &c.* Ad nostram instructionem magis juvabat omnis temporalis dominii abdicatio, quâ omnibus se præberet exemplum hæc caduca sperendi; ergo &c.

XXV. Respondeo ad primam, neg. ant. Judæi namque sibi fingunt Messiam venturum visibili pompâ, ac Regio apparatu regnaturum; quod pertinet ad Regalis majestatis usum, & exercitium. Nos autem Christo ob ejus dignitatem asserimus quidem jus, & dominium Regale; usum autem, & exercitium dicimus à se abdicasse.

XXVI. Ad secundam, nego min. quoad utramque partem. Ad probat. primæ partis dico, quòd sicut Christi dignitatem decuit, ut in ipso esset omnis scientia, & ars practica; quamvis ea ad finem Redemtionis non

con-

conducerent: quia pertinebant ad ornatum animæ ejus, & dignitatem. ut enim docet S. Tho. 3. p. q. 9. a. 4. *Nihil eorum, quæ Deus in nostra natura plantavit, defuit humanæ naturæ assumtæ à Dei Verbo.* Eo quòd non decuit, ut aliquis homo posset aliquid scire, aut operari, quod Christus non posset. Ita nec decuit, ut aliquis homo haberet potestatem, & dominium alicujus rei, cujus potestas non esset à Patre æterno tradita Christo. Unde ad finem Incarnationis & expediebat, ut Christo data esset omnis potestas, & etiam quòd non omni eâ potestate uteretur.

Ad secundæ partis probat. dico, magis firmari nostram instructionem ponendo, quòd Christus licèt esset omnium etiam temporalium dominus, quoad jus; omnium tamen usum, & actuale dominium à se abdicaverit: plus enim est, & majoris virtutis actus, quòd Rex, & dominus usui, & exercitio dominationis, ac divitiarum renuntiet, quàm, quòd eis renuntiet, qui omni caret jure ad illas. Unde ex hoc humilitatem Christi commendat Paulus, quòd cùm esset dives, propter nos egenus factus est.

XXVII. Sed contra solutionem primæ partis instabis sic. Sicut ex conjunctione humanitatis ad Deum consequebatur in anima Christi dominium, & jus Regium super omnia; ita ex tali unione consequebatur gloria non solùm in anima, sed etiam in corpore: sed quia ad finem Redemtionis assumsit naturam mortalem, & passibilem, impedivit, ne gloria ab anima resultaret in corpus; ergo quia ad finem Redemtionis elegit paupertatem, impedire debuit, ne ad humanitatem redundaret jus, & dominium super omnia.

XXVIII. Contra solutionem secundæ partis instabis. Perfecta paupertas sita est non in sola abdicatione usus rerum, sed potiùs in abdicatione omnis juris, & proprietatis: sed Christus perfectam paupertatem, quàm nos docuit, in se amplexus est: cæpit enim facere, & docere; ergo &c.

Confirmatur. Christus perfectionem Evangelicam, quam Apostolos docuit, in se habuit: sed de ratione hujus est deserere nedum usum, sed & dominium rerum omnium: nam, *Matth.* 19. dixit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Aliàs ille homo, cui talia dicebantur, meritò à Christi consiliis potuisset resilire, eique sic objicere: tu perfectus es, & tamen rerum omnium dominium retines: quare ergo mihi, ut perfectus sim, rerum omnium abdicationem præfigis?

XXIX. Ad instantiam contra solutionem primæ partis dico, eam nobis potiùs favere. Nam sicut non obstante, quòd Christus esset viator, fuit tamen etiam comprehensor, & ideo gloriam ab anima non rejecit: ita licèt esset usu, & statu pauper, non debuit ab anima rejicere jus, & dominium omnium. Sed potiùs licèt ejus anima esset vi unionis donata gloriâ, hanc tamen non permisit exteriùs transfundi ad corpus: ita licèt esset vi unionis prædita omnium rerum dominio, eo tamen exterius uti, ac hominibus manifestare noluit, sed vitam pauperem ducere elegit.

XXX. Ad instantiam contra secundæ partis solutionem dico primò, de ratione perfectionis Evangelicæ esse quidem abdicare à se dominium voluntarium rerum, non tamen dominium naturale, quale erat dominium Christi, habitum ex vi unionis hypostaticæ: unde satis erat, ut usum & exercitium abdicaret. — Dico secundò, maj. non esse veram absolutè. Nam status Episcoporum est longè perfectior statu Religiosorum, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 7. et tamen Episcopi habent jus, & proprietatem, imò & usum, administrationem rerum temporalium. Et ratio est, ut docet S. Tho. ibi *ad* 2. Quia perfectio non consistit essentialiter in actu renuntiationis; hæc enim solùm est

perfectionis instrumentum: sed quod directè pertinet ad perfectionem est, quòd homo sit paratus omnia dimittere, si fuerit opus, & ea distribuere.

Hinc ad Confirm. dico, Christum justè postulasse ab illo homine, ut si vellet esse perfectus, venderet omnia quæ habebat, & daret pauperibus: quia benè noverat, eum divitiis valde affectum, ex retentione illarum à perfectione retardari, ut de facto contigit. Nam auditis Christi verbis: *Vade, & vende &c.* refertur, v. 22. *Cùm audisset autem adolescens verbum, abiit tristis.* Nec poterat Christo opponere, quod ab arguente objicitur. Nam, præterquam quod ipsum videbat, cum Apostolis pauperem vitam ex piorum eleemosyis ducere; dominium, quod Christus habebat, utpote non voluntarium, sed naturale, à culmine perfectionis eum nec latum unguem divertere poterat.

XXXI. Objiciunt quintò. Potestas, quæ nunquam reducta fuit ad actum inutilis erat, & otiosa: sed Christus quamdiu in terris vixit, numquam exercuit temporalem potestatem: e contra autem spiritualem exercuit semper, remittendo peccata, prædicando, arguendo; ergo hanc quidem habuit, sed non illam.

XXXII. Respondent aliqui, neg. min. Cum enim Chistus misit duos discipulos ad solvendum asinam, & pullum, dicens, Matth. 21. v. 3. *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos:* & ita factum fuit; ostendit, se temporalium proprietatem, & dominium habuisse. Quo etiam usum fuisse apparet, cum Dæmones in gregem porcorum immisit: cum facto flagello ejecit vendentes, ac ementes de templo.

Sed quidquid sit de hoc: jam dictum est, Christum Regalis dignitatis, & dominii usum habere noluisse in hac vitâ; neque per hoc dignitas illa superflua in eo fuit. Quia multa assumpsit ad dignitatem humanæ naturæ, quibus numquam usus est, neque usurus erat, ut dictum est de artibus practicis, de potentia ridendi: cùm tamen, neque unquam risisse legatur, aut unquam pinxerit, vel ædificaverit.

XXXIII. Objiciunt sextò. Si Christus esset Rex temporalis, teneretur gubernare mundum in temporalibus: sed nihil tale gessit, nam nec ministros creavit, imò multorum tyrannides permisit. Vel ergo non fuit Rex temporalis, vel non fuit bonus Rex: non enim est bonus Rex, qui gubernare negligit, & qui talia mala permittit.

Respondeo, quòd sicut Deus, cùm sit omnium rerum Dominus, permittit tamen multas tyrannides, & multa mala propter majus bonum: sic Christus divinæ voluntatis conscius, tunc non esse tempus ejus, permisit iniquis Principibus terræ gubernationem. Cùm autem tempus ejus advenerit, idest, post diem judicii, ipse solus omnibus dominabitur. Et ratio est: quia licèt modò omnia sint Christo subjecta quantùm ad potestatem, non tamen quantùm ad executionem.

XXXIV. Tandem objicies. Si Christus fuit Rex temporalis, cur turbis rapere eum volentibus, ut facerent regem, aufugit?

Responsio in promtu est. Id Christum renuisse: Tùm quia: licèt in hoc mundo esset Rex, quantùm ad potestatem, nolebat tamen esse quantùm ad exercitium. Tùm quia: derogasset dignitati ejus, si Regnum particulare ab homine accepisset, qui sic erat totius Mundi Rex, ut ejus participatione omnes Reges regnarent. Tùm, ut erudiret nos mundanas contemnere dignitates. Videatur S. Thomas super Caput 6. *Joann. Lect. 2.* Hæc probabiliter dicta sint, contrariâ opinione suæ probabilitati relictâ.

DU-

DUBIUM III.

An Papa dici possit, & sit Dominus Temporalis totius Orbis?

§. I.

De Potestate Indirecta.

I. CHristum titulo Redemtionis jus supremum, Regiamque potestatem in toto Orbe, etiam quoad temporalia; ideoque totius Orbis Monarcham dici posse, probabiliter ostendimus. De Summo Pontifice ejus legitimo in terris Vicario superest inquirendum: an scilicet isti à Christo collata fuerit talis, tantaque potestas; ut jus, ac jurisdictionem habeat supremam, nedum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus: & hoc in toto Orbe Christiano.

De potestate quidem spirituali, hanc supremam in Summo Romano Pontifice residere, certissimè supponimus; & Theologi omnes Catholici, ut certum, & exploratum suo loco habent; nosque in *Vera Ecclesiâ*, *Tom.* 2. *p.* 2. *a.* 1. & 2. fusè demonstravimus. Quare de dominio temporali unicè quæstio procedit.

Verùm quia summum Pontificem habere dominium super temporalia, potest intelligi dupliciter: uno modo directè, & per se, in ordine ad finem temporalem: alio modo indirectè, & ex consequenti, si nimirum sic expediat bono spirituali, & fidei conservationi; acerrimè disputatur inter Theologos: an Romanus Pontifex jus, & potestatem, saltem indirectam, habuerit à Christo circa temporalia; ratione cujus, quando expediens judicaverit ad finem supernaturalem conservationis fidei, & Ecclesiæ universalis bonum, possit Reges, ac Principes Christianos Regnis, ac temporali dominio privatos declarare; eorumque subditos à juramento fidelitatis ipsis præstito absolutos pronunciare. Hoc totâ contentione negant, tanquam Regibus injuriosum, Theologi non pauci, ut notum est: saniores tamen, tanquam fidei Catholicæ conservandæ perutile, ac necessarium affirmant. De hoc aliqua dixi, de *Celibatu*, *Coloquio* 4. *secunda classis*; & *in Vindiciis Gregorii VII. Colloquio* II. modò pro mei Candidati instructione, aliqua, præsertim ex S. Thoma, subjiciam.

II. Dico. Summo Pontifici jus, & dominium, saltem indirectum, in temporalia modo explicato denegandum non est. Probatur primò. Quando potestas civilis, & spiritualis conjunguntur, tanquam partes ejusdem Reipublicæ; potestas civilis ita subditur potestati spirituali, sicut corpus subditur spiritui in eodem composito: sed estò spiritus non se misceat actionibus carnis, sed sinat eam illas exercere, pro ut in brutis exercet; tamen quando operationes carnis officiunt fini ipsius spiritus, vel ei resistunt; ad spiritum pertinet imperare carni, eam castigare, affligere, cohibere linguam, ne loquatur, oculos, ne videant: &, si ad finem spiritus obtinendum, necessaria sit carnis passio, aut etiam mors, potest spiritus imperare, ut ad hæc se exponat, ut in Martyribus constat; ergo similiter estò spiritualis potestas per se non se misceat temporali, ejusque negotiis, sed sinat eam procedere; si tamen temporalis potestas fini spiritualis potestatis obsistat, potest hæc, & debet eam coercere, & omni ratione, & viâ, quæ necessaria videbitur, ad subjectionem trahere.

Doctrina hæc, & discursus est Sancti Thomæ, 2. 2. *q.* 60. *a.* 6. *ad* 3. ubi hæc habet: *Potestas secularis subditur spirituali, sicut corpus animæ: & ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus, quantùm ad ea, in quibus subditur ei secularis potestas*. Et eâdem 2. 2. *q.* 12. *a.* 2. ubi quærit: an *Princeps, propter apostasiam à fide, amittat dominium in subditos, ita quod ei obe-*

ei obedire non teneantur. Postquam docuit, infidelitatem per se non repugnare dominio: *Eò quòd dominium introductum est de jure Gentium, quod est jus humanum*; *distinctio autem Fidelium, & Infidelium est secundùm jus divinum, per quod non tollitur jus humanum. Sed aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominij amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas*. Inde subiiciens, ad Ecclesiam non pertinere *Punire infidelitatem in illis, qui nunquam fidem susceperunt*; prosequitur: *Sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire: & convenienter in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possint: hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem.... & ideo quàm citò aliquis denuntiatur excommunicatus, propter apostasiam à fide; ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur*. Hæc S. Thomas, qui Parisiis lauream doctoralem susceperat, & qui doctrinam suæ Facultati contrariam docuisse credendus non est. Quapropter Parisiensibus Doctoribus modernis hæc adeo invisa esse non deberet.

III. Ratio autem à priori est. Nam quando Reges, & Principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant per Baptismum; recipiuntur cum pacto expresso, vel saltem tacito, ut sceptra sua Christo subiiciant; & polliceantur, se Christo fidem in se, suisque subditis servaturos, etiam cum Regni amissione; non enim est idoneus Baptismati, qui non est paratus Christo servire, & propter ipsum amittere quidquid habet; ergo si à fide Christi quoque devient, poterunt per spiritualem potestatem ad servandam fidem cogi; & si renuant, absque ulla injuria Regno privari.

IV. Confirmatur. Quando Petro dixit Christus, Joan. ult. v. 17. *Pasce oves meas*, dedit illi omnem facultatem, quæ pascendo, & tuendo gregi necessaria est; Pastori autem triplex potestas est necessaria. Una circa lupos, ut eos arceat omni ratione, quâ poterit. Altera circa arietes, ut si quando cornibus lædant gregem, possit eos recludere, & prohibere ne gregem præcedant. Tertia circa oves, ut tribuat singulis convenientia pascua. Ergo hanc triplicem potestatem dedit Christus Petro, & subinde Romanis Pontificibus in Petri auctoritate successoribus. unam arcendi lupos, nimirum invadentes Ecclesiam, eos ab ovili per excommunicationem arcendo; & oves, nempe, populos jubendo, ne eos sequantur: alteram circa arietes ovile turbantes, & dissipare conantes, ut si Princeps, qui Ecclesiam tueri, ac defendere tenetur, ei ac Religioni multum obsit. Tertiam circa oves, cogendo eas, ut singulæ vivant secundùm statum suum.

V. Hujus autem non desunt exempla, tum in veteri, tùm in nova lege. In veteri enim legimus, 2. *Paralip. c.* 23. quòd cum Athalias tyrannicè occupasset Regnum, & foveret cultum Baal, Joade Pontifex vocavit Centuriones, & milites, quibus jussit, ut Athaliam interficerent: quod factum est, & pro eo Joas Regem creavit. Item, 2. *Paralip. c.* 26. legimus, Oziam Regem cùm Sacerdotum officium usurparet, à Pontifice fuisse de templo ejectum, & à Deo leprâ percussum; coactum etiam fuisse à Civitate discedere, & Regnum filio renuntiare.

In nova etiam. Nam primò. Gregorius II. Leoni Imperatori Iconomacho, à se excommunicato, prohibuit vectigalia solui ab Italis; & proinde cum parte Imperii mulctavit. Secundò. Zacharias rogatus à primatibus Galliarum Childericum deposuit, & in ejus locum Pipinum Caroli Magni patrem Regem instituit; ut à Regno Galliæ ruinam, quæ Religioni ex eius fncordia imminebat, averteret, C. *Alius*, 15. *q.* 6. Tertiò. Leo III. Imperium transtulit à Græcis ad Germanos. *Cap. Venerabilem, tit. De Electione*.

Quar-

Quartò. Gregorius VII. Henricum IV. Imperatorem deposuit. Quintò. Innocentius IV. in Concil. Gener. Lugdunensi, consentientibus Patribus, deposuit Fridericum II. omitto alia exempla magis recentia.

VI. Multa sunt, quæ Auctores contrarii in oppositum asserunt: maximè, sententiam nostram è scholis noviter erupisse: doctrinam Ecclesiæ antiquæ esse contrariam. Sed hìc non vacat rem hanc examinare. Solùm dicam, objectionem hanc prævisam fuisse à S. Thoma, citatâ 2. 2. *q.* 12. *a.* 2. Sibi enim objicit, quod Julianus, quamvis Apostata, erat tamen Imperator, eique Christiani milites obtemperabant. Cui respondet: *Ad primum dicendum, quòd illo tempore Ecclesia in sui novitate nondum habebat potestatem terrenos Principes compescendi; & ideo toleravit Fideles Juliano apostatæ obedire in his, quæ non erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur.* Prætera, dico, exempla quæ adduximus ex veteri, & novo Testamento, satis evincere, nostram sententiam non esse novam, sed novam potiùs esse sententiam oppositam. Sed hìc satis.

§. II.

De Potestate Directâ.

VII. Dico primò. Papa non est dominus totius Orbis. Probatur. Nam Papa dominium non habet in illas Provincias, quas obtinent Infideles. Tùm quia: Christus, *Joan.* ultimo, solas oves, & agnos suos Petro commisit: Infideles autem non sunt agni, aut oves Christi. — Tùm quia: Papa non potest judicare Infideles: *Quid enim mihi de iis, qui foris, sunt judicare?* (ajebat Paulus, 1. *Cor.* 5. *v.* 12.) — Tùm denique: quia Principes infideles sunt veri, ac supremi suorum Regnorum domini: quia, ut dicebamus dominium non fundatur in gratia, aut in fide, sed in libero arbitrio; neque dominium descendit ex jure divino, sed ex jure Gentium; unde Regna Gentilium tam in veteri, quàm in novo Testamento approbantur à Deo.

VIII. Dico secundò. Papa non est temporalis Dominus totius Orbis Christiani. Prob. Papa illud jus, & potestatem habet in Orbe Christiano, quam Christus contulit Petro: sed Christus non contulit Petro per se, & directè dominium temporale in Orbem Christianum; sed solum spirituale pertinens ad regimen Ecclesiæ suæ, ad pascendas oves, pabulo spirituali, in ordine ad vitam æternam: unde dedit ei claves Regni Cœlorum; ergo &c.

Secundò. Si Summus Pontifex haberet dominium universale super temporalia totius Orbis Christiani; sequeretur, quòd donationes factæ ab Imperatoribus, Regibus, ac Principibus, qui Urbes, & Provincias Ecclesiæ donarunt, non fuissent veræ donationes, sed restitutiones: etenim dare rem aliquam proprio rei domino, non est donare, sed restituere. — Rursus: omnes Principes Christiani temporales essent Vicarii Papæ, & ab eo jurisdictionem temporalem acciperent; quod est inauditum.

Tertiò. Si Pontifex esset supremus totius Christiani Orbis dominus, esset universalis Rex, & Imperator: sed hoc est falsum. Nam, *Cap. Cum ad verum, dist.* 96. disponitur, ne Imperator sibi jura Pontificatus usurpet; aut Pontifex jura, & nomen Imperatoris. Quod etiam videtur à Christo prohibitum, Matth. 20. v. 25. & Lucæ 22. v. 25. *Reges Gentium dominantur eorum.... vos autem non sic.*

Quartò. Si hoc verum esset, sequetur, quòd Pontifex posset pro sua voluntate, in ordine ad finem temporalem, leges ferre in toto Orbe Christiano; & omnes Principum leges ad libitum abrogare, ipsosque Reges deponere pro sua voluntate: quæ omnia falsa sunt, & absurda.

IX. Dico tertiò. Attento jure di-

vino, nullum Papa habet dominium per se, & directè in temporalia; ut nimirum, Papa sit Rex, Princeps, dominus Regni, Provinciæ, aut alicujus loci, quantùm ad dominium temporale: non tamen pugnat cum jure divino, aut verbo Dei esse simul Principem Ecclesiasticum, & secularem.

X. Prior pars prob. primò. Nam hoc non habetur ex Sacris Litteris, ut nuper ostensum est, *num.* 7. Non habetur ex traditione. Imò habetur, veteres Pontifices omni temporalium dominio caruisse; atque Ecclesiam, nonnisi progressu temporum ex pietate Imperatorum, & Regum, temporalia bona possidere cæpisse.

Secundò. Potestates Pontificalis, & Regia secundùm divinam institutionem sunt distinctæ, & subjecto, & functione in novo Testamento. Ita Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem, postquam dixerat, ante Christi adventum quosdam fuisse Reges simul, & Sacerdotes, subdit: *Cum autem ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit. Quoniam idem Mediator Dei, & hominum Homo Christus Jesus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit.... ut & Christiani Imperatores pro aterna vitâ Pontificibus indigerent; & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur.* Referuntur hæc, C. *Cum ad verum.*, *dist.* 96. --- Item Innocentius III. Cap. Solicitè, tit. de Majorit. *Ad firmamentum* (inquit) *Cœli, hoc est, universalis Ecclesia, fecit Deus duo magna luminaria; idest, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas; sed illa, quæ praest diebus, idest spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor: ut quanta inter Solem, & Lunam, tanta inter Reges, & Pontifices differentia cognoscatur.*

Posterior verò pars probata fuit supra, *q.* 4. *Dub.* 5. §. 3. Videantur ibi dicta, quæ repetere superfluum esset.

§. III.

Respondetur Contrariis.

XI. PRimò objicitur. Christus Dominus, ut probabiliter sustinuimus, habuit dominium universale super totum Orbem, etiam quoad temporalia; ergo hoc idem habere debet Summus Pontifex. Conf. prob. Quia Christus dedit Petro Vicario suo potestatem, quam ipse habuit, ad pascendas oves, quas commisit Petro, & successoribus ejus —

Et Confirmatur ex illo, Joan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* sed Pater misit Filium cum potestate dominii, etiam temporalis, in totum Orbem; ergo cum hac misit Christus Apostolos, & maximè Petrum.

XII. Respondeo, con. ant. neg. conf. Non enim omnem potestatem, quam Christus habuit, ratione unionis humanitatis ejus cum Verbo, contulit Petro. Nam Christus habuit potestatem condendi Ecclesiam, instituendi Sacramenta, habuit scientiam beatam, infusam, omnes artes, impeccabilitatem &c. quæ non communicavit Petro, aut successoribus ejus. Potestatem ergo excellentiæ, quam Christus habuit, quatenus anima ejus conjuncta erat divinitati, nemini contulit, ut docet S. Thom. 3. *p.* *q.* 64. *a.* 4. *ad* 1. Sed solùm eam potestatem contulit Petro Vicario suo, quâ volebat, ut uteretur ad regimen ordinarium suæ Ecclesiæ. Potestate autem temporali, sicut Christus ipse (qui eam habebat) uti noluit; ita noluit, ut ejus Vicarii uterentur; & ideo istam illis non contulit.

Hinc ad Confirm. dico, Christum misisse Apostolos, sicut ipse missus fuerat à Patre: sed ipse, etsi aliàs ratione excellentiæ haberet jus in temporalia, attamen non fuit missus, ad exequendum ea, quæ dominii temporalis sunt, sed solùm spiritualis; ergo

ergo cum hac tantùm facultate ad spiritualia misit Apostolos. Alioquin evinceretur, non solùm Petrum, sed omnes Apostolos cum dominio temporali in totum Orbem fuisse à Christo missos; cum illis verbis non solum Petrum, sed omnes Apostolos alloqueretur: & proinde non solùm Romanum Pontificem Petri successorem, sed & omnes Episcopos Apostolorum successores dominium temporale in totum Orbem habere.

XIII. Secundò objicitur S. Thomas, qui in 2. *Sentent. dist.* 44. in fine expositionis textus, *ad* 4. dicit: quòd Papa *Utriusque potestatis apicem tenet, scilicet, spiritualis, & secularis: & hoc, illo disponente, qui est Sacerdos, & Rex in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, Rex Regum, & Dominus dominantium*. Et scribens in *cap. 6. prima ad Corinth. lect.* 1. ex Apostolo docere videtur, datam Ecclesiæ potestatem judicandi secularia.

XIV. Resp. tamen, S. Thomam in 2. *Sent.* non velle in Papa esse apicem utriusque potestatis spiritualis, & temporalis ex æquo, quasi utramque habeat per se, & directè: sed quòd cùm in Papa sit apex potestatis spiritualis directè, & per se, cui potestas secularis in his, quæ sunt ad salutem animæ, obedire tenetur; sequitur quòd indirectè sit in eo etiam apex potestatis secularis. Et quòd ita sentiat, patet; ait enim: *In his, quæ ad bonum civile pertinent, magis obediendum esse potestati seculari, quàm spirituali, secundùm illud, Matth. 22. Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Quia verò in Papa potestati spirituali conjuncta est amplissima potestas disponendi etiam de rebus civilibus, si hoc exigat salus animarum; idcirco dicit, in eo esse apicem utriusque potestatis.

Neque oppositum docet in 1. *ad Cor.* Ibi enim cum Apostolo solùm dicit, quòd si inter Fideles lites orientur, eligendi sint Fideles, etiamsi viles, & abjecti, qui de illis litibus judicent, seu veriùs, illas componant; quàm, quòd Fideles trahantur ad Judicem infidelem, & coram eo litigent: non quòd Judices infideles potestatem non habeant judicandi in Fidelium litibus civilibus, sed propter scandalum.

XV. Sed dices. Si Papa non est dominus totius Orbis; quo ergo jure Alexander VI. Regibus Hispaniarum Ferdinando, & Isabellæ concessit dominium Insularum maris Oceani inventarum, & postea inveniendarum: quamvis dictæ insulæ suos haberent Principes, & Reges?

Respondeo, notum esse, quòd Paulus III. definivit postea, Reges, & populos Indos occidentales esse veros dominos rerum, quas habebant; nec esse privandos tali jurisdictione, & dominio. — His ergo positis, nego, quòd Alexander VI. concesserit Regibus Hispaniæ facultatem spoliandi Indos dominio, & illud sibi adjudicandi. Sed cum Pontifex habeat dominium, saltem indirectum, super temporalia, quatenus servire debent fini, & gubernationi spirituali; ideo concessit Regibus Hispaniæ, ut loco sui hac facultate uterentur: non quidem ad directè spoliandos Indos dominio, sed ad amovenda impedimenta, quæ barbari illi oponerent prædicationi Evangelii, ad quam toto Orbe effundendam jus habet à Christo: & maximè si subditis fidelibus, aut fidem acceptare volentibus, ipsi Reges infideles obsistant. Ut enim docet S. Thom. 2. 2 q. 10. a. 10. *Potest justè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis tale jus dominii, vel prælationis tolli: quia Infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super Fideles, qui transferuntur in filios Dei*. Quod jus habere dicit etiam supra infideles Principes, qui nunquam fidem susceperunt.

XVI. Tertiò objicitur. Vacante Imperio, Summus Pontifex in administratione succedit; & Imperiali utitur

tur potestate, donec alius fuerit Imperator electus, ut habetur ex Clement. *Pastorali, De Sent. & re judicata*; ergo signum est, Imperialem potestatem à Summo Pontifice, ut à summo temporali Principe, dimanare.

Confirm. Papa transtulit Imperium à Græcis ad Germanos. Designavit Electores Imperatoris non esse plus, quàm septem, quatuor laicos, & tres Ecclesiasticos: & rursus Imperatorem electum confirmat: sed hæc denotant, Papam habere jus supremum Imperii temporalis; ergo &c.

XVII. Respondetur, neg. conseq. Nam vacante Imperio, Papa succedit Imperatori, non in omnibus, sed solùm in auctoritate judicandi, & terminandi causas, quæ ad solum Imperatorem pertinent, & quæ moram non patiuntur. Hoc autem, non quia Pontifex sit summus Princeps temporalis; sed quia quando deficit summa potestas temporalis, causæ devoluuntur ad supremum Judicem spiritualem, tanquam ad digniorem.

Ad Confirm. idem dico. Pontifices enim transtulerunt Imperium, designarunt Electores, confirmant electionem Imperatoris, non ratione dominii temporalis, quod directè habeant: sed quia cùm hæc omnia debeant fieri ab aliqua auctoritate supremâ, & in temporalibus nemo sit superior ad Imperatorem, recurrendum est ad supremam auctoritatem spiritualem.

XVIII. Quartò objicitur, ex Innoc. III. *Cap. Solitæ De Majorit. & obedientia*. Ubi Sacerdotalis dignitas comparatur Soli, Regalis autem Lunæ: sed Sol præest omnibus corporalibus; ergo &c.

Confirm. primò, ex Bonifacio VIII. in *Extr. Unam Sanctam.* Ubi definitur, omnes Fideles de necessitate salutis subjectos esse Romano Pontifici; & in potestate Ecclesiæ esse utrumque gladium, materialem, & spiritualem: unde, *Luca* 22. duos gladios Petro concessit.

Confirm. secundò. Quando alicui committitur aliqua potestas, datur ei auctoritas super omnia, quæ sunt necessaria ad illum finem, ad quem datur talis potestas: sed ad finem spiritualem, ad quem datur Pontificia potestas, necesse est, ut habeat potestatem super omnes potestates inferiores, ut possit eas compellere, quando expedierit ad finem spiritualem; ergo &c.

XIX. Respondeo, Sacerdotalem dignitatem comparari Soli, quia præest spiritualibus, quæ diei assimilantur: Regalis autem comparatur Lunæ, quia temporalibus præest, quæ assimilantur nocti. Et quia sicut Sol est dignior Lunâ: ita Sacerdotalis dignitas est dignior Regiâ.

Ad primam Confirm. dico, Bonifacium velle, omnes subjectos esse debere Romano Pontifici, tanquam ei, qui nomine Christi tenet claves Regni Cœlorum; ideoque directè ad finem vitæ æternæ — Dicit etiam, esse in potestate ejus utrumque gladium, non eodem modo. Unde ait: *Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia, exercendus: ille Sacerdotis, is manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam Sacerdotis. Oportet autem, gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati*: in ordine scilicet ad finem spiritualem. Hinc

Ad secundam Confirm. dico, solùm evincere, summum Pontificem, habere potestatem in temporalia solùm indirectè; quando nempe sic expedierit ad bonum Ecclesiæ, & ad salutem animarum: quod, inquam, est habere potestatem indirectam in temporalia, non per se, & directè.

DU-

DUBIUM IV.

An Imperator dici possit, & sit Dominus totius Orbis?

§. I.

Resolvitur Dubium.

I. IN præsenti quæstione tanquam exploratum habendum est, Imperatorem nec habere, nec unquam habuisse dominium proprietatis in totum Orbem. Hoc optimè ostendit Mag. Soto, *lib.* 4. *de Just. & Jure*, *q.* 4. *a.* 1. *concl.* 1. ubi dicit, Turcam solùm esse, qui, ut fertur, eâ dominatur tyrannide; ut cunctas subditorum substantias, tanquam suas, & proprias, ita possideat, ut pro libito universas sibi, ut putat, possit usurpare: quare subditos suos tamquam pura mancipia respicit. Jure autem Gentium, etsi Respublica transferat in Principem potestatem, Imperium, & jurisdictionem, non transfert proprias facultates; quibus Princeps uti nequit, nisi quando Reipublicæ tuendæ, & administrandæ necesse fuerit. Quòd si ait lex: *Omnia esse Principis*; intelligenda est, vel de his, quæ fisco, aut publico ærario obveniunt: vel de Regnis, aut Provinciis ab eo in Feudum acceptis. Unde in C. *Solitæ*, *De majorit. & obed.* dicitur: *Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus, illos dumtaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia:* idest. Regna, vel Feuda. Solùm ergo procedit dubium præsens de dominio jurisdictionis: an hoc habeat de jure Imperator in totum Orbem. In quo Hostiensis, Jo. Andreas, Bartolus, Baldus, aliique ex Juristis affirmant. Negant tamen alii quamplures, & communiter Theologi omnes.

II. Dico. Imperator neque habuit, neque habet dominium temporale jurisdictionis in totum Orbem. Loquimur de temporali: quoniam de spirituali, certum est, hoc soli Romano Pontifici convenire, nec de hoc modò disputatur. Probatur ergo. Si Imperator esset universi Orbis dominus; aut id sibi jure divino competeret, aut naturali, aut humano. Gentium scilicet, aut civili: sed nullo istorum ei competit; ergo non est &c. Min prob. Non ei competit jure divino: nam estò Sauli, David, ejusque prosapiæ referant Sacræ Paginæ concessa fuisse Regna, quos nimirum Deus jure suo instituerat; hoc de aliis non legitur. Et rursus: præfati constituti à Deo fuerunt Reges unius particularis populi Judaici, non verò totius Orbis. — Non juræ naturæ: quia jus naturæ, nudè sumtum, nullum mortalium cæteris dominio prætulit; omnes enim nascuntur liberi. Imò si homines vagi, dispersique viverent, nullus esset cæterorum dominus; ergo dum in Urbes, & oppida sese receperunt, nullus jure naturæ erat reliquis Superior, qui legali dominio posset reliquos cogere.

Si ergo aliquis est dominus Orbis, is creatus est auctoritate, & consensu Reipublicæ. Quòd autem neque hoc modo creatus sit Imperator dominus Orbis, probatur. Ad hoc enim,ut Respublica in Regem, aut Imperatorem transferat jurisdictionem; requiritur communis ejus conventus, vel saltem majoris partis, quæ in talem electionem consentiat: at universus terrarum Orbis, imò neque pars decima ejus, unquam fecit conventum, ut in unum universalem totius Orbis transferret dominationem. Nam Romani Cæsares, qui plus omnibus Imperii sui fines protenderunt, consensu unius populi Romani electi fuerunt; nec ad Antipodas, aliasque Insulares regiones unquam pervenerunt; & Regna, quæ occuparunt, armis subegerunt, non populorum voluntate ad ea vocati fuerunt.

III. Secundò probatur. Si unus est universalis totius Orbis in temporalibus Monarcha; vel hoc introductum fuit

fuit ante Christum, vel jure Evangelico. Non primum: quia ante Christum viguerunt tres illæ Monarchiæ Chaldæorum, Persarum, & Græcorum, quibus successit quarta Romanorum; has quippe inspexerat Daniel, *cap.* 2. in illa statuâ: nulla autem illarum fuit totius Orbis domina, sed Nationum, quæ certis erant limitibus circumscriptæ. Christus autem in Evangelio nil de terrenis Principibus disposuit, aut Petro commisit.

IV. Tertiò prob. Si Imperator esset dominus totius Orbis, Reges essent illi subjecti; possetque pro libito uti, ac disponere de illorum Regnis, causasque civiles illorum ad sua tribunalia trahere: sed Reges absoluti, *Cap. Per Venerabilem*, Superiorem in temporalibus minimè recognoscunt; ergo &c.

V. Tandem prob. Dato, quòd omnes Nationes, vel præsentialiter, vel per litteras convenire possent, ut eligerent unum Monarcham, id tamen minimè expediret; ergo &c. Ant. prob. Nam Arist. 7. *Polit. c.* 4. docuit, Rempublicam non esse meliorem, eo quo major est; sed tantam debere esse sub uno Principe, quantam ipse posset, vel per se, vel per suos administrare. Sicut si navis, vel justo minor, vel justo major esset, inepta navigationi redderetur: unde navis duorum stadiorum magnitudinis non posset commodè gubernari. — Rursùs: Rex est anima Regni: sicut ergo anima humana non potest quantæcumque molis corpus vivificare, puta, si cresceret ad magnitudinem corporis Elephantis: sic neque Princeps calore suo potest totam Rempublicam Orbe toto, Nationibus, & regionibus vastissimè dispersam fovere; quæ in quacumque Provinciâ fiunt, nosse, corrigere, & disponere. Unus enim non potest undecumque Orbis nuntios brevi tempore suscipere; neque quòcumque Prætores, aut Ministros mittere; nec quæ ubicumque fiunt castigare, aut metus potestatis ad tàm vasta locorum spatia pertingere. Cùm ergo potestas sit propter usum; si usus amplissimæ per totum Orbem potestatis impossibilis est, vana foret talis institutio. Cur autem una potestas spiritualis toti Orbi sufficere possit, statim dicetur.

VI. Estò verò Imperator Regibus non dominetur; attamen, quantùm ad aliquid, cæteris Principibus eminet, inquantum est fidei, & Religionis protector ab Ecclesia designatus. Et propterea à Summo Pontifice coronatur, & in ordine ad exaltationem, & defensionem fidei, & Ecclesiæ ad eum præcipuè pertinet convocare Principes Christianos, contra Ecclesiæ inimicos.

§. II.

Argumenta Contraria.

VII. Primò arguitur. In spiritualibus est unus Summus Pontifex, qui toti præest Ecclesiæ; ergo in temporalibus debet esse unus Imperator, qui præsit toti Orbi. Si enim decuit corporis universæ Ecclesiæ unum esse Caput, cur non decebit universo Orbi unum esse Caput? Hoc autem aliud esse non potest, quàm Imperator.

VIII. Respondeo, neg. conf. Dispar enim est ratio. Primò. Quia forma gubernationis Ecclesiæ est immediatè instituta à Christo; qui utpote totius Orbis Redemtor, & unicum ipsius Caput, suâ, & Spiritus Sancti speciali assistentiâ eam gubernat. Christus autem discessurus ex hoc mundo ad Patrem, totius Ecclesiæ nomine suo gubernium uni tantùm Petro tradidit, *Joann.* 21. *v.* 17. dicens: *Pasce oves meas*. Quæ gubernii forma ad Romanos Pontifices ejusdem Petri successores traducta, usque nunc in Ecclesia perseverat. At civilis potestas est quidem in Rege, seu Principe à Deo: *Non enim est potestas nisi à Deo* (Rom. 13. v. 1.) sed mediante Republicâ, in qua originaliter, seu primò residet, & à

quâ transfertur in Regem, seu Principem. Ut ergo unus esset totius Orbis dominus, oportuisset, ut totus Orbis, saltem per Legatos, convenisset ad transferendum in illum omnium totius Mundi Regnorum potestatem: hoc tamen nunquam factum fuit. Imò pro diversitate Gentium, una eam transtulit in unum, alia in alium, ut historiæ tradunt.

Secundò. Dispar ratio est: quia summa spiritualis potestas ordinatur ad fidei, & Christianæ Religionis conservationem. Cùm ergo tantùm sit una fides, & una Religio in toto Orbe; debuit esse unus, penes quem esset summa auctoritas decernendi ea, quæ sunt fidei. Unitas enim fidei non posset servari, nisi quæstio exorta de fide determinanda esset per unum. Quod fuse ostendit S. Cyprianus, *lib. de Unitate Ecclesiæ*, dicens: *Exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur*. Et S. Hieronymus, *lib. 1. adversùs Jovin.* dicit, Christum constituisse Petrum supremum, *Ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio*. At in secularibus, seu civilibus, cùm sint Respublicæ diversæ, quarum singulæ diversos habent mores, ac leges diversas; decuit etiam, diversos esse Reges, ac Principes, qui diversis illis Gentibus, ac legibus intendant: impossibile enim esset, quòd unus secundùm cujuscumque Regni diversos mores, ac leges provideret. Si enim experientia probat, quàm difficulter benè gubernantur Regna, à quibus Reges multum distant: quid igitur si esset unus omnium Regnorum totius Mundi Monarcha?

IX. Sed replicabis, primò. Sicut Christus uni Petro dedit potestatem summam in Ecclesiâ: ita Adamo dedit Deus potestatem dominativam universæ terræ, *Gen.* 1. & Noe *Gen.* 8. ergo sicut, propter hoc, Ecclesia regitur per unum, ita etiam totus Orbis regi debet per unum.

Secundò. Optimus modus gubernandi est Monarchicus; ergo sicut hac ratione tale regimen in Ecclesia constituitur, cur non etiam in toto Orbe?

X. Respondeo ad primam replicam Deum illis verbis: *Dominamini, replete terram, & subjicite eam*, non constituisse in Adamo, & Noe unum dominum, qui toti Orbi præesset; sed solùm universæ terræ dominium dedisse hominibus quocumque modo exercendum. Cujus signum est, quòd licèt Adam, & Noe, quando ipsi soli in Orbe erant, dominarentur Orbi; Orbe tamen inter filios eorum diviso, statim diversi Principatus, & Principes surgere cæperunt. At Christus cum dixit Petro soli, & non aliis Apostolis: *Pasce oves meas: Tibi dabo claves*, satis ostendit formam gubernii, quam in sua Ecclesiâ volebat, & quam Ecclesia postea secuta est, esse, ut summa potestas esset in uno.

Ad secundam replicam, nego, Monarchiam universalem esse optimum regimen, ob rationes dictas. Quòd si S. Thomas, *Opusc.* 20. *lib.* 1. *cap.* 2. dicit, optimum modum gubernandi multitudinem esse per unum; intelligendus est de ea multitudine, quæ potest per unum commodè gubernari. Unde mens S. Thomæ est, quòd quælibet multitudo meliùs gubernetur per unum, quàm per plures; non tamen quòd melius sit, ut unus in Mundo gubernet omnem multitudinem.

XI. Secundò arguitur. Octavianus Augustus Cæsar, qui Romano præerat Imperio, quando natus est Christus, habuit dominium temporale supra totum Orbem; ergo Imperator aliquando fuit dominus Orbis. Ant. probatur primò, ex illo, Lucæ 2. v. 1. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis*.

Secundò. Ex D. Thom. qui, *Opusc.* 20. *de Regim. Princ. c.* 13. ait, Christum fuisse verum Dominum, & Monar-

nareham totius Orbis; cujus vices gerebat Augustus, licèt non intelligeret.

Tertiò. Tiberius Cæsar, qui Octaviano successit, ac eo tempore, quo Christus passus est, Romano præerat Imperio, toti Orbi, ac ipsis etiam Judæis dominabatur; unde eis dixit Christus. Lucæ 20. v. 25. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

XII. Respondeo, neg. ant. Ad ejus primam probationem dico, nomine universi Orbis non intelligi totum Mundum; quoniam multæ erant Nationes, quæ non erant subjectæ Romano Imperio: sed sumi, vel pro universo Orbe Romano, idest, pro universis Regnis Romano Imperio subjectis: vel sumi universum Orbem pro magna parte Orbis, ad quam Romanum pervenerat Imperium. Sicut *Gen.* 41. *v.* 54. dicitur: *In Universo Orbe fames prævaluit*, idest, in Universo Ægypto, & Regionibus Ægypto vicinis: & in eodem sensu dicitur, *v.* 56. *Crescebat autem quotidie fames in omni terra* — Quòd si nomine universi Orbis totus omnino Orbis intelligatur, dicam cum S. Ambrosio, in *c.* 2. Lucæ: *Ut scias, censum non Augusti esse, sed Christi, totus Orbis jubetur profiteri...... Quis ergo poterat professionem totius Orbis exigere, nisi qui totius habebat Orbis Imperium? Non enim Augusti, sed Domini est terra.... Gothis non imperabat Augustus, non imperabat Armenis, imperabat Christus.* Hæc Ambrosius.

XIII. Ad secundam prob. juxta opinionem, quam supra tenuimus, quòd nimirum Christus jus habuerit Monarchicum super omnia temporalia, dico, quòd Augustus Christi gerebat vices, non in toto, sed in ea parte, & quidem maximâ, Orbis, cui imperabat. Sicut Prorex alicujus Regni gerit vices Regis, non super omnia Regna Regis imperio subjecta; sed super illud Regnum, cui à Rege præficitur. Verumtamen Augustus erat Vicarius Christi, non ab eo constitutus, sed permissus; ut nesciens quid faceret, Christi Monarchiæ prodesset.

XIV. Ad tertiam nego, Tiberium habuisse dominium supra totum Orbem: multæ enim erant in Orbe Provinciæ, quæ Tiberii dominium nesciebant. — Nego etiam, Tiberium de jure habuisse dominium supra Judæos: Gens enim Judæa libera erat à dominio cujuscumque alienigenæ: imò in Lege prohibitum erat, Deuteron. 17. v. 15. *Non poteris alterius Gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Erat ergo Tiberius Rex Judæorum solùm de facto. Neque Christus dicens: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, approbavit dominium Cæsaris: sed, ut calumnias Judæorum vitaret, dixit: *Reddite.* Idest, si quid debetis Cæsari, reddite; sed primò, quod est Deo debitum, Deo reddite.

XV. Tertiò arguitur, ex D. Hieron. *Ep. ad Rusticum Monachum*, relato, 7. q. 1. c. *In apibus*, ubi dicit: *In apibus dux unus est, grues unum sequuntur ordine literato, unus & Imperator.*

Item: 12. q. 1. *Cap. Futuram*, dicitur, quòd Imperatores Romani tenebant *totius Orbis Monarchiam.*

Rursùs: *Lege Deprecatio*, ff. *Ad legem Rhodiam*, habetur, quòd Antoninus Imperator dixit: *Ego quidem Mundi Dominus.* His & aliis moti quidam Juristæ Imperatori totius Orbis dominium adscribunt.

XVI. Respondetur tamen ad primum, mentem S. Hieronymi non esse, quòd sit unus Imperator totius Universi dominus; sed quòd unius Reipublicæ debet esse unus Rex, & totius Christiani Orbis unus Imperator: sicut unius alvearis est una apis ductrix aliarum, & unius conventus gruum una, quæ præcedat cæteras. Sicut autem non est una apis ductrix omnium apum, neque una grus, quæ præcedat omnes grues in universum: ità neque unus Imperator omnium hominum.

Ad secundùm dico, in *Cap. Futuram*

ram dici: *Romani Principes, qui penè totius Orbis Monarchiam tenebant.* Ubi ly *penè* indicat, eos solùm magnæ parti Orbis dominatos fuisse, quod non negamus.

Ad tertium dico, Antoninum nimis arroganter fuisse loquutum: & ideo ex ejus dicto nullùm fieri posse argumentum. — Vel locutum fuisse ampliativè, sumendo Orbem pro majori ejus parte, cujus certè Antoninus erat dominus. Quod colligo ex eodem textu legis: ibi enim à dominio Antonini excipiuntur maria. Si autem Imperator esset Mundi totius dominus; cùm sub Mundo maria concludantur, non fuissent maria excipienda.

QUÆSTIO VIII.

De Objecto Dominii.

Quæstio præsens examinabit, quænam res cadere possint sub hominis dominio: & hoc per sequentia dubia præstabimus.

DUBIUM I.

An Angeli, Cœli, & Homines cadant sub Hominis Dominio?

§. I.

De Angelis, & Cœlis.

I. Dico. Neque genus humanum, neque ex humano genere quisquam est dominus, vel Angelorum, vel corporum Cœlestium. Constat ex *Cap.* 1. *Genesis*, ubi homini condito datur à Deo dominium super ea, quæ creaverat. Ibi enim fit quidem mentio animantium cujuscumque generis, ac terræ frugum, ac fructuum; quia hæc in hominum utilitatem, & usum facta sunt: nulla tamen mentio fit, sive Angelorum, sive Cœlestium corporum. Et meritò quidem. Nam cùm inferiora non deceat dominari superioribus; Angeli autem sint superioris ordinis ad homines, & corpora Cœlestia; estò, quia ratione carentia, inferiora sint, quia tamen incorruptibilia, omnibus corruptibilibus, inter quæ homo, eminent: idcirco æquum non fuit, ut in illa daretur homini dominium.

II. Neque obstat, quòd Angeli hominum custodiæ inserviant, eorum saluti procurandæ sint intenti: unde, *Hebr.* 1. *v.* 14. dicitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Nam in hoc Angeli non subjiciuntur homini, sed Deo; cui in hoc serviunt, cujus ministri sunt, & cujus faciunt voluntatem, juxta illud Psalm. 90. v. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te &c.*

III. Neque pariter obstat, quòd corpora Cœlestia sint condita ad utilitatem hominum, & ministerium cunctis Gentibus, ut habetur, *Deuteron.* 4. *v.* 19. eis enim non potest homo uti suo arbitratu, nec de illis disponere, & ad sua commoda aptare: ideoque absolutè, & simpliciter non habet in ea dominium.

IV. Si tamen loquamur de commoditatibus, quæ à Cœlestibus corporibus proveniunt, ut lumine, calore, aliisque rebus sublunaribus; horum est homo jure naturæ dominus: quia per rationem, & voluntatem potest illis uti, tanquam propter se factis. Hinc in jure datur actio contra illos, qui per ædificia, vel aliter lumine Solis privare tentant domum vicini. Dominium autem super cætera sublunaria datum fuit homini statim condito, ut ex *Genes. cap.* 1. dictum est; & *Ecclesiastici* 17. *v.* 3. repetitur, his verbis: *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram.* Quamvis autem hæc de dominio, quod habuit homo in statu innocentiæ, ab aliquibus intelligantur; possunt tamen etiam accipi de illo post lapsum. Eo vel maximè, quòd, *Genes.* 9. *v.* 2. legitur, confirmatum Noe, his verbis; *Et terror*

vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres Cœli, cum universis, quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt &c. Verum quidem est, istud dominium fuisse per peccatum, quoad usum, & exercitium valdè diminutum; cum bestiæ quædam sint homini rebelles: quoad jus tamen, & potestatem manlit integrum, cum sequatur naturam, ex quo ratione prædita est. Imò etiam quoad exercitium hactenus quodammodo manet: quia penè omnes bestiæ adhuc cogi possunt, & vi, vel industriâ hominis subjici.

Hoc tamen non ita est accipiendum, quasi singuli hominum habeant à natura completum dominium rerum omnium, quæ in hoc Mundo inferiore continentur: sed quia, si solùm jus naturæ spectemus, potestatem habent eas occupandi, suisque usibus aptandi. Vide quæ diximus, *Tom. 6. in 1. p. Qu. 4. Dub. 5. §. 1. num. 5.*

§. II.

De Homine respectu alterius Hominis.

V. Dico primò. Si loquamur de servitute legali, & propriè tali, nullus homo jure naturæ est sub dominio alterius; benè tamen si loquamur de servitute impropriè, seu subjectione: sic enim, etiam in statu innocentiæ, unus homo fuisset alteri subjectus ut domino. Quod ostendimus, supracitato *Tomo 6. in 1. p. Qu. 4. Dub. 6. §. 2.*

Hoc Assertum tradit S. Tho. *1. p. q. 96. a. 4.* distinguens dominium prioris generis à posteriori: quòd per prius, homo utitur alio, tanquam re suâ, ad suam propriam utilitatem, ut dominus mancipio: per secundum aliquis utitur alio, non ad proprium utentis commodum, sed ad utilitatem ejus, qui subjicitur, vel ad bonum commune.

Ex hac differentiâ dominii nata est distinctio servitutis, ut alia dicatur legalis, alia naturalis. Legalis est, quâ unus alteri ita subjicitur, ac in ejus potestate constituitur, sicut res & possessio ipsius. Naturalis est, quâ minus perfecti, minusque sapientes subjiciuntur perfectioribus, & sapientioribus, ut filii parentibus. Unde patet, quantum differat servitus legalis ab ea, quâ communiter famuli, & ancillæ deserviunt: nam ratione hujus famulatus, potiùs quàm in personas, in ipsarum opera, & labores dominium habent illi, qui præsunt.

VI. Servitute ergo legali nullum hominem jure naturæ esse servum, evincitur: quia homo a naturâ ratione, & libertate præditus est. Unde S. Thomas 1. 2. q. 94. a. 5. ad 3. *Communis (inquit) omnium possessio dicitur esse de jure naturali: quia scilicet distinctio possessionum, & servitus non sunt inducta à natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humanæ vitæ: & sic etiam in hoc lex naturæ non est mutata, nisi per additionem.* Et S. August. *l. 19. de Civit. Dei c. 15.* ait: *Rationalem factum ad imaginem suam noluit, nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori.... Conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori.... Nomen itaque istud culpa meruit, non natura.* Quamvis autem servitus originem duxerit à primo peccato; primum tamen exemplum occasionem habuit ex ebrietate Noe. Unde Ambrosius, l. de Elia, & Jejunio, c. 5. *Non esset (inquit) hodie servitus, si ebrietas non fuisset.* Quia nimirum, ante Noe ebrietatem nulla habetur facta mentio servitutis. Unde S. August. citato *cap. 15.* ait: *Nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret.* Et Chrysost. Homil. 29. in Gen. *Ecce (inquit) fratrem eâdem natum puerperâ.... peccatum fecit servum, & ablatâ libertate, subjectionem illi injunxit, unde postea servitus sumsit originem:* nimirum, ut à primò exemplo, non ut è prima causâ.

VII.

VII. Quòd verò servitus lato modo, nempe, sumta pro subjectione alteri dirigenti, jure naturæ sit inter homines, probatum fuit, citato *Tom. 6. in 1. p. q. 4. Dub. 6. §. 2.* Ubi ostendimus, etiam in statu Innocentiæ unum hominem, hoc modo, futurum fuisse dominum, & alterum subditum: ita exigente humanâ societate, & ordine sive ad invicem, sive ad commune bonum. Videantur propterea ibi dicta.

VIII. Dico secundò. Jure naturali non repugnat, aliquem hominem esse servum alterius legali, & propriè dictâ servitute: ideoque, & jure Gentium, & alio jure positivo hoc potuit introduci. Probatur primò, ex antiquo Testamento. Ubi legimus, apud Hebræos fuisse servos, tàm ex Israelitis, quàm ex Gentilibus, cum hoc tamen discrimine: quòd isti jure hæreditario transmitterentur ad posteros, Levit. 25. v. 44. *Servus, & ancillæ sint vobis de nationibus.... & hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum.* Illi verò expleto sexennio, deberent dimitti, Exod. 21. v. 2. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi. In septimo egredietur liber gratis.* Quod repetitur, *Deuteron. 15. v. 12.*

Ex novo etiam Testamento. Nam Apostoli non jubent, ut servi ad Christianam Religionem conversi, vel à dominis dimittantur, vel desinant eis obsequi: sed præscribunt, ut servi dominis etiam carnalibus, ac discolis diligenter pareant. Ita S. Petrus, *Ep. 1. c. 2. v. 18.* & Paulus, ad *Ephes. 6. v. 5.* Qui etiam, *1. Cor. 7. v. 20.* jubet, unumquemque manere in ea vocatione in qua vocatus est: *Servus* (inquit) *vocatus es? Non sit tibi curæ.*

Ex Patribus etiam. Nam nemo ex iis, usque ad duodecimum seculum, servitutem legalem damnavit, ut illicitam, etiam inter Christianos. Unde S. Paulinus Nolanus seipsum in servitutem dedit, pro redimendo filio viduæ, ut in *Martyrolog. ad diem 22. Junii.* Imò Religiosi Ordinis S. Mariæ de Mercede etiam modò votum habent manendi in captivitate Paganorum, si aliâ viâ captivos Christianos redimere nequeant. Ecclesiæ quoque antiquam fuisse consuetudinem possidendi servos, ut mancipia, patet ex *12. q. 2. Cap. Injustum*, & aliquot sequentibus. Modò tamen nulli Christiano Christianum emere mancipium permissum est.

IX. Probatur verò ratione, primò. Homo est dominus suæ naturalis libertatis; ergo potest ei renuntiare, quomodo renuntiabant, qui seipsos vendebant, *Exod. 21.* & *Levit. 25.* — Secundò. Servitus inducta est in favorem hominum; ne scilicet illi, qui jure belli possent occidi, interficerentur, sed vivi servarentur: unde servitus non à *Serviendo*, sed à *Servando* est deducta, ut Aug. *l. 19. de Civit. Dei c. 15.* ergo servitus non solùm est licita, sed utilis, & præeligenda morti. Nam ad majus, & præcipuum bonum conservandum, quale est vita naturalis, licet, imò justum est, profundere libertatem, quæ est minus bonum, juxta illud Hester 7. v. 4. *Atque utinam in servos, & famulas venderemur, esset tolerabile malum.*

Demùm tituli servitutis legalis omnes sunt justi. Primus enim est titulus belli, ut dicebamus. Secundus est nativitatis, cum quis nascitur ex matre servâ. Tertius est justæ condemnationis. Quartus emtionis.

X. Sed dices primò. Servitus juri naturali contraria est, cùm omes homines nascantur liberi. Unde *L. 1. Instit. tit. 3. & L. 1. Digest. tit. 5.* dicitur, servitutem esse constitutionem juris Gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur.

XI. Respondeo, servitutem esse quidem contrariam juri naturali, sumpto pro prima institutione naturæ humanæ; non verò sumto pro lege prohibente. Nam servitus, ut dictum est, non est intrinsecè mala; & ideo lege naturæ non potest esse prohibita.

ta. Et in hoc sensu etiam leges citatæ vocant eam contra naturam; non quasi sit jure naturali prohibita: sed partim, quia est contra inclinationem naturæ, secundùm se considerata; partim quia naturæ primitus institutæ non convenit.

XII. Dices secundò. Paulus, 1. *Cor.* 7. *v.* 23. ait: *Nolite fieri servi hominum* — Rursus: servitus repugnat legi Christianæ, dicente Christo, Matth. 17. v. 25. *Liberi sunt filii.*

Respondeo, mentem Pauli non fuisse, ne Christiani hominibus serviant: sed, ne ita servi fiant hominum, ut servitio hominum postponant servitium Dei, cujus sanguine empti sunt. Unde præmittit: *Pretio emti estis* (deinde) *Nolite fieri servi hominum*. Ita S. Thom. in *c.* 7. 1. *ad Cor. lect.* 4.

Christus autem eo loco pronuntiat Christianos liberos à servitute peccati, non à servitute legali: nec enim suâ lege destruere voluit jus Gentium. Imò, *Matth.* 22. *v.* 21. suos discipulos ei subjecit, dum ait: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: eosque suo exemplo præcessit, dum, *Matth.* 17. *v.* 26. censum soluit.

DUBIUM II.

An Homo sit Dominus suæ Vitæ, & Membrorum?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Suppono, hominem esse dominum proprii corporis quoad ea, quæ ex se non ordinantur ad conservationem vitæ, uti est pulchritudo, vel color sui corporis. Item operationum earum, quæ liberè exercentur per intellectum, & voluntatem, per sensus exteriores, & per vim motivam. Quoad operationes verò, quæ per sensus interiores, vel per appetitum sensitivum exercentur, aliquale dominium habet, sed non perfectum. Quoad eas verò, quæ per partem vegetativam fiunt, nullum habet dominium: tales enim operationes nullo modo rationis imperio subjiciuntur. Hoc igitur supposito

II. Dico. Homo non est Dominus vitæ, vel membrorum, aut sanitatis sed tantùm custos. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 64. *a.* 5. *ad* 3. Constat primò, ex sacris litteris, quibus dominium vitæ, & mortis soli Deo reservatur. Deuter. 32. v. 39. *Ego occidam, & ego vivere faciam*. 1. Reg. 2. v. 6. *Dominus mortificat, & vivificat*. Et Sap. 16. v. 13. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem*. Cùm ergo homo constituatur dominus eorum tantùm, quæ ejus libero arbitrio subjiciuntur: cùm huic non subjiciantur vita, membra, & sanitas, quæ sibi soli Deus reservavit, ideo eorum non est dominus.

III. Confirmatur. Radix, & fundamentum omnis dominii in homine non potest cadere sub ejus dominio; sed vita est radix, ac fundamentum omnis dominii; ergo &c. Maj. probatur. Nam radix, & fundamentum dominii debet præsupponi ad omne dominium: unde quia gratia sanctificans est fundamentum, & radix omnis meriti, debet præsupponi ad meritum; & ideo non potest gratia cadere sub merito.

IV. Secundò probatur. Si vita esset sub dominio hominis, id illi competeret, vel jure naturali, vel divino, vel humano: sed nullo ex his ei competit; ergo &c. Min. probatur. Non jure naturali. Quia primus, & summus appetitus naturæ est conservare seipsam, & proinde vitam, juxta illud Dæmonis (sed tamen verum) Job. 2. v. 4. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua*. Quare cùm natura cuilibet rei tribuerit instrumenta, & media ad sui conservationem; nulli tamen contulit instrumenta ad sui internecionem. Non jure divino. Tùm quia; ex dictis

Deus

Deus sibi potestatem vitæ, & mortis reservavit. Tùm quia: *Genes.* 1. & 9. ubi factus est homo omnium dominus, etiam animalium, quæ ideo in suos usus mactare potest; nullum legitur ei traditum dominium in propriam vitam. Nec etiam jure humano. Ubi enim hoc jus humanum dans homini dominium in propriam vitam?

V. Tertiò probatur. Dominus cujusque rei ille est, qui citra injuriam potest illâ, ut libuerit, uti usque ad dispendium, & consumtionem: sed homo non potest sic propriâ vitâ uti, eam usque ad consumtionem prodigendo, quin faciat injuriam: Tùm sibi; quia violat caritatem, & dilectionem sui ipsius, quæ illi post Deum præcipitur. Tùm patriæ; quia homo non sibi, sed patriæ nescitur, cujus membrum efficitur: ideoque occidendo se, peccat contra justitiam legalem, & infert injuriam Communitati. Tùm Deo; quia occidens se ipsum invadit jus divinum, cùm Deus sibi soli jus supra vitam reservarit; & violat depositum, quod Deus illi tradidit custodiendum.

VI. Ex his sequitur secunda pars Asserti, nempe, quòd homo sit tantùm custos proprii corporis, & vitæ. Sicut enim fieri potest, ut unus habeat dominium in bona fortunæ, & alius solùm usum, & usumfructum: ita intelligendum est, quòd Deus retinuerit sibi dominium corporis nostri, membrorum, vitæ, & salutis; nobis verò concesserit usum, & custodiam. Quare conficitur quarta Asserti probatio, sic. Ea, quæ propriâ industriâ non acquirimus, sed alienâ voluntate ad nos transferuntur, perveniunt ad nos cum eo jure, & facultate, quam nos habere voluit ille, cujus voluntate ad nos pervenerunt; ut patet in his, quæ hereditate nobis obveniunt; in his enim tale jus habemus, quale voluit nos habere ille, qui testamento ea nobis legavit: sed vitam non acquirit homo propriâ industriâ, sed eam accipit ex voluntate Dei, qui homini solum concessit usum, sibi verò reservavit dominium, & proprietatem, ut ex Scripturis supra allatis apparet; ergo &c.

VII. Quapropter solus Deus de vita nostrâ, de corporibus nostris, eorumque integritate, & sanitate facere potest quod vult, & quod sibi bonum videtur, etiam non propter peccatum: potest, enim si vult, agere dominum non agendo judicem, & sic etiam innocentem occidere: sicut & nos sępè agimus, dum occidimus animalia irrationalia, quorum sumus domini. At Princeps, vel Respublica non potest de vita, aut membris Civium disponere pro libito: sed noxios quidem potest occidere, aut mutilare, tanquam Judex habens auctoritatem à Deo, non verò ut vitæ illorum dominus. Cæteros autem potest exponere periculo mortis in prælio, aut defensione arcium pro conservatione totius: ubi non exercetur dominium vitæ subditorum, sed dumtaxat custodia, & defensio totius Communitatis.

§. II.

Objectiones, & aliqua Quæsita solvuntur.

VIII. Hominem in aliquo casu licitè exercuisse dominium supra propriam vitam ostendunt primò, aliquibus exemplis Sanctorum, qui se ipsos occiderunt, & tamen in Scriptura, vel historiâ laudantur. Ut Samson, qui eversione totius ædificii se ipsum oppressit (*Judicum* 16. *v.* 29.) S. Appollonia, ut legitur in ejus vita, se ipsam projecit in flammas. Razias 2. *Machab.* 14. elegit sibi mortem inferre, quàm indigna pati ab hostibus. Eleazarus etiam, 1. *Machab.* 6. elephantem occidendo, cui Rex insidere existimabat, se ipsum occidit. Tandem Lucretia Romana, quæ dolore violatæ pudicitiæ se ipsam interfecit, ab omnibus celebratur.

IX. De his egimus, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Q.* 3. *de Act. Hum. Moral. Dub.* 7. §. 3. Ubi, *num.* 44. de Samsone, & S. Appollonia diximus, hoc fecisse ex latenti Spiritus Sancti impulsu. De Razia, *num.* 47. & 48. eum à peccato vix posse excusari, ex S August. & Thoma observavimus. Ex quorum etiam doctrina ostendimus, *num.* 40. non licere mulieri se ipsam occidere, ne ab alio corrumpatur. Quare ibi dicta huc trahenda sunt.

Ad factum Eleazari, dici potest, eum per accidens cooperatum fuisse ad propriam necem; directè verò intendisse necem Regis inimici, quem putabat elephanti insidere: & hoc pro gloria Dei, & salute patriæ. Certum autem est, licere militi in prælio pro patriæ (& maximè fidei) defensione, facinus aggredi, ex quo speretur salus patriæ, quamvis inde prævideat suam mortem secuturam. Quare multi non audent condemnare factum militis, qui sublatâ spe evadendi injicit ignem in pulverem tormentarium, ad inferendum hosti gravissimum damnum, quamvis cum manifesta sui internecione. Ita Valentia, *Tom.* 3. *disp.* 5. Soto, de *Justitia q.* 3. *a.* 8. & alii.

De Lucretia Romanâ agit S. August. *lib.* 1. *de Civit. Dei*, *cap.* 19. ubi ostendit, illius mulieris facinus opus fortitudinis non fuisse, sed pusillanimitatis: *Quod ergo* (inquit) *seipsam, quoniam adulterum pertulit, etiam non adulterata occidit, non est pudicitia caritas, sed pudoris infirmitas. Puduit enim eam turpitudinis alienæ in se commissæ, etsi non secum: & Romana mulier laudis avida nimiùm verita est, ne putaretur, quod violenter est passa, cum viveret, libenter passa, si viveret. Unde ad oculos hominum mentis suæ testem illam pœnam adhibendam putavit, quibus conscientiam demonstrare non potuit.* Ita acutè S. Augustinus, videndus etiam, *cap.* 20. 21. &c. ubi eruditè hanc materiam agit. Et *cap.* 23. ostendit, Catonem, seipsum occidendo, exemplum infirmitatis potius, quàm fortitudinis reliquisse.

X. Quapropter cum S. Tho. 2. 2. *quæstione* 94. *art.* 5. & S. Augustino citato concludendum est, occisionem sui proprio, ac privato spiritu factam, nullo bono fine cohonestari posse. Non quidem ad vindicandum, seu puniendum crimen. Tùm quia: nemo est sui judex. Tùm quia: occidendo se, sibi adimit pœnitentiæ spatium. Non ad vitandum peccatum; puta, si mulier se occidat, ne violentiam patiatur. Quia nec sunt facienda mala, ut veniant bona: nec malum certum, & gravius eligendum, ut vitetur incertum, & minus grave. Incertum enim est, quòd mulier violata consentiat: quòd si consensus desit, non solùm peccato caret, sed duplicatur castitas ad coronam. Quod si, & dum violatur consentiat, minus peccatum committet, quàm si seipsam occidat.

XI. Argues tamen. In casu, quo quis criminis reus à judice damnaretur ad sumendum venenum, vel ensem pectori sibi infligendum; posset se occidere, vel venenum sumendo, vel ense se transfigendo. Tunc enim reus non ageret partes Judicis in se ipsum, sed executoris justæ sententiæ: constat autem, sæpiùs licere reo in se ipsum exequi sententiam Judicis, veluti dum ad metalla, ad triremes, aut ad exilium damnatur. — Neque etiam tunc peccat contra jus patriæ, quæ talem Civem tanquam membrum putridum vult recidi — Neque contra se ipsum: quia quælibet pars tenetur se ipsam tradere ob bonum totius, quod petit, ut rei puniantur. — Neque contra Deum: quia Deus vult reos puniri.

XII. Hisce motivis putant aliqui, in dicto casu licere se ipsum occidere. Sed contrarium tenendum censeo. Nam licèt in dicto casu non foret injurius Reipublicæ; esset tamen injurius sibi, & peccaret contra caritatem, & dilectionem sui: dum in seipsum carnificis munere fungeretur, quod naturali instinctui etiam in bel-

luis

luis repugnat, esset injurius Deo, iniquè enim divinum jus in vitam hominis usurparet. — Neque valet dicere, quòd in casu se occideret publicâ potestate, quæ à Deo est, & justâ Judicis sententiâ.

Nam estò Magistratui, aut Judici fuerit à Deo communicata potestas reos è medio tollendi; non tamen, ut eos ad sententiam mortis in se exequendam adigerent, aut reis, ut se in bonum Reipublicæ occiderent: quod, nec ullo in Sacris Literis exemplo, neque ullâ Christianorum tribunalium praxi comprobatum, in solis Neronianis seculis, & apud barbaras nationes factitatum invenies. — Addo: quòd cùm justitia punitiva non sit ad se, sed ad alterum, reus non est idoneus, ut in seipsum illam exerceat; & consequenter neque ex hoc capite cohonestatur occisio sui. — Alias autem afflictiones, & pœnas, quas, salvâ vitâ, subire jubetur, sicut potest voluntariè eligere in suorum peccatorum purgationem; ita potest eas in se assumere, ut à Judice inflictas. Cùm enim sit suarum actionum Dominus, quæ vitam servant incolumem, potest in executionem justitiæ eas tradere, absque ullius præjudicio.

XIII. Hinc damnatus ad mortem non tenetur fugere, quamvis possit. Damnatus tamen, ut fame moriatur, censent aliqui, oblatum secretò panem recusare posse, quamvis necessarium ad vitæ sustentationem: quia hoc, ajunt, non est se occidere, sed, ob justitiæ bonum, à vita sustentandâ cessare. Verùm S. Thomas 2. 2. *q. 69. a. 4. ad 2.* contrarium sentit, qui omnia hucusque dicta sua auctoritate confirmat, dicens: *Nullus ita condemnatur, quòd ipse sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortem patiatur: & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur, quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est, eum pati. Sicut etiam si aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat; quia non sumere esset seipsum occidere.*

XIV. Quæres: An in aliquo casu liceat vitam exponere?

Respondeo affirmativè. Et quidem primò certum est, pro fide Christi, & gloria Dei aliquando esse vitam exponendam, & mortem potiùs obeundam, quàm fidem negandam, aut honoris Dei jacturam ferendam. De quo egimus latè, *Tom. praced. in Tract. de Fide* agentes de Confessione externa fidei, & de fide exteriùs non neganda.

XV. Secundò. Pro conservanda vitâ spirituali proximi licitum est, se exponere mortis periculo; imò tenetur, si Pastor sit, quando ruina spiritualis ovium immineat, juxta illud Christi Joan. 11. v. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* De quo in Tract. de fide actum est. Imò probabile est, pro vita corporali proximi licitum esse, periculo vitam exponere. Ita enim censet S. Thom. 2. 2. *q. 26. a. 5. ad 3.* Ubi dicit, quòd estò non teneatur homo, proprium corpus exponere pro salute proximi, nisi in casu, quo ei incumbat, ejus saluti providere: *Sed quòd aliquis spontè ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem caritatis.* Eum sequuntur Victoria, Soto, Banez &c. Qui docent, duobus in extrema fame constitutis, posse unum alteri panem cedere, quamvis mors ipsius certò secutura prævideatur: & posse in naufragio filium patri tabulam cedere, cùm certo suæ submersionis periculo. Quia hoc non est occidere seipsum; sed non conservare vitam propter magnam honestatem virtutis, nempe, caritatis erga amicum, vel parentem. Neque hoc facit, ut dominus vitæ, sed ut à Deo potestatem habens præferendi opus virtutis suæ corporali vitæ: quomodo depositarius rem alienam apud se depositam alienare potest, si dominus ei permiserit.

XVI. Tertiò. Potest fæmina pro con-

conservanda corporis integritate, quamvis non esset proximum periculum consensus, mortem pati: in proximo verò periculo consensus, debet potiùs mortem subire, quàm peccare.

XVII. Quartò. Amico in gravi necessitate, aut morbo licèt assistere etiam cum periculo vitæ. Sic mulier viro peste laboranti, secundùm præfatos Auctores, licitè assistit. Quo in casu Sacramenta ministrare etiam cum certo vitæ periculo Pastores animarum non solùm posse, sed etiam teneri, certum est.

XVIII. Quintò. Carthusianis (ut *Tom. 2. in 1. 2. Q. 6. de Lege humanâ, Dub. 3. §. 3. num. 24.* tetigimus) licitum est, pro bono abstinentiæ, & disciplinæ regularis, etiam in periculosissimis morbis, abstinere à carnibus; sicut cuique licitum est, abstinere à cibis delicatioribus, & pharmacis extraordinariis. Neque enim homo tenetur quærere media exquisita, & extraordinaria pro vita protrahendâ; sed solùm ordinaria ad vitam tuendam: pharmaca verò prædicta, & carnes respectu Carthusianorum sunt media extraordinaria.

Hinc licitum est desiderio majoris perfectionis ingredi Religionem arctam, quamvis periculum brevioris vitæ prævideatur. Si enim licet ob lucrum temporale belli, & navigationis periculis se tradere, cur non licebit ob lucrum spirituale? propterea S. Casimirus Rex ab Ecclesia laudatur, quòd maluerit votum virginitatis servare, quàm pro salvanda vitâ, juxta medicorum consilium, uxorem ducere. Eâdem ratione multò minus obligatur novitius egredi à Religione, aut petere dispensationem à communibus rigoribus, etiam si inde morbi, vel brevioris vitæ pericula timeat. Nec Monialibus fas est, etiam instante mortis periculo, egredi è Monasterio, nisi in casibus à S. Pio V. expressis; vel nisi obtentâ dispensatione. Et ratio horum est. Quia hoc non est, sibi mortem positivè afferre, quod directè nunquam licet: sed ex amore virtutis non adhibere omnia media ad impediendam mortem. Hæc generaliter dicta sint: in casibus enim particularibus prudentiâ res pensanda est.

XIX. Tandem. Licitum esse militi vitam in prælio exponere periculo; quia hoc fit auctoritate publicâ, & pro bono publico, omnes docent. Ita sentiunt Sanchez, *l. 6. in Decalog. c. 15. num. 39.* Soto, *l. 5. de Justitia q. 6. a. 4.* Suarez, *de Legibus lib. 5.* de Lugo, *disp. 10. sect. 1. à num. 33.* Et alii.

DUBIUM III.

An Homo sit Dominus suæ Famæ, & Honoris.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. FAma communiter definitur a *Multorum de re aliqua verè prolata opinio*. Quæ definitio utrique famæ convenit, bonæ scilicet, & malæ, quæ dicitur infamia. Verùm bona fama, de qua hîc sermo est, à pluribus describitur, quòd sit: *Bona existimatio, quæ de aliquo habetur in vita, & moribus apud multos, & prudentes viros*. Honor autem definitur, quòd sit: *Exhibitio reverentiæ in testimonium alicujus excellentiæ*. Unde honor dicit duo: unum ex parte honorati, scilicet, excellentia, aut meritum; & hoc est materia honoris: aliud ex parte honorantis, scilicet, testificatio, seu reverentiæ exhibitio; & hoc est forma, seu formale honoris. Hoc supposito.

II. Dico. Homo est verè dominus suæ famæ, & honoris. Ita communius Theologi contra Cajetanum, & alios. Prob. primò. Eorum, quæ propriâ industriâ, & labore acquirimus, domini sumus: sed bonam famam propriâ industriâ, labore, & meritis acquirimus; ergo &c. Maj. pro-

probatur. Ideo enim domini sumus divitiarum, quia eas propriâ industriâ, & labore comparamus: ab opposito autem non sumus domini vitæ, quia eam non liberè nobis comparamus, sed à Deo accipimus.

III. Secundò prob. Homo est dominus eorum, de quibus tanquam libero subjectis arbitrio potest disponere: atqui fama est bonum quoddam hominis, de quo liberè potest disponere; ergo &c. Maj. indicatur à S. Th. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3. his verbis: *Homo constituitur dominus sui ipsius per liberum arbitrium: & ideo licitè potest homo de seipso disponere, quantùm ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitrio regitur: non tamen quantum ad ea, quæ non subjacent suo arbitrio.* Min. etiam indicatur ab eodem, 2. 2. q. 73. a. 5. ad 1. ubi docet, quòd homo *Sui arbitrii est, detrimentum famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum.*

IV. Confirmatur. Si non possemus de fama disponere magis, quàm de vita, nunquam possemus eam à nobis abjicere, ne quidem pro acquisitione vitæ æternæ; sicut non possumus nos, aut vitâ spoliare, aut membro mutilare pro acquirendo Regno Cœlorum: atqui possumus abjicere famam pro acquirendo bono virtutis, modò nulli tertio sit necessaria. Quis enim culparet hominem privatum, aut etiam in dignitate constitutum, qui sciens, famam, & honorem sibi impedimento esse ad vitam æternam, aut ad perfectionem, talia bona abjicere, ac sui contemptu abscondere studeret? Nonne laudantur Sancti, quòd omne studium adhibuerint, ut essent contemtui, & propter Christum stulti haberentur? Sic de S. Ambrosio legitur, perditas mulieres in propriam domum advocasse, ne Mediolanensium Episcopus eligeretur: quod tamen exemplum cautè sumendum est. *Ep.* 43. modò 7. & *Ep.* 50. modò 30. lapsus suos in adolescentia fatetur. Et S. Augustinus in *libris Confess.* sua occulta peccata propalavit.

V. Tertiò probatur. Si quis alicui famam detrahit, tenetur illi famam restituere, non minùs, ac si illi pecuniam abriperet; ergo signum est, esse æquè dominum famæ, ac divitiarum. — Rursus: homo potest detractori famæ restitutionem condonare, non minùs ac restitutionem pecuniæ; ergo non minùs est dominus famæ, ac pecuniæ.

VI. Nec dicas. Pari ratione potest homo condonare abscissionem membri: & tamen non infertur, eum esse dominum suorum membrorum — Nam respondeo, abscissionem brachii, vel alterius membri propriè remitti non posse, sicut nec brachium abscissum potest restitui. Solùm ergo damnum, quod quis ex abscissione brachii passus est, reparari potest; cujus cùm homo sit dominus, potest illud liberè condonare. At fama, & honor restitui potest, vel in numero, vel in specie: & ideo ejus restitutio directè condonari potest.

Cùm ergo præcipui actus dominii, quoad famam, homini conveniant: primò enim proprio labore eam comparare potest: secundò, ablatam proprio nomine velut rem suam repetere potest prohibito: tertiò, penes ipsum est, ejus restitutionem condonare; liquet, propriæ famæ hominem esse dominum.

§. II.

Objectiones Solvuntur.

VII. Objiciunt primò. In jure passim fama, & honor vocatur thesaurus inæstimabilis, & vitæ æquiparatur. Imò pretiosior vitâ reputatur, 1. *Machab.* 9. *v.* 10. ubi Judas Machabæus: *Moriamur* (inquit) *in virtute .... & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Et Ecclesiastici 41. v. 15. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri ...... bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in æternum.*

VIII. Respondeo, famam absolutè sumtam non posse æquari vitæ: quia vita substantia hominis est, fama autem ejus solùm inter bona extrinseca computatur. Dicuntur tamen æquiparari in hominum æstimatione; quia ex iis, quæ homini adjacent, maximum bonum apud Sapientes fama reputatur — Addo: quòd licèt fama solitariè accepta sit vitâ inferior; si tamen accipiatur simul cum vita, quatenus necessaria existimatur ad benè, & honestè ducendam vitam, pluris æstimatur vita cum bona fama, quàm vita sola: & utroque hoc modo exponendi sunt textus allati. Et hoc maximè, quando bona fama existimatur necessaria ad removendum scandalum, vel ad exemplum aliorum. Nam, ut docet S. Thom. Quolib. 10. a. 13. *Fama non est necessaria homini propter seipsum, sed propter proximum ædificandum: Appetere ergo famam propter proximum, caritatis est: appetere verò propter seipsum, ad inanem gloriam pertinet.* Hinc honor, qui in vera coram Deo justitiâ positus est, is quidem æquandus, imò præferendus est vitæ corporali; non tamen honor in æstimatione hujus seculi corrupti consistens: iste enim vitæ est postponendus. Unde ad tuendam vitam, cum moderamine inculpatæ tutelæ licet occidere invasorem; non tamen ad tuendam famam licet occidere detractorem, ut definivit Innocentius XI. damnans *propos.* 30. quæ oppositum afferebat.

Quidquid autem fit de pretio, & cura, in qua habenda est propria fama: ex hoc tamen non sequitur, nos non habere dominium famæ nostræ. Nam & alia, quæ sub nostro habemus dominio, debemus curare, & non passim, & absque rationabili causa negligere.

IX. Objiciunt secundò S. August. *l. de bono Viduit.* c. 22. relatum 11. q. 3. c. *Non sunt audiendi.* Ubi in reprehensionem eorum, qui propriam negligunt famam, subdit: *Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.* Quibus videtur indicare, dominium famæ non penes nos, sed penes Rempublicam esse. — Item, *l.* 1. *de Civit. Dei*, c. 20. ait, illo præcepto: *Non falsum dices testimonium*, prohiberi quemque adversùs se falsum testari, sicuti adversùs proximum: quemadmodum alio præcepto: *Non occides* unà & proximi homicidium, & proprium prohibetur. Unde sic arguo. Hæc duo præcepta pari ratione prohibent tàm testimonium adversùs famam propriam, quàm adversùs alienam, & tàm homicidium proprium, quàm alienum: sed hoc secundo colligitur, hominem non esse dominum famæ alienæ, neque vitæ propriæ; ergo neque famæ propriæ.

X. Respondeo ex Soto, S. August. in illo primo loco nobis non adversari. Nam si ex quo fama nostra aliis est necessaria, inferretur, dominium ejus non esse penes nos, sed penes alios, puta Rempublicam; pariter cùm ibi dicat Augustinus, vitam nostram esse necessariam nobis, inferretur, vitæ dominium penes nos esse. — Admonet ergo nos ibi S. Doctor, ne simus negligentes propriæ famæ, quâ possimus Reipublicæ servire, & sinè legitimâ causâ eam prodigamus: & maximè quando sinè scandalo eam prodigere non possumus. Loquebatur enim de quibusdam mulieribus, quæ cùm honestè, & castè viverent, parum curabant, tales coram aliis apparere, dicentes, sibi sufficere conscientiam suam; unde scandalum in populo generabant. Has ergo corrigens ait: *Nec audiendi sunt, sive viri sancti, sive fœminæ, quando reprehensâ in aliquo negligentiâ suâ, per quam fit, ut in malam veniant suspicionem .... dicunt, sibi coram Deo sufficere conscientiam; existimationem hominum, non imprudenter solùm, verùm etiam crudeliter contemnentes: cum occidunt animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei, quibus secundùm suam suspicionem, quasi turpis, quæ casta est,*

est, displicet vita sanctorum, sive etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam suam custodit, sibi benè facit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra; aliis fama nostra: & utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. Unde non frustra Apostolus. (2. Cor. 8. v. 21.) Providemus (*inquit*) bona, non solùm coram Deo, verùm etiam coram hominibus.

XI. Hisce S. Augustini verbis docemur, non quidem nos non esse dominos famæ nostræ; sed ita cum bona vita conformare debere conversationem externam nostram; ne malam suspicionem aliis ingeramus, & occasionem eis demus, vel blasphemandi viam Dei, vel imitandi, quod putant nos esse, & ita crudeles simus in ipsos. Verùm quia contingit sæpè non ex culpa, vel causa nostrâ famam nostram denigrari, propterea subjungit: *Sed quoniam quantalibet humana cautela suspiciones malevolentissimas non potest omni ex parte vitare: ubi pro existimatione nostra quidquid rectè possumus fecerimus; si aliqui de nobis, vel mala fingendo, vel malè credendo, famam nostram decolorare conantur; adsit conscientia solatium, planèque etiam gaudium, quòd merces nostra magna est in Cœlis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen, justèque viventibus.*

XII. Ad alterum S. Augustini textum dico, ex illo præcepto, *Non falsum dices*, solùm colligi, falsum testimonium dicere contra seipsum mentiendo, aut sibi falsò aliquod crimen imponendo, peccatum esse contra caritatem, quâ quisque tenetur diligere seipsum: sicut eàdem ratione peccatum est contra caritatem occidere seipsum. Non tamen esse peccatum, ex amore majoris virtutis proprias virtutes occultare, aut etiam propria crimina propalare: quod fecit Augustinus ipse in libris Confessionum: imò ex veteri Ecclesiæ disciplina quædam peccata occulta publicâ pœnitentiâ expiari cogebantur. Neque ex hoc, quòd sinè rationabili causâ non liceat homini propriam famam prodigere, sequitur, quòd non sit suæ famæ dominus: nam nec licet sinè rationabili causâ prodigere peccuniam, triticum, vinum, & alia hujusmodi; & tamen horum omnium habet homo dominium.

Neque intendit S. Augustinus, quòd homo falsum dicens, & infamans indebitè seipsum, peccet non solùm contra dilectionem sui, sed etiam contra justitiam, eo modo, quo falsum dicens contra alium, vel occidens alium, aut etiam seipsum. Nam ideo in his casibus peccat contra justitiam, quia dum lædit famam, vel vitam alterius, & etiam propriam, irrogat injuriam proximo, qui est suæ famæ dominus: & ideo, qui vitæ dominus est: at dum propriam famam dispersit, indebitè peccat quidem contra dilectionem sui, sed nemini facit injuriam. Imò si unusquisque habet jus, ne propria fama lædatur, & ut læsa reparetur, evidens est, eum esse propriæ famæ dominum, sicut est pecuniæ &c.

XIII. Objiciunt tertiò. Nemo potest esse dominus rei, quam non possidet, cum possessio sit primum dominii fundamentum: sed fama non possidetur ab eo, de quo est, sed ab aliis, in quorum mentibus bona existimatio proximi velnti depositatur: ille autem, de quo forma habetur non est subjectum illius, sed objectum: objectum autem rei non est rei dominus, aliàs omnia, quæ videntur, essent domini potentiæ videntis; ergo &c.

Confirmatur. Nemo est dominus rei, quam non habet in sua potestate: sed homo non habet in sui potestate facere, ut alii bonam de ipso habeant existimationem, seu ut ipsum judi-

judicent laude dignum: cùm sæpè contingat, optimos viros, sive ignorantiâ, sive malitiâ malè audire; ergo &c.

XIV. Respondeo, neg. absolutè min. Fama enim non eodem modo possidetur, ac pecunia, habendo nimirum apud se; sed habendo illam in aliorum mente velut depositam, cum jure, ut sibi custodiatur. Et ratio est: quia homo sic famam comparat, & quasi ejus possessionem capit. Quare licèt qui de aliquo bonam habent opinionem, eam in suis mentibus ab illo ingeneratam, quasi in deposito custodiant, ac proinde velut materialiter possideant; formaliter tamen possidetur ab eo, qui eam suis meritis acquisivit, & in illorum mentibus custodiendam deposuit. Sicque estò ille, de quo fama est, sit materialiter objectum opinionis aliorum; formaliter tamen, & in morali Prudentum æstimatione est subjectum famam in aliorum mentibus possidens: unde ab illa vir bonæ famæ denominatur.

XV. Ad Confirm. dist. maj. Quam non habet in sui potestate, nec de facto, nec de jure, co. maj. Quam non habet de facto, habet tamen de jure, nego maj. Licèt ergo sæpè non possit homo bonam sui existimationem in mentibus hominum imprimere: quia tamen potest ea agere, ex quibus nata est sequi bona fama; & propter quæ jus habet ad illam, ita ut eo jure spoliari non possit absque injustitia (nisi forte ob ignorantiam eorum, qui bona fide nesciunt, bonam famam illi esse debitam) ideo etsi de facto eam non acquirat, non desinit posse acquirere dominium super illam: sicut non desinit posse acquirere dominium alicujus rei, etsi propter malitiam hominum impediatur, ne de facto dominium illius acquirat.

DUBIUM IV.

An penes Duos possit esse Dominium in Solidum in eandem Rem.

§. I.

Quædam Prænotantur.

I. De dominio perfecto, pleno, ejusdem rationis procedit quæstio: nec enim dubium est, quin in eandem rem unus habeat dominium unius rationis, puta directum, & alius alterius rationis, puta utile. — Secundò. De dominio in solidum quæstio est; nempe de dominio, quod cuique seorsim totaliter convenit, & adæquatè: non autem de eo, quod convenit pluribus, cuique tamen partialiter. --- Tertiò. Loquimur pro eodem tempore, vel instanti, non autem successivè: quemadmodum in veteri lege plures uxores habebant jus in corpus unius mariti, & ad usum illius, non pro eodem tempore, sed pro diverso.

II. Communis doctrina Juristarum est, non posse penes duos simul ejusdem rei dominium in solidum consistere. Sic *Leg. 5. Si ut certo, §. de Duobus, ff. Commodati vel contra*. Ubi quæsito, si duobus vehiculum commodatum sit, vel locatum; utrum unusquisque eorum in solidum, an pro parte teneatur: respondetur: *Duorum quidem in solidum dominium, vel possessionem esse non posse*.

III. Neque dicas, quòd in casu, quo omnes Personæ divinæ unam naturam assumerent, tunc penes omnes esset dominium in solidum in illam.

Nam respondeo, neg. ant. Quia cùm illius dominii fundamentum esset voluntas divina, quæ in tribus divinis personis una est; una etiam, & indivisa esset in illis ratio dominii, non verò in qualibet seorsim adæquatè, & in solidum: sicut de facto tres divinæ Personæ ob voluntatis unitatem unus

unus Dominus sunt, non tres Domini.

IV. Major difficultas est circa instans venditionis, aut donationis, in quo venditor, vel donator transfert dominium in emtorem, vel donatarium: an in illo saltem instanti, in quo liber alteri donatur, non solùm donatarius, qui librum acceptat, & in illo instanti dominium primò habere supponitur; verùm etiam ipse donator sit verè, & simpliciter libri dominus: & idem dic de venditore, & emtore. In quo licèt affirmativè sentiat de Lugo, negativè tamen cum communiori tenendum censeo.

§. II.

Resolvitur Dubium.

V. Dico. Non possunt duo habere simul in eandem rem dominium in solidum, & adæquatum. Probatur ex natura dominii, quæ videtur (si in solidum sit) esse essentialiter exclusiva alterius dominii circa eandem rem. Nam dominium est libera facultas disponendi de re, tanquam suâ, licitè non impedibilis ab alio: at hoc ipso, quòd ejusdem rei essent plures domini in solidum, posset unus alterum impedire in libero usu, & dispositione rei: posset enim condominus ejusdem libri velle uti meo libro eo tempore, quo ego volo uti illo: quo posito, me licitè impediret à libero usu illius; ergo &c. Maj. verò, nempe, quòd inimpedibilitas in omni usu sit de essentia dominii perfecti, & in solidum talis, probatur. Nam jus inquantùm favet uni, intantùm gravat alios; sic, ut juri activo unius correspondeat debitum legale in aliis ejusmodi jus non impediendi: sed dominium plenum, & in solidum, nullo modo vinculatum, est jus activum ad omnem usum, & dispositionem; ergo circa omnem usum, & dispositionem illius rei, puta libri, gravat omnes alios, ponendo in eis debitum legale, ipsum in nullo libri usu impediendi.

VI. Tunc sic. Si donator sit dominus perfectus libri in eo instanti, quo librum donat, jam donatarius erit gravatus, & habebit debitum legale, ne donatorem in ullo usu libri impediat; ergo donatarius pro illo instanti non erit dominus libri. Ex quo sequuntur duo implicatoria: nempe, quòd donatarius in eo instanti esset dominus libri, & non esset; esset gravatus, & non esset, habens jus activum in librum, ne in usu illius ab alio impediatur, & simul debitum legale passivum, ne ab usu illius alterum impediat.

VII. Alia quoque venirent absurda. Primò. Quia servus in instanti manumissionis esset simul servus, & liber, ligatus, & solutus: liber esset, quia tunc accipit libertatem; servus, quia dominus in illo instanti dat libertatem, & consequenter secundùm Adversarios in illo instanti est dominus.

Secundò. Si donator in instanti completivo donationis habet dominium rei donatæ; etiam solemniter professus in aliqua Religione, in instanti completivo professionis, quo per votum paupertatis abdicat dominium omnium antea possessorum, adhuc erit dominus illorum, cùm sit utrinsque par ratio: sed hoc est falsum, quia illud est primum instans religiosæ paupertatis, quæ cum dominio stare nequit; ergo &c.

Tertiò. Sequeretur, quòd qui rem suam destrueret, puta, librum comburevet, esset dominus libri in instanti completivo combustionis; quia illa combustio est actus dominii, & libera dispositio libri: sed hoc est absurdum, quia liber tunc amplius non est, rerum autem quæ non sunt non datur dominium; ergo &c.

VIII. Tandem probatur, destruendo Adversariorum fundamentum. Ideo donator in instanti donationis esset dominus rei donatæ, quia in eo instanti,

stanti, quo donat, debet habere quod donat, cùm nemo det, quod non habet: sed hoc manifestè instatur; ergo &c. Min. probatur. Sicut nemo dat, nisi quod habet, ita nemo perdit, nisi quod habet, nemo occiditur, nisi qui vivit; ergo ne qui perdit pecunias, in instanti perditionis illas habet, & homo, qui occiditur, in instanti occisionis adhuc vivit? Nequaquam. Alioquin cùm instans completivum perditionis, & occisionis, sit instans, in quo primò res est perdita, & homo occisus; res esset simul perdita, & simul habita, homo simul occisus, & simul vivens.— Rursus: non expellitur, nisi quod est; ergo ne in instanti, quo lux expellit tenebras, tenebræ sunt? In instanti, quo gratia expellit peccatum, peccatum est? Ergo in eodem instanti simul erunt lux, & tenebræ, gratia & peccatum? Nemo, puto, hoc dicet.

§. III.

Solvuntur Contrariæ Rationes.

IX. PRimò objicies. Qui de re sua perfectè disponit, dominus illius est: sed in instanti donationis donator de re sua perfectè disponit; ergo in eodem instanti dominus illius est.

Confirmatur. In instanti donationis libri dominium ejus in solidum est penes donatorem, & donatarium. Penes donatorem: quia donatio est usus dominii in solidum, utpote transferens illud in donatarium, aliàs donaret rem jam non suam. Penes donatarium autem: quia hic in instanti donationis acceptat dominium in solidum libri donati, quæ acceptatio est ultimum complementum dominii. Impossibile autem est, quòd donatio non sortiatur effectum suum in eo instanti, in quo ponitur ultimum ejus complementum; ergo in instanti donationis dominium est penes duos, nempe donatorem, & donatarium.

X. Respondeo, dist. maj. Disponit dispositione conservativâ dominii, dominus illius est, co. maj. Dispositione abdicativâ, & destructivâ dominii, nego maj. Talis autem est dispositio, quâ donator disponit de re suâ in instanti donationis; dispositio scilicet abdicativa dominii, & destructiva illius. Unde estò donator in tempore immediatè antecedente fuerit dominus rei, quam donat; in instanti tamen donationis desinit esse dominus, & primò incipit esse dominus donatarius. Et ratio est, à priori. Quia dominium fundatur in voluntate habendi rem, ut suam: sed in donante pro instanti donationis potiùs datur nolitio habendi rem, quam donat, ut suam; & è contra in donatario datur voluntas absoluta illam habendi ut suam; ergo pro donationis instanti dominium rei donatæ est quidem penes donatarium, non tamen penes donantem, nisi fortè extrinsecè.

XI. Sed dices. Actus, & exercitium libertatis non destruit potentiam, aut libertatem; ergo neque exercitium dominii, quod est in instanti donationis, destruit dominium: quia exercitium potentiæ non destruit potentiam.

Respondeo, dist. ant. Exercitium, quando non includit prædicatum intrinsecè repugnans potentiæ, & abdicativum illius, co. ant. Secus, nego ant. Libertas ergo non destruitur per exercitium libertatis; quia dum quis liberè se exercet in uno, non amittit indifferentiam ad alterum: dum enim liberè sedeo, non amitto indifferentiam ad ambulandum; quia sessio voluntaria, & libera licèt includat prædicatum repugnans ambulationi, non tamen potentiæ ad ambulandum. Sic pari ratione exercitium dominii, quod non includit abdicationem rei, ejusque translationem in alterum, non destruit dominium; si verò includat, destruit; quia translatio dominii in alterum essentialiter repugnat cum habitione rei, & juris,

quæ

quæ includitur in dominio. Cùm autem donatio, & venditio rei essentialiter dicat abdicationem rei donatæ, aut venditæ; nequit stare actualis donatio, aut venditio cum dominio.

XII. Ad Confirm. respondeo, neg. ant. Nam in instanti donationis res, quæ donatur, non est donantis, nisi ad summum extrinsecè. Nam licèt donatio sit exercitium dominii; est exercitium destructivum dominii, sicut occisio est destructiva vitæ. Unde sicut in instanti, quo quis occidit seipsum, & in quo verificatur, quòd est occisus; non verificatur, quòd sit, & vivat, sed quòd immediatè ante fuerit vivus: sic in instanti, in quo verificatur, rem esse donatam, non verificatur, eam esse donantis, sed immediatè ante fuisse — Ad id, quod additur, nempe, quòd sequeretur, dominum donare rem jam non suam: dico, dominum donando, facere, ut res, quæ erat sua, jam non sit sua; seu donare rem, quæ esset adhuc sua, si eam vellet habere, ut suam: cæterum cùm in instanti donationis eam nolit habere ut suam, jam de sua facta est non sua.

XIII. Ex his respondetur ad aliam instantiam, quæ posset hoc modo fieri, nempe. Nemo dat quod non habet; ergo in instanti, quo quis rem alteri dat, illam habet.

Nam respondeo, maj. esse falsam, nisi ly *habet* accipiatur (ut ajunt Dialectici) cum distractione ad tempus immediatè præteritum: ut si dicatur nemo occiditur, qui non vivit: nemo perdit pecunias, quas non habet. Ex quo non sequitur; ergo in instanti occisionis, & mortis homo vivit; & homo in instanti deperditionis habet pecunias. Sicut ergo nemo spoliatur veste, quam non habet; & tamen eam non habet in sensu composito spoliationis, aliàs esset simul spoliatus, & vestitus: ita in casu &c.

XIV. Secundò objicies. Causa existit pro instanti, in quo ponit effectum: sed causa donationis est dominium existens in donante; ergo hoc existit in instanti donationis.

Confirmatur. Causa, dum producit effectum, concipitur pro priori naturæ proximè potens illum producere; ergo etiam donator in instanti, quo donat, pro priori naturæ concipitur proximè potens donare: sed proxima potentia donandi est dominium; ergo in instanti donationis pro priori naturæ concipitur habere dominium.

XV. Respondeo, dist. maj. Causa physica, transeat maj. Causa moralis, nego maj. & dist. min. Dominium est causa moralis, con. min. Physica, nego min. Dixi transeat maj. Quia etiam causa physica, præsertim causans per motum successivum in instanti, quo producit effectum, intrinsecè non est, sed solùm extrinsecè, seu immediatè antea fuit. Sic Sacramentum causat physicè gratiam per ultimam prolationem verborum; quæ tamen prolatio in instanti productionis gratiæ non est, sed immediatè antea fuit. Sic etiam mixtum est effectus mixtionis quatuor elementorum; & tamen quatuor elementa in instanti completivo mixtionis, amplius non sunt, sed immediate ante fuerunt.

Verùm hoc omisso, discrimen inter causam physicam, & moralem hoc est: quòd causa physica causat per realem influxum, & ideo debet esse pro instanti, in quo effectus primò est. At causa moralis causat per valorem, qui etiam à causa jam præteritâ provenire potest. Sic donatio, causâ mortis, sortitur suum effectum in instanti mortis, in quo nec existit donator, nec donatio. Et ita donatio in esse physico donationis procedere debet à voluntate realiter existente: in esse verò donationis validæ, & moraliter efficacis, à dominio, & voluntate, quæ fuit.

XVI. Ad Confirm. similiter dico, causam realiter coexistentem effectui debere supponi pro priori naturæ realiter, & physicè proximè potentem producere effectum. At causa solùm mora-

moraliter coexistens effectui, sufficit, ut pro priori naturę ad effectum, censeatur potens moraliter ipsum producere, & consequenter solùm moraliter existere.

XVII. Tertiò Obijcies. Dominium in solidum cujuscumque creaturæ potest stare, imò essentialiter connectitur cum dominio Dei circa eandem rem; ergo etiam stare potest cum dominio alterius creaturæ: quia dominium Dei multò magis plenum est, & in solidum, quàm dominium alterius creaturæ.

XVIII. Respondeo, neg. conf. Nam dominium creaturæ est dominium unius, & ejusdem rationis, & ordinis. Sicut autem duæ causæ ejusdem rationis, & ordinis non possunt esse causæ totales, & adæquatæ ejusdem effectus: ita duo domini ejusdem rationis, & ordinis, nequeunt esse in solidum domini ejusdem rei. At dominium Dei, & creaturæ sunt dominia diversæ rationis, & ordinis: nam dominium Dei non est dominium utilitatis respectu sui, sicut est dominium creaturæ, sed est dominium excellentię. Non repugnat autem, eandem rem habere duos dominos in solidum, unum excellentiæ, alterum utilitatis & consequenter diversæ rationis: sicut neque repugnat, eundem effectum duas causas totales habere, diversi tamen ordinis, & rationis, Deum nempe, & creaturam.

TRA-

TRACTATUS
DE RESTITUTIONE.

EX eo, quòd quis dominium habeat in aliquam rem, jus habet, ut non solùm res illa sibi non eripiatur; sed ulterius, ut si erepta fuerit, ei restituatur, & in possessionem illius, quâ injustè spoliatus fuerat, iteratò ponatur. Quare post agitata ea, quæ tractari solent de Jure, Justitiâ, & Dominio; ordine doctrinæ Tractatum de Restitutione subijcimus cum nostro Angelico Duce hac 2. 2. *qu.* 62.

QUÆSTIO I.

De Essentia Restitutionis, ejusque Obligatione.

REstitutionis naturam hìc examinabimus: an scilicet sit actus justitiæ commutativæ. Deinde: an sit necessaria ad salutem. Et tertiò: an statim facienda sit, & quando.

DUBIUM I.

An Restitutio sit Actus Justitiæ Commutativæ.

§. I.

Exponitur Restitutionis Natura.

I. REstitutio, ut hìc a nobis accipienda est, significat actum, quo damnum alterius injustè ei illatum reparatur. Differt autem restitutio, tùm à satisfactione, tùm à solutione. A satisfactione quidem: quia hæc frequentiùs est compensatio damni in honore, vel fama irrogati; restitutio verò circa damna in fortunæ bonis reparanda versatur. Et sic satisfactio ponitur pars integralis pœnitentiæ, non autem restitutio: quia cùm Deo propriè nil sit ablatum in effectu per peccatum, Deo nil est restituendum. Monemur tamen, Deo per pœnitentiam satisfacere pro offensa ejus majestati peccando irrogatâ: ideoque satisfactio reddit æquivalens pro offensa, vel injuriâ; restitutio verò intendit inducere æqualitatem rei ad rem. A solutione autem distinguitur restitutio: quia hæc nec est reparativa damni, nec supponit damnum irrogatum: ut cum Deo solvimus, quod ei per votum promisimus, aut venditori pretium rei emtæ; aut cum id, quod mutuo accepimus ab aliquo, per solutionem ei reddimus.

II. Restitutionem definit S. Tho. hac *q.* 62. *a.* 1. sic. *Restituere nihil aliud esse videtur, quàm iteratò aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ.* Sed hìc S. Doctor sumit restitutionem amplè, quando scilicet: *Res unius ab alio habetur*, (ut ibi explicat) *vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo, vel deposito; vel contra voluntatem ejus, sicut in rapina, vel furto.*

III. Restitutio igitur strictiùs, ut importat redditionem rei alienæ injustè, & contra voluntatem domini habitæ, definiri solet sic: *Actus Justitiæ commutativæ, quo res ablata, vel injustè detenta suo domino restituitur; vel illata damna compensantur.* Dicitur *Actus justitiæ commutativæ*: quia, ut dicemus, est actus, quo redditur cuique quod suum est; unde ex violata tantùm justitiâ tenetur quis ad restitutionem. Dicitur, *Quo res ablata, vel injustè detenta suo domino restituitur:* quia non minùs ad restitutionem obli-

gatur, qui rem alienam injustè detinet; quam qui eam sive apertè, sive clanculum invito domino eripuit. Et hæc restitutio debet fieri, etiamsi quis absque culpa habeat penes se rem alienam; puta, si casu inveniat crumenam, cujus verum cognoscit dominum; vel si domi suæ pallium alterius invenerit. — Additur, *& illata damna compensantur*. Hoc enim æquissimum est. Tùm quia: quædam res sunt, quæ semel ablata restitui non possunt, ut vita, vel membrum; puta, brachium abscissum, oculus erutus; ideoque qui talia abstulit, tenetur ad compensationem damni illati. Tùm quia: si quis culpâ suâ damnum alteri intulit, debet illud sarcire, & compensare: & licèt res aliena, cujus ereptione illatum est damnum, non habeatur, restitutio tamen in pluribus casibus obligat: ut si domum alterius incendisset, si injustè eum ad multas expensas adegisset, puta, intentando litem injustam, & similia.

§. II.

Resolvitur Dubium.

IV. Dico. Restitutio est actus justitiæ commutativæ. Ita S. Tho. *a.* 1. citato. Ex quo probatur primo sic. Restitutio ablationi opponitur: sed ablatio rei alienæ est actus injustitiæ circa commutationes; ergo restitutio ejus est actus justitiæ, quæ est in commutationibus directiva — Nota tamen, hac ratione voluisse S. Tho. probare de sola restitutione rei injustè ablatæ, tanquam de notiori, non verò generaliter.

V. Secundò. Probatur generaliter. Ut restitutio legitima sit, debet iteratò statuere dominum in possessionem, vel dominium rei suæ, sicut erat, antequam rei suæ dominio privaretur; & consequenter fieri debet ad æqualitatem rei, quæ ablata est; sive per injuriam sublata sit, ut in furto, & rapinâ, sive per domini voluntatem, ut in mutuo, & deposito: sed æqualitas rei ad rem, seu inter res per solam justitiam commutativam constituitur: per justitiam enim distributivam non constituitur æqualitas, sed solùm proportio, non rei ad rem, sed rei ad personam, ut supra dictum est; ergo &c.

VI. Ex his nascitur, quòd restitutio propriè locum non habeat, nisi ubi intervenit ratio debiti, & crediti legalis. Si enim quis dono mihi dedit centum, & postea ego, ut gratiam illi referam, tantumdem redonem; non est vocanda hæc mea gratiæ relatio restitutionis nomine: quia etsi adsit restitutionis materia, quia statuitur æqualitas rei ad rem; deest tamen restitutionis forma, nempe, creditum, & debitum: & ob id redonatio illa ad justitiam commutativam non pertinet, sed potiùs ad liberalitatem.

VII. Neque insuper necesse est ad restitutionis naturam, ut eadem numero, vel specie reddatur res, quæ fuerat ablata, vel accepta: hoc enim ad naturam commutationis non requiritur, sed quòd tantumdem, seu æquale reddatur. Sicut enim commutatio vini pro oleo, pretii pro mercede, unius actionis pro alia, justitiam commutativam constituit: ita restitutio unius pro alio, dummodo æqualitatem secum trahat, ad commutativam justitiam spectabit: ut si cui domum incendissem, pecuniam pro ea reponerem: si cui equum occidissem, pretium pro eo erogarem, restituere diceret ex justitia commutativâ.

§. III.

Objectionibus fit Satis.

VIII. Objicies primò. Sicut in restitutione intenditur æqualitas rei ad rem, ita in satisfactione æqualitas honoris ad offensam: sed satisfactio non est actus justitiæ commutativæ, sed potiùs pœnitentiæ, quâ Deo pro offensis satisfacimus; neque enim

inter

inter nos &, Deum dari poteſt juſtitia commutativa, ut diximus: ergo nec reſtitutio &c.

IX. Reſpondeo, omiſsâ maj. de qua infra, neg. min. Utraque enim, nimirum, reſtitutio, & ſatisfactio ad juſtitiam pertinet commutativam; nam utraque intendit æqualitatem rei ad rem: qui enim injuriâ alium læſit, ad æqualitatis menſuram debet ſatisfacere. Intantum autem ſatisfactio hominis ad Deum non pertinet ad juſtitiam commutativam rigoroſè talem, inquantum ei deeſt præcipuè æqualitas honoris cum offenſa. Cæterùm ſi æqualitas inter ſatisfactionem, & offenſam Deo illatam daretur, veram juſtitiam commutativam conſtitueret. Unde quia Chriſtus ſatisfactionem æqualem exhibuit Deo offenſo, illa ſatisfactio fuit actus juſtitiæ commutativæ.

Quamvis autem ſatisfactio noſtra erga Deum ad veram, ac perfectam juſtitiam commutativam non pertingat, ut dictum eſt, *Tract. praeed. Qu.* 4. *Dub.* 1. in ea tamen eſt aliquid commutationis; quatenus ex parte noſtra eſt compenſatio pro offenſa, & ex parte Dei retributio, ſeu condonatio. Unde S. Tho. 3. p. q. 85. a 3. ad 3. *Sicut* (inquit) *eſt commutatio quædam in beneficiis, cum ſcilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit: ita etiam eſt commutatio in offenſis, cùm aliquis pro offenſa in alterum commiſſâ, vel invitus punitur (quod pertinet ad vindicativam juſtitiam) vel voluntariè recompenſat emendam, quod pertinet ad pœnitentiam, quæ reſpicit perſonam peccatoris, ſicut juſtitia vindicativa perſonam Judicis. Unde manifeſtum eſt, quòd utraque ſub juſtitia commutativâ continetur.* Vindicativam enim juſtitiam ad commutativam pertinere, oſtendimus ſupra, *Tract. praecd. Qu.* 3. *Dub.* 2. §. 4.

X. Inter ſatisfactionem autem, & reſtitutionem plures dantur differentiæ. Prima, ut ſupra diximus, §. 1. quòd ſatisfactio eſt compenſatio damni in honore, vel fama, irrogati. Quare, ut à reſtitutione, & etiam ſolutione diſtinguitur, eſt injuriæ compenſatio, & damnum illatum ſupponit: hoc autem nec reſtitutio, nec ſolutio neceſſariò requirit. Ex hoc ſequitur ſecunda differentia, quòd reſtitutio magis propriè eſt reparatio inæqualitatis in rebus; ſatisfactio in actionibus, & paſſionibus injurioſis. Unde reſtitutio, quando injuriam compenſat, frequenter eam compenſat in effectu ex injuria ſecuto; ut in damno, quod in rebus ſuis habuit is, cui illata eſt injuria: ſatisfactio autem compenſat in actione, vel paſſione; ut humiliatione, veniæ petitione, & ſimilibus. Quapropter interdum invenitur ſatisfactio ſinè reſtitutione, ut cùm quis proximo ſe humiliat de aliquibus contumeliis ei dictis, aut cùm Deo pro peccatis ſuis ſatisfacit: aliquando eſt reſtitutio ſinè ſatisfactione, ut quando mutuum, vel depoſitum redditur: aliquando utrumque; ut cum quis alteri rem ſuam abſtulit, eum ſimul convitiis onerando, & eam reddit, ac reddendo ſe humiliat. Tertia, quòd tàm reſtitutio, quàm ſatisfactio, attendunt quidem æqualitatem; ſed reſtitutio attendit æqualitatem rei ad rem; ſatisfactio verò æqualitatem inter perſonam ſatisfacientem, & eam, cui fit ſatisfactio. Sed de hac, agendo de ſatisfactione Chriſti, plura dicemus.

XI. Objicies ſecundò. Reſtituere tenetur, nedum qui violavit juſtitiam commutativam, ſed etiam qui juſtitiam diſtributivam: nam qui diſtribuit præmia non ſecundùm meritorum pondera, refundere tenetur ei, qui minùs juſto accepit; ergo reſtitutio eſt actus non ſolùm juſtitiæ commutativæ, ſed etiam diſtributivæ.

XII. Reſpondeo primò, negando ant. Ad prob. dico, rependere præmia pro meritis non eſſe actum juſtitiæ diſtributivæ (hæc enim non diſtribuit præmia merentibus, ſed ſolùm bona communia particularibus non atten-

tendendo ad merita, sed solùm ad conditionem, & dignitatem personæ, ut dignori plus det, ut supra diximus) sed veræ justitiæ commutativæ. Unde si non dispenset præmia secundùm meritorum pondera, non statuit æqualitatem inter rem, & rem, nempe inter meritum, & præmium; & ex justitia commutativâ restituere tenetur.

XIII. Respondeo secundò, eum etiam, qui violavit justitiam distributivam, restituere teneri, si ad hanc exercendam à Republica ex contractu fuerit conductus. Sed in hoc casu justitiæ distributivæ miscetur etiam commutativa: & ex hoc tenetur recompensare. Cùm enim non dando tantum, quantum debuit, posuerit inæqualitatem inter rem, & dignitatem ejus, cui minus dedit; oportet, ut quantò minus habuit, tantò plus ei detur: & sic æqualitas ponatur, quod ad justitiam commutativam pertinet. Unde S. Tho. hàc q. 62. a. 1 ad 3. *Recompensatio* (inquit) *quam facit distribuens ei, cui dedit minus, quam debuit, fit per comparationem rei ad rem; ut quantò minus habuit, quàm debuit, tantò plus ei detur: & ideo jam pertinet ad justitiam commutativam.*

DUBIUM II.

An Restituere quod Ablatum est, sit Necessarium ad Salutem.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. INter Græcorum errores Guido Carmelita, Alphonsus de Castro, Prateolus, & alii hunc ponunt: ad salutem æternam non esse necessariam rei ablatæ restitutionem. Adeo ut eorum Sacerdotes pro furto, rapinâ manifestâ, & usurâ nemini injungant, ut, quibus illa sustulerint, reddant, aut satisfaciant; sed raptorem oleo simplici inungant, & imposito onere aliquam pecuniæ portionem sibi ipsis distribuendi, absolvant. His tamen rejectis

II. Dico. Restituere id, quod ablatum est, necessarium est ad salutem. Ita S. Tho. hàc *q. 62. a. 2.* & est de fide tenendum. Quia tamen potest aliquid esse necessarium ad salutem dupliciter: uno modo, necessitate medii, ut neque ignorantia, estò invincibilis, neque impotentia excuset; quo pacto ad salutem necessarius est Baptismus, & post Baptismum pœnitentia: alio modo solùm necessitate præcepti, ita ut per ignorantiam invincibilem, sive impotentiam excusari possit, S. Thomas hìc non loquitur de necessitate medii, seu finis. Etenim stare potest, hominem consequi gratiam, & gloriam absque restitutione tàm in re, quàm in voto: ut si quis invincibiliter nesciret, se alteri aliquid debere, & sic bonâ fide continuaret in possessione illius: vel, etsi sciret, impotens tamen esset ad eam exhibendam, & haberet propositum eam exhibendi, cùm primò sibi fuerit possibilis: hoc enim necessarium est ad justificationem, sicut est necessarium propositum adimplendi legem, & vitandi quodcumque peccatum. Loquitur ergo S. Thom. de necessitate præcepti: sic, ut sciens se habere rem alienam, & potens eam restituere, teneatur ex præcepto illam domino reddere, si velit justificari, & salvus fieri: & si non possit, habeat saltem propositum restituendi, cum poterit.

III. Assertio sit explicata prob. Restitutio rei ablatæ est præcepta jure naturali, divino, & humano; ergo est necessaria necessitate præcepti. Ant. pro prima parte prob. Nam sicut jus naturale præcipit, ne alteri rem suam ipso invito auferas: ita præcipit, ne alterius rem ipso invito retineas: & sicut peccas contra justitiam, alteri rem suam auferens ipso nolente: ita contra justitiam facis, rem alterius ipso nolente retinens, & ipsum in jure, quo privasti, iteratò non statuens. Unde

Unde S. Thom. infra *q. 66. a. 3. ad 2.* ait: *Detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injustâ. Et ideo sub injusta acceptione intelligitur etiam injusta detentio.* — Rursus: juris naturæ præceptum est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: sed nemo vult, rem suam ab alio, ipso nolente, retineri; ergo nec debet velle, rem alterius, ipso nolente, sibi detinere.

IV. Ant. pro secunda parte prob. Tùm ex *Ezech. 33. v. 15.* ubi inter ea, quæ ex divino præcepto ad vitam, atque adeo ad animæ salutem requiruntur, est rei alienæ restitutio. De impio enim dicitur, quòd vitâ vivet, *Si egerit pœnitentiam .... Et pignus restituerit, rapinamque reddiderit.* Tùm *Exod. 22.* ubi pro furto, & damno illato præscribitur restitutio, & compensatio. Hinc *Tobiæ 2.*, ubi cum Anna uxor ejus hædum detulisset domum, ait Tobias v. 21. *Videte, nè forte furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Huc etiam pertinent verba Christi, Matth. 22. v. 21. *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Et Pauli Rom. 13. v. 7. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal &c.*

V. Pro tertia verò parte probant jura Cap. *Peccatum*, de Reg. juris in 6. ubi dicit Bonifacius VIII. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Et Alexander III. C. *Cum tu*, tit. de Usuris, & habetur 14. q. 6. C. *Si res aliena.* Quæ regula sumta est ex S. August. *Ep.* 153. olim 54. *ad Macedonium*, qui cum rescivisset, aliquos velle sibi pœnam relaxari, & id, propter quod peccatum est, possidere, ait: *Pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cum restitui potest.*

VI. Probatur etiam ratione S. Tho. hoc *a.* 2. Conservare justitiam est de necessitate salutis: sed ad conservandam justitiam necessaria est restitutio rei injustè ablatæ: cùm enim per injustam acceptionem violata sit justitiæ æqualitas; non potest aliter hæc reparari, quàm per restitutionem rei, suo domino iterum æqualitatem statuendo.

§. I I.

Respondetur Objectis.

VII. Primò objicitur scriptura variis in locis. Primò. Quia Rachel, *Genes.* 31. legitur furata Idola patris sui. Et, *Genes.* 34. filii Jacob propter stuprum Dinæ sororis interfecerunt omnes masculos in Sichem, & abstulerunt oves, & armenta, & asinos, cunctaque abstulerunt, quæ in domibus, & agris erant: parvulos quoque, & uxores eorum adduxerunt captivos: neque tamen videntur ullam fecisse restitutionem, quam certè Jacob fieri curasset, si ea fuisset necessaria. Consequens igitur est, non esse necessarium, ablata restituere.

Secundò. David, 1. *Reg.* 27. legitur abstulisse oves, boves, aliasque prædas egisse, nec tamen fecit ullam restitutionem — Nec valet dicere, ea omnia abstulisse hostibus. — Nam privatus homo, qualis erat tunc David, non poterat justè hostes adoriri, eosque spoliare: ut enim justè fiat, requiritur auctoritas publica.

Tertiò. Idem David, 2. *Reg.* 16. omnia, quæ fuerant Miphiboseth, ei sinè justâ causâ abstulit, & dedit Sibæ: postea verò intelligens, causam, ob quam dederat, non fuisse legitimam, tantùm ex dimidio restituit, dicens Miphiboseth, c. 19. v. 29. *Tu, & Siba dividite possessiones*; ergo saltem non est necesse, injustè ablata ex integro restituere.

Quar-

Quartò. Dominus, *Lucæ* 11. postquam Pharisæos taxavit rapinâ, nullam restitutionis faciens mentionem, *v.* 41. ait: *Quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.*

Quintò. Ad salutem animæ consequendam, satis est servare mandata, Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quòd si quis mandata transgressus fuerit, satis est, ut per pœnitentiam culpam deleat: atqui restitutio neque inter mandata, neque inter partes pœnitentiæ recensetur; ergo &c.

VIII. Respondeo ad singula. Ad primum, quòd Rachelem attinet, dico, Idola, de quibus agitur, patri justè sustulisse; ut eorum nempe valor esset illi pro dote matrimoniali, quâ pater illam fraudaverat, juxta verba, quæ ipsa cum sorore dixit, Gen. 31. v. 15. *Nonne quasi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?*

Quoad factum filiorum Jacob, sunt, qui excusent, tanquam Deo inspirante factum. Et in hoc sensu videtur laudari à Judith. c. 9. v. 2. &c. — Veriùs tamen juxta ea, quæ pater ad Simeonem, & Levi præcipuos hujus facti auctores dixit, tùm *c.* 34. *v.* 30. tùm *c.* 49. *v.* 5. &c. dicendum, eos injustè egisse, & graviter peccasse pluribus titulis. Primò. Mendacio perniciosо id spondentes Sichimitis, quod non intendebant servare: cui peccato junxerunt sacrilegium, abutentes nimirum Circumcisione, quæ apud illos erat sacramentum, ad doli crudelis executionem. Deinde bellum, quod gesserunt, præter quamquod fuit fraudulentum, fuit etiam defectu auctoritatis injustum: non enim erant ipsi suæ Reipublicæ Caput, sed Jacob, qui nedum consensum non præbuit, sed factum vituperavit: ideoque bellum privatâ auctoritate, & vindictâ, & proinde iniquè, gesserunt: excedentes quoque in vindicta, multos insontes occiderunt, bonis spoliaverunt, captivos duxerunt — Judith autem vel solùm Simeonis, & Levi laudavit zelum ægrè ferendi sororis stuprum, non modum illud vindicandi: vel laudavit justitiam Dei, qui ad ultionem alienigenarum Simeonis ministerium etsi injustum ordinavit; & modo, quo ad vastandos Persas, & Medos usus est Babyloniis, ut habetur Isaiæ 13. v. 3. & Ezech. 30. v. 24. &c. *Et confortabo brachia Regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus &c.* Porro quamvis de restitutione non legatur, credendum tamen est Jacob, non solùm facinus improbasse, sed pro sua justitiâ restitutionem fieri mandasse, quantum potuit: tùm uxores, & parvulos remittendo, eosque cum necessariis ad victum, & vestitum: tum oves, & armenta, & quidquid eis ereptum fuerat, restituendo.

IX. Ad secundum dico, quòd ibi David spoliabat, & interficiebat eos, quos Deus interfici jusserat, nempe, Amalecitas, ut habetur, *Josue* 15. & 1. *Regum* 15. & Gessuri, & Gerzi, qui habitabant in terra Promissionis, quam Deus Israelitis dederat: ideoque David ratione illius facti ad nullam tenebatur restitutionem; imò neque peccaverat eos spoliando, & occidendo.

Nec tunc agebat personam merè privatam. Erat enim Princeps belli contra inimicos populi Israel à Saule constitutus, 1. *Reg.* 18. *v.* 5. Et quamvis postea Saul infensus factus fuerit David: non tamen hoc acccidit, quia David aliquid contra Saulem machinatus fuerit, & factus fuerit reus læsæ majestatis: nec Saul legitur potestatem illi traditam revocasse unquam, imò Davidem revocasse in gratiam, habemus, 1. *Reg.* 26. *v.* 21. & 25.

Sed quidquid de hoc sit: certum est, David non privato spiritu, sed peculiari Spiritus Sancti instinctu ista egisse. Nam, & habebat secum Abiathar Sacerdotem, cui, 1. *Reg.* 22. *v.* 23. dixerat: *Mane mecum:* & divinum oraculum per eum consulebat, ut patet ex *Cap.* 23. *v.* 9. & *c.* 30. *v.* 7.

X. Ad

X. Ad tertium. Non videtur David, cæteroquin pius, & sanctus, posse excusari, quin malè fecerit; tùm bona Miphiboseth dando Sibæ; tùm postea medietatem illorum ei relinquendo. A debito tamen restitutionis eximi potest: quia alias possessiones Miphiboseth dedisse in compensatione, credere par est. Eo vel maximè, quòd Miphiboseth consensit in omnia, quæ Rex disposuerat; ait enim *c.* 19. *v.* 27. Regi: *Fac quod placitum est tibi*. & v. 30. *Etiam cuncta accipiat*. Domino autem consentiente debitum restitutionis cessat. Adde: quòd multa bona contulerat David Miphiboseth, ad quæ non tenebatur; unde poterat aliquam ab illo exigere compensationem.

XI. Ad quartum dico, non omnia ad salutem necessaria omnibus Scripturæ locis dici, sed quædam uno, & quædam alio: et cum salus tribuitur uni, intelligenda est ei tribui, modò ex parte cæterorum, nihil desit. Sic, *Matth. 6. v.* 14. remissio peccatorum promittitur remissioni, quâ frater fratri in se peccanti remittit offensam; si nimirum cætera adsint, vel non obsit defectus alterius requisiti: nam ad remissionem peccatorum requiruntur ulteriùs fides, penitentia, bona opera &c. Ita Christus Pharisæis raptoribus animæ munditiem promisit, non solâ eleemosynâ obtinendam; sed si aliis necessariis, præsertim restitutioni rerum raptarum, eleemosynam conjungerent. Et hoc indicavit dicens: *Quod superest*, idest, illud, quod, restitutis injustè ablatis, de propriis facultatibus vobis superest, *date eleemosynam. Et ecce omnia munda sunt vobis*. *Omnia* (inquit Basilius in Regulis brevioribus, ad interrogat. 171.) *quæ per rapinam, & defraudationem peccata committuntur*. Proprium enim remedium, quo peccata rapinæ expiantur, est, si post sufficientem alienorum restitutionem, etiam propria distribuamus in eleemosynas, ut Zachæus fecit.

XII. Ad quintum nego min. Præceptum enim: *Non furtum facies*, idem valet, ac non detinebis alienum; sed si habueris, illud restitues. Ut enim supra diximus ex S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 3. ad 2. *Detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injustâ. Et ideo sub injustâ acceptione intelligitur etiam injusta detentio*.

XIII. Secundò objicitur, & instatur. Si aliquo præcepto esset imperata rei alienæ restitutio, maximè septimo Decalogi præcepto: *Non furtum facies*: sed hoc non; ergo &c. Min. probatur. Illud enim præceptum negativum est, & obligat ad semper, & pro semper: istud verò de restitutione est affirmativum, quod non obligat ad semper, sed pro tempore & loco; ergo &c.

XIV. Hoc argumentum duo petit, ut explicemus. Primum: an præceptum non furandi, & restituendi sit unum, & idem præceptum. Alterum: an præceptum restituendi sit præceptum pure affirmativum, vel negativum.

Ad primum dico, probabilius videri, esse quodammodo duo præcepta, quorum unum ex alio sequitur: unum abstinendi à furto, merè negativum; alterum restituendi quòd furto ablatum est, & hoc affirmativum. Et ratio est. Quia actiones malæ prohibentur præceptis negativis; bonæ autem præcipiuntur præceptis affirmativis: furari autem malum est, & restituere bonum; & hoc patet ex forma Christi: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*.

Ad Secundum dico cum Communiori sententiâ, cui præit S. Thomas, hâc *q.* 62. *a.* 8. *ad.* 1. dicens, quòd *Præceptum de restitutione faciendâ, quamvis secundùm formam sit affirmativum; implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur, rem alterius detinere*. Et ratio primi ex dictis est. Quia præcepta affirmativa, eaque sola jubent actum virtutis, sicut negativa prohibent actum vitii: sed præceptum de

de restitutione jubet actum virtutis, nempe justitię; ergo &c. Deinde: contra præcepta affirmativa peccatur omissione, sicut contra negativa transgressione, seu commissione: sed contra præceptum restitutionis peccatur omissione, non autem (saltem directè) commissione; ergo &c. — Ratiò verò secundi est. Ideo enim oportet restituere, quia non licèt res alienas detinere, invito domino.

XV. Neque dicas. Hâc ratione sequi, omnia præcepta affirmativa fundari in negativis, vel includere negativa: nempe, ideo Deum esse diligendum, quia non licet eum odio habere: ideo patrem honorandum, quia non licet eum inhonorare.

Respondeo enim, hoc non sequi. Cætera enim præcepta affirmativa non includunt negativa, quæ sint ratio, cur faciendum sit opus, quòd jubetur in affirmativis: sed tantùm includunt negationem affirmationi, quæ in illis exprimitur, oppositam. Neque enim ideo Deus est diligendus, quia non licet eum odio habere; sed quia est summè bonus, imò bonitas ipsa. Nec pater ideo est honorandus, quia non licet eum inhonorare: sed quia ipse est principium, à quo accepimus esse; quia multam erga nos solicitudinem habuit, quia nos educavit. At præceptum de restitutione sic est affirmativum, ut includat negativum tale, quod sit vera ratio, propter quam facienda est restitutio; quia nimirum non licet res alienas, invito domino, retinere: & ideo peculiari modo de illo dicitur, quòd sit affirmativum includens negativum.

Quod obijci posset: restitutionem fore faciendam statim, ratione præcepti negativi, quod includit; resolvetur sequenti Dubio.

XVI. Tertiò obijcitur. Qui retinet rem alienam, domino irrationabiliter invito, non peccat: sed dominus est irrationabiliter invitus, si nolit, rem suam detineri ab altero, qui illam accepit; ergo &c. Min. prob. Unusquisque tenetur magis diligere bonum spirituale proximi, quàm bona temporalia propria; ergo eodem caritatis ordine tenetur dominus consentire, ut fur rem sibi ablatam retineat, ne retinendo, ipso invito, mortaliter peccet.

XVII. Respondeo, neg. min. Ad prob. dist. ant. Quando bona temporalia propria sunt bono spirituali proximi necessaria, co. ant. Secus, nego ant. & conf. Quamvis ergo quisque teneatur, salutem animæ proximi, ordine caritatis, propriis bonis corporis, & interdum etiam vitæ corporali, anteferre (ut Tom. præced. cum. S. Tho. 2. 2. q. 26. a 5. dictum est) hoc tamen solùm intelligendum est, quando bonorum temporalium jactura est ad salutem spiritualem proximi simpliciter necessaria; vel quis ex officio gerit curam animę illius: in aliis enim casibus ad perfectionem caritatis solùm pertinet. Cùm ergo ille, qui alienam rem injustè usurpat, & detinet; non id propterea faciat, quòd extremam necessitatem ejus patiatur, sed ex sua libidine, & corruptâ voluntate: non tenetur dominus in illam injustam possessionem consentire. Eâdem ratione, si quis invasus fuerit ab aliquo, animo eum occidendi; non tenetur invasus, nec debet permittere potiùs occisionem sui, quam invasorem, si possit, interficere; ut suâ temporali morte, in proximo vitet æternam: & quamvis sit moraliter certus, quòd si, ut suam tueatur vitam, invasorem tunc occidat, invasor cum corporali vitam amittet ęternam. Et hoc ideo, quia propria vita ab eo injustè petitur. Sic in casu,

DU-

DUBIUM III.

An Restitutio Statim Facienda sit?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. QUia, ut nuper dicebamus, præceptum restituendi rem alienam, estò secundùm formam affirmativum sit; ratio tamen obligandi, & fundans debitum restituendi, est negativa, nempe, præceptum non detinendi rem alienam, invito domino: ad differentiam præcepti amandi Deum, & honorandi parentes, quę non solum secundùm formam affirmativa sunt; sed etiam ratio obligans, & fundans debitum affirmativa est, nempe, summa bonitas Dei, & beneficia, quę à parentibus accepimus: propterea cùm præcepta, quorum ratio obligandi in negativo consistit, obligent semper, & ad semper: ideo meritò dubitatur: an præceptum non detinendi rem alienam, fundans debitum restitutionis, sic urgeat; ut moram in sui implemento non patiatur, sed statim impleri debeat.

II. Pro cujus majori explicatione noto: quòd in restitutione circumstantia temporis, nempe, quòd statim fiat, oritur ex ipsa ratione obligatoriâ præcepti; quę cùm negativè explicetur, nempe, non licere rem alienam, invito domino, retinere, videtur sequi, quòd pro quocumque tempore obbliget: & sicut pro quocumque tempore quis rem alienam furatur, peccat contra præceptum, rem alienam non usurpandi: ita pro quocumque tempore, quis non restituens, rem alienam detinet, peccat contra præceptum, rem alienam non detinendi. Alię verò circumstantiæ, quæ proprię circumstantię sunt, non nascuntur ex ipsa ratione speciali virtutis; sed illis accidunt ex ratione communi: quia scilicet omnis actus virtutis exerceri debet ubi, quando, & propter quid oportet. Et ideo de restitutione, hoc *art.* 8. loquens S. Thomas, absolutè dicit, debere statim fieri.

Quia verò, ut observat Cajetanus in hunc art. in præcepto restitutionis clauduntur duo: primum est, quòd animo non detineatur alienum, invito domino: secundum, quòd secundùm actum exteriorem non detineatur alienum, invito domino: primum exigitur ad hoc, ut quis cesset à volontate peccandi, mutando eam, & deliberando restituere: secundum autem exigitur ad hoc, ut domino satisfiat: non enim satisfactum est ei ex deliberatione restituendi, sed ex hoc, quòd redditur ei, quod suum est. Propterea

III. Dico. Restitutio, quoad id, quod implicat de negativo, debet statim fieri, saltem quoad animum, & actum internum: ita ut statim, ac quis cognoscit, se habere injustè alienum, debeat deponere animum illud retinendi, & deliberare, illud suo domino restituere. Quantùm verò ad positivum, nempe, actum exteriorem, quo de facto restituat, debet statim, ac potest, modo inferiùs explicando.

Prior Afferti pars ex D.Tho. *a.* 8. citato est. Nam qui cognoscit se habere rem alienam, domino invito, & non deponit animum eam detinendi, vult perseverare in peccato injustitiæ; ergo in continuo peccato est, quia vult in peccato manere. Ant prob. Non minùs facit injustitiam, & injuriam proximo, qui habet voluntatem detinendi rem injustè ablatam, & impediendi dominum ab uso rei suæ; quàm qui habet voluntatem rem alienam, invito domino, accipiendi: sed is perseverans in hac voluntate, perseverat in peccato, quousque illam non deponat: ergo perseverans in voluntate detinendi rem alienam, perseverat in peccato, donec eam non deponat. Et hoc est, quod Innoc. III. C. *Sæpe de: Restitut. Spoliatorum* dicit: *Non multum interesse quoad periculum animæ, injustè invadere, ac detinere alienum*. Et S. Tho. infra q.66.a. 3. ad 2. *Detinere* (inquit) *id, quod alteri debe-*

debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injustâ. Et ideo sub injusta acceptione intelligitur etiam injusta detentio.

Addo: quòd ex dictis præceptum restitutionis, estò secundùm formam verborum sit affirmativum, importat tamen negativum; idque tale, quod sit ratio, propter quam res aliena sit restituenda, nempe, non detinere rem alienam: cùm autem præceptum negativum obliget semper, & ad semper; nullo tempore licebit, animo saltem, rem alienam detinere.

IV. Secunda autem pars probatur. Nam contingere potest, quòd etiam stante animo parato restituendi, & non detinendi rem alienam, adhuc non possit de facto reddere: vel alia circumstantia occurrat, ipsum ab actuali restitutione excusans. Quare addit S. Tho. hâc. *q. 52. a 8. ad 2.* quòd *Quando aliquis non potest statim restituere, ipsa impotentia absolvit eum ab instanti restitutione faciendâ: sicut etiam totaliter à restitutione absolvitur, si omnino sit impotens. Debet tamen remissionem, vel dilationem petere ab eo, cui debet, aut per se, aut per alium.*

§. II.

Respondetur Objectis.

V. Objicies primò. Nemo cum peccat, tenetur statim exire à peccato, & pœnitere; ergo qui habet rem alienam, non tenetur statim restituere. Conf. prob. Quia ratio S. Thomæ, cur statim debeat restituere, est, quia tenetur statim exire à peccato: ait enim, hoc *a 8. Manifestum est autem, quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere.*

Confirmatur. Pœnitentia est quædam species justitiæ, quâ Deo satisfacere nitimur pro offensis; ergo si, Deo non tenemur statim satisfacere, multò minus ipsis hominibus.

VI. Respondetur, neg. conf. Quod autem assumitur in probatione, procedit ex non rectâ intelligentiâ sensus à S. Tho. intenti. Cùm enim ait S. D. *Non licet, neque ad modicum tempus, in peccato morari;* non intendit, quòd qui cessavit ab actu peccandi, nec vult ampliùs peccare, adhuc peccet, si statim à peccato per pœnitentiam non resurgat: sed solùm intendit, non licere in peccato morari, idest, continvare, in peccato, quod jam cæptum est, seu continvare in voluntate peccandi. Ille autem, qui nollet statim restituere, cùm posset, vellet continvare in injustâ detentione rei alienæ, invito domino, & sic continvare in peccato.

VII. Aliter respondeo, neg. conf. Nam præceptum pœnitentiæ est purè affirmativum: & ideo semper quidem obligat, sed non ad semper, nec statim, sed pro determinato tempore. At præceptum non detinendi alienum, invito domino, quod in præcepto restitutionis includitur, & ut dictum est, se habet, ut ratio obbligans ad restituendum, est negativum; ideoque ad statim reddendum obligat. Ita S. Tho. *Qu. 6. Suplem. a. 5. ad. 3.* (dicens) *Retentio rei alienæ, invito domino, contrariatur præcepto negativo, quod obligat semper, & ad semper: ideo tenetur semper ad statim reddendum. Secus autem de impletione præcepti affirmativi, quod obligat semper, sed non ad semper: unde non tenetur aliquis ad statim implendum.* Ex quo infert, nos non teneri ad statim confitendum.

VIII. Ad Confirmationem, neg. cons. Non enim sequitur: homo tenetur homini statim restituere; ergo & Deo. Nam restitutio facienda homini, ordinatur in bonum ejus, cui debetur: & ideo si non statim redditur, fit ei injuria, per hoc, quòd invitus privatur usu rei suæ. At restitutio, quæ per pœnitentiam facienda est Deo, non ordinatur ad bonum, & utilitatem Dei, sed in commodum peccatoris. Unde Job. 22. v. 3. *Quid prodest Deo, si justus fueris?* Et c. 35. v. 6. *Si peccaveris, quid ei nocebis? Et si multiplicata fuerint ini-*

qui-

quitates tua, quid facies contra eum? Porro si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini, qui similis tui est, nocebit iniquitas tua: & filium hominis adjuvabit justitia tua. Cùm ergo ex una parte Deus nostris offensis non lædatur; ex alia verò, cum sit summè bonus, nolit pœnitentiam, nisi in bonum peccatoris, nec ipsum ad eam exsolvendam statim adigere; sed eum patienter pro certo tempore expectare, juxta illud, Isaiæ 30. v. 18. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri*; fit, ut etsi peccator non statim conteratur, non tamen de novo peccet. At homo, cui per injustam detentionem rei suæ nocumentum infertur, censetur, velle eam sibi statim reddi; & ad ejus detentionem quovis tempore invitum esse.

IX. Neque dicas. Homo tenetur statim exire à peccato; ergo tenetur statim conteri — Nego enim cons. Nam conteri plus dicit, quàm cessare à peccato, ut ex Trident. *Sess. 6. c.* 14. & *Sess.* 14. *c.* 4. Cessare enim à peccato solùm, dicit deponere affectum peccati, & ad hoc statim tenetur peccator; alioquin continuò peccaret eo genere peccati, ad quod esset affectus: conteri verò est conari ad amicitiam de novo cum Deo ineundam, per peccati detestationem. Sicut autem homo tenetur quidem statim deponere odium fratris, non tamen statim novam cum illo amicitiam specialem inire: sic nec homo tenetur statim ad amicitiam cum Deo redire; sed potest, citra novum peccatum, & citra continuationem prioris, ad tempus manere in privatione amicitiæ Dei: quæ, per modum habitus, in peccatore manet, postquam actus peccati transiit. Sed de hoc in *Tract. de Pœnitentia* sermo redibit.

X. Objicies secundò. Si mora in restituendo, vel detinendo rem alienam, invito domino, esset peccatum; sequeretur, quòd qui statim non restituit, quolibet instanti committeret novum peccatum: nam si tenetur restituere modò, & modò non restituit, modò peccat; pariter si post hoc instans non restituit, iterum peccabit; & sic per singula instantia, sive tempora noviter peccabit: hoc autem videtur nimis durum; ergo &c.

Confirmatur. Nimis durum videtur, quòd qui mediâ nocte recordatur, se habere rem alienam, statim debeat surgere, & restituere; ergo sicut in aliis præceptis expectanda est temporis opportunitas, ita & in hoc.

XI. Respondeo, neg. sequelam absolutè. Nam qui, invito domino, rem alienam detinet, si uno eodemque proposito expresso, vel interpretativo eam multo tempore detinet, unum peccatum semper committit: mortale quidem (nisi veniale fieret, vel ex parvitate materiæ, aut incommodi, quod ex dilatione patitur dominus) nam effectus, etsi physicè multiplex, quando tamen unâ volitione consequitur, notabiliter aggravat peccatum, sed moraliter censetur unus: ut si unicâ actione quis occidat multos homines, erit unus moraliter actus, æquivalens tamen in gravitate multis. Ideoque in confessione exprimendum erit, quanto tempore detinuerit rem alienam, invito domino, & quantum damni fuerit inde secutum.

Si verò quis multiplicaverit actus, seu proposita detinendi rem alienam; sive interiores, proponendo eam retinere; sive exteriores, ut re alienâ utendo, vel domino petenti eam negando, vel eidem re suâ egenti non reddendo; si hoc non ignorat, toties novum peccatum committit: quia vel expressè renovat, vel interpretativè censetur renovare voluntatem detinendi alienum, invito domino.

XII. Ad Confirm. observo, cum dicitur *Statim* restituendum esse, ly *Statim*, vel posse referri ad actum internum, vel ad externum. Si ad internum, sensus est, eum, cui venit in mentem, se habere rem alienam; confestim debere apud se proponere, quòd primâ opportunitate restituet.

Si

Si ad externum, illud *Statim* non consistit in indivisibili; neque est accipiendum mathematicè, sed moraliter, & civiliter. Moraliter autem id censetur fieri statim, quod primâ opportunitate fit, seu quod non differtur; sed primâ horâ negotio opportunâ mandatur executioni. Restitutio ergo facienda est *Statim*, quantùm ad præparationem animi; quia statim debet haberi animus eam quàm primùm faciendi: quantùm ad executionem verò, *Statim*, ac primò opportunum tempus advenerit. Quia enim restitutio exterior est actus quidam positivus, requirens motum temporis ad sui executionem; idcirco in eo, quod dicitur, statim esse restituendum, aliqua temporis opportunitas intelligenda est. Non oportet ergo è strato mediâ nocte surgere, vel è Missâ egredi ad restituendum alienum: sed statim cum detentio rei alienæ in mentem venerit, facto eam restituendi proposito, primam opportunitatem exequendi restitutionem expectare: in qua, si non restituat, qui alienum habet, jam incipiet esse in mora, & peccare per detentionem rei alienæ.

XIII. Neque ex hoc inferas, præceptum restitutionis non obligare ad semper, ut supra dicebamus; sed solùm pro temporis opportunitate, quo modo obligant præcepta purè affirmativa.

Nam ratio est longè dispar. Siquidem in hoc præcepto mora temporis determinata est ad primam opportunitatem, seu ad statim, ac opportunè poterit: ita ut si in prima opportunitate restitutio non fiat, omissio evadat culpabilis, & omittens detineat rem alienam, ac peccet contra justitiam. At in aliis præceptis purè affirmativis mora temporis non est determinata ad statim, seu ad primam opportunitatem; sed relinquitur determinanda per regulas prudentiæ: unde prætermissio opportunitatis primæ non repugnat virtuti. Neque enim si quis non statim, atque possibile est, honoret parentes, non statim Deum oret, non statim prorumpat in actus fidei, spei, & caritatis, propterea facit contra illas virtutes: sicut facit contra justitiam, qui non restituit statim, seu primâ opporunitate, quâ potest. Ita ex Sylvio in hunc *art.* 8.

XIV. Ex quibus omnibus confici possunt regulæ pro dirigendis pœnitentium conscientiis, & Confessariorum judiciis. Primò enim cautus debet esse Confessarius, ne absolvat pœnitentem, qui sinè justâ causâ vult differre restitutionem, ad quam fatetur se obligatum. Et ratio est. Quia non est absolvendus ille, qui non verè proponit peccatum relinquere; & ut ait S. Tho. supra, *vult in peccato morari*: sed qui sinè justâ causâ, per aliquod tempus notabile, vult retinere rem alienam, invito domino, non verè vult peccatum relinquere: imò vult continvare in peccato, & in causando damno alteri, dum illum non sinit bonis suis frui, & contra suam voluntatem retinet, quæ sua sunt. Quapropter Rituale Romanum de Sacr. Pœnit. sic habet: *Ne absolvat* (Confessarius) *eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt .... Qui aliena, si possunt, restituere nolunt*. Si namque incapax absolutionis est concubinarius, qui concubinatum dimittere non vult; pari ratione incapax erit injustus possessor, qui rem injustè possessam domino reddere paratum non se exhibet.

XV. Secundò. Cautus esse debet Confessarius circa pœnitentem, qui licèt promittat, se restituturum; cùm tamen in præcedentibus confessionibus idem promiserit, etsi posset, non implevit: hunc enim non esse absolvendum, nisi priùs restituat, censent Bannez, Gonnet, Sylvius, aliique. Et meritò. Quia de isto idem judicium faciendum est, ac de eo, qui est involutus aliquâ occasione peccandi proximâ, vel habet domi mulierem non suam, cum qua peccavit. Sicut enim iste,

iste, etsi dicat, se habere propositum eam dimittendi: si tamen in præcedentibus confessionibus idem promiserit, nec impleverit; prudens Confessarius judicare non potest, sincerum esse tale propositum, & consequenter nec eum absolvere: ita in casu. Quia tentatio retinendi malè parta, vix minor est illâ, quæ ad malam consuetudinem retinendam trahit.

XVI. Tertiò. Etiam existens in mortis articulo priùs est obligandus, ut de facto restituat, quàm absolvendus; si tamen res benè ferat tantam moram: neque enim satis videtur restitutionem injungere hæredibus faciendam, quando per ipsum ægrotum, qui tenetur, fieri potest. Et hoc etiam, quia hæredes negligenter agere in hoc negotio experientia docet: & quia non videtur esse verè pœnitens, si habens tempus, & facultatem restituendi, statim non restituat, sed aliis faciendum committat post mortem. Hoc tamen ordinariè, & regulariter dictum sit. Prudentiæ enim Confessarii relinquitur, attentis rerum, & personarum circumstantiis, judicare quando aliter faciendum sit.

XVII. Idem judicium facere debet Confessarius de eo, qui cùm possit statim restituere totum, non potest tamen ad hoc induci; sed promittit aliquid nunc restituere, & deinde partem aliquam singulis mensibus, aut septimanis, donec totum restituerit: iste enim cùm maneat in pravo animo detinendi rem alienam, invito domino, & consequenter in affectu ad peccatum mortale, absolutionis capax non est.

XVIII. Hæc tamen omnia dicta sint, quando urget præceptum restitutionis statim faciendæ: & maximè si retineatur res aliena, contra expressam domini voluntatem, vel cum damno illius, & in quantitate constituente peccatum mortale furti. Neque enim nobis absolutè præcipitur, ne detineamus rem alienam; sed ne eam detineamus, invito domino. Fieri autem potest, ut dominus, vel non sit invitus, sed præsumatur tali detentioni non adversarii; vel non habeat causam justè conquerendi, si res sua aliquo tempore detineatur: vel ad sint aliæ causæ, puta, impotentia &c. ex quibus Confessarius prudenter judicet, præceptum restitutionis non obligare: quia vel alienæ rei detentio non est domino rationabiliter invito, vel detinenti non est voluntaria. Quænam autem sint ejusmodi causæ, ut exponamus sit

DUBIUM IV.

Quænam sint Causæ Excusantes à Restitutione Statim Facienda.

§. I.

De Impotentia.

I. Prima causa excusans à restitutione statim faciendâ, est impotentia. Ita S. Thom. hîc q. 62. a. 8. ad 2. dicens: *Quando aliquis non potest statim restituere, ipsa impotentia absolvit eum ab instanti restitutione faciendâ: sicut etiam totaliter à restitutione absolvitur, si omnino sit impotens*. Idest: sicut etiam si sit semper impotens restituere, sive totum, sive partem, semper excusatur à restitutione, sive totius, sive partis. Unde S. Augustinus, *Epist.* 54. modò 153. ad Macedonium: *Plerumque enim* (inquit) *qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse malè vivendo, nec aliud habet unde restituat. Huic certè non possumus dicere: redde quod abstulisti, nisi cùm eum habere credimus, & negare.*

Et naturalis ratio id suadet: quia nemo tenetur ad impossibile. Quare cùm quidam, Odoardus nomine, propter debita excommunicatus fuisset, nec, propter rerum inopiam, ea solvere valeret; Gregorius IX. *Cap. Odoardus, tit. de Solutionibus*, jubet Officiali Remensi, Ut *Si constiterit*, quòd gra-

praedictus Odoardus in totum, vel pro parte non possit solvere debita supradicta, sententiam ipsam sinè difficultate quâlibet relaxetis: receptâ priùs ab eo idoneâ cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita praedicta persolvat. Quibus apparet, quòd licèt impotentia liberet à debito statim solvendi; non tamen à debito, & ab animo solvendi, sive reddendi, cùm poterit.

Censetur autem impotentia, non solùm quando debitor nihil omnino habet, unde solvat, quæ vocari potest impotentia physica: sed etiam quando, etsi habeat aliquid, non potest tamen restituere, absque gravi nocumento sui, vel suorum, quæ est impotentia moralis.

Porro cùm S. Thom. citatâ respons. *ad* 2. addit, quòd impotens ad restitutionem *Debet tamen remissionem, vel dilationem petere ab eo, cui debet, aut per se, aut per alium*, debet intelligi, quando impotentia statim restituendi non est evidens, seu physica. Nam quando est manifesta, seu physica impossibilitas, cùm per se sit causa sufficiens excusandi, non est necesse petere dilationem, vel remissionem; imò nec etiamsi non sit omninò evidens, si non facilè possit peti remissio, aut dilatio.

II. Ex his aliquos casus resolvit S. Antoninus, *P.* 2. *sua Summa*, *tit.* 2. *c.* 8. „ Cujus verba placet transcribere. Quidam, circa istam materiam dicunt, & meo judicio „ satis rationabiliter, quòd in certis „ casibus non tenetur quis, ad statim „ restituendum actualiter; etiamsi habeat modum aliquem ad restituendum, & ab eo, cui tenetur, invenire „ non possit, nec remissionem, nec dilationem, sed subitam velit sibi fieri restitutionem. Quando, videlicet, „ ea restituendo statim, inde sequeretur evidens, vel probabile damnum spirituale, vel temporale notabile ipsius restituentis, vel aliorum, quod præponderaret damno „ ejus, qui debet habere, ex carentia „ ipsius rei.

„ Potest autem tale damnum esse „ triplex: scilicet periculum mortis; „ infamia gravis, seu scandalum notabile; & periculum probabile mortalis culpæ. Ratio hujus, quòd „ scilicet talis restitutio potest differri, est: quia secundùm Scotum creditor, idest, qui debet habere, magis debet velle in hujusmodi casibus, ut maximum incommodum, „ seu damnum ejus, qui debet restituere, evitetur in modica restitutionis dilatione; quàm suum incommodum modicum, vel damnum „ ex carentia ad tempus suæ rei.

III. „ Et si objiciatur, quòd restituere est actus negativi præcepti; „ quia reducitur, seu explicatur per „ hoc, quod est non retinere alienum: „ sed præceptum negativum obligat „ semper — Respondetur, secundùm „ Scotum, quòd alienum injustè, & „ invito domino, simpliciter prohibetur: & propterea semper, & pro „ semper necesse est saluti, alienum „ non retinere. Sed quando quis habet propositum, & voluntatem restituendi alienum pro tempore opportuno; ex tunc retinet, domino „ rei volente, idest, velle debente: „ vult autem hoc dominus rei, etsi „ non actu elicito, tamen actu debito, & honesto: quia debet velle, quod „ qui suum habet, retineat quousque „ poterit opportunè restituere.

IV. „ Et si dicat. Dominus rei hoc „ agit invitè; & quia non vult, quòd „ per quantumcumque tempus suum „ retineatur — Dicendum, secundùm „ Scotum, quòd domino inordinatè „ volente statim rehabere suum, & „ per consequens contra rectam rationem nolente, proximum retinere „ suum; tunc tenens non est detentor injustus. Nam & depositum debet redditione strictissimâ, cum repetitur, reddi, ut Cod. Depositi, leg. „ Finali: & tamen invito domino voluntate inordinatâ, cùm repetit, „ ut

„ ut cum eo malum faciat sibi, vel „ alteri, potest retineri: & Augu- „ stinus dicit, quòd multa bona sunt „ præstanda invitis; dum eorum po- „ tiùs utilitati, quàm voluntati con- „ sulitur. Hucusque S. Antoninus.

V. Qui subinde infert primò. Quòd cùm ex subita restitutione imminet periculum damni, incomparabiliter prævalentis damno, quod habet creditor ex carentia rei suæ; puta, si prævideatur, quòd creditor habendo rem suam, vel pecuniam, quam quis retinet, magis posset prævalere contra bonum commune: tunc enim non tenetur restituere, sed potiùs reservare; ut, quando fieri poterit absque præjudicio boni communis, restituat ipsi, vel hæredibus suis; vel deponendo tare, disponendo, ut tempore suo restituatur. Idem videtur dicendum, si prævideretur creditor malè usurus re suâ, puta, gladio ad occidendum se, vel alium.

VI. Infert secundò. Quòd si ex subita restitutione, ille, qui restitueret rem ablatam per furtum, detegeretur, & famæ jacturam pateretur; cùm fama sit quid nobilibus substantiâ temporali: tunc, cùm quilibet teneatur providere conservationi famæ suæ, potest talis differre restitutionem ad tempus, quo non deprehendatur in crimine, & diffametur, si aliâ viâ provideri non potest — Idem dicendum videtur de muliere, quæ habuit filium per adulterium nesciente viro; vel supposuit sibi alienum partum, qui nutritur de bonis viri; vel etiam scribitur hæres, ut filius proprius: hæc enim licèt teneatur de omnibus, quæ percepit filius ille putativus; non tamen tenetur revelare factum, quando ex hoc sequeretur, seu sequi probabiliter posset mors, vel sua, vel talis prolis, vel etiam notabilis infamia, aut alia gravia mala. Ita secundùm Raymundum.

VII. Infert tertiò. Nec teneri subitò restituere, quando ex hujusmodi subitâ restitutione sequi posset mors spiritualis, seu peccatum mortale ipsi, vel familiæ ejus: puta, si restituendo, quæ habet aliena, ad tantam veniat paupertatem, vel miseriam, ut non possit vivere, vel providere filios de victu, & vestitu: & cùm sint nobilis conditionis, mendicare erubescant, ab amicis ad sufficientiam non inveniant, laborare nesciant, vel non possint, quia parvuli, vel infirmi: ideoque ipse, & familia sua exponantur periculo, vel furandi, vel filias prostituendi, vel desperationis; ubi retinendo aliena, ex industria suâ provideat, ut par est, sibi, & familiæ, & disponatur ad satisfaciendum paulatim.

Idem dicit de artifice, qui non haberet aliud, quàm instrumenta artis suæ, quibus laborando alit se, suamque familiam; & si ea venderet, aut traderet, ut restituat creditoribus, non posset amplius laborare, & lucrari: laborando autem, & lucrando cum prædictis, ultra sustentationem, posset paulatim satisfacere. Hæc præfatus S. Antoninus concludens: *Hæc non esse prædicanda, ne paretur via detentioni alienorum, ad quod nimis personæ sunt inclinatæ; sed cum magna discretione in confessione, & consiliis tractanda, & cum multis circumstantiis considerando, quæ honestent factum.*

VIII. His addit Sylvius, in hunc a. 8. *Quæsito* 1. *Concl.* 3. quòd si quis non potest statim restituere, sinè notabili detrimento suarum rerum, vel sui status justè acquisiti; potest restitutionem, seu solutionem differre, donec sinè tali detrimento hoc possit; modò tamen ipse creditor non patiatur ejusmodi damnum. Quæ clausula ideo additur: quia debitor etiam cum magno sui detrimento statim restituere, vel debita solvere debet, si alioquin creditor pateretur ex dilatione gravem jacturam: nam extra casum extremæ, vel quasi extremæ necessitatis, in pari causa damni, potior debet esse conditio creditoris.

Probatur autem Assertio. Nam qui non potest restituere sinè magno rei suæ

suæ justè acquisitæ, & statùs detrimento, prudenter judicatur impotens moraliter: at qui prudenter judicatur impotens, non tenetur restituere; ergo &c. Maj. prob. In moralibus hoc vocatur impossibile, quod est valdè difficile, quodque decenter, ac honestè fieri nequit: Comitem enim, verbi gratia, deserere Comitatum hæreditarium, aliàs justè acquisitum, & redigi ad vilem statum; nobilem manibus laborare ad quærendum victum; honestum mercatorem mendicare, ut statim restituant, valdè difficile, & indecens est. Accedit: quòd talis restitutio vix fieri posset sinè gravi jactura etiam honoris, & famæ. Hinc *Exodi 22. v. 25.* dicitur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor:* si ergo Deus non vult, debitorem pauperem urgeri ad restituendum; signum est, quòd dilationem concedit, quando sinè gravi jacturâ restituere nequit. Jus etiam civile, *l. 50. Digest, tit. de Regul. Juris, Reg. 173.* præcipit, quòd in condemnatione personarum, *Non totum, quod habent extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant.* Ex quo Bannez, Salon, & alii concludunt, filium adulterinum, qui justè pervenit ad statum honorificum, postquam sciverit, se esse spurium, & ea, quæ possedit, esse aliena; teneri quidem minuere suum statum, ut possit paulatim restituere: non tamen simul, ac semel omnia deserere. Idem dicitur de illo nobili, qui non posset statim restituere, nisi se redigendo ad statum plebejum, & mechanicum. Is enim debet quidem secundùm arbitrium prudentum minuere fastum, superfluas expensas tollere; sed non tenetur in tantam mutationem se conjicere. Nota tamen, non dici magnum damnum à restitutione statim faciendâ excusans, si magnæ res alienæ sint restituendæ; aut si restituendo desinat esse dives; aut si non adeo lucretur, ut antè; quia hoc non est ammittere suum, sed relinquere alienum: quod si non adsit grave detrimentum, statim faciendum est.

IX. An verò, si ex hac dilatione creditor patiatur aliquod damnum, istud debeat compensari à debitore; probabile est quòd sic, etiamsi non sit adeo grave, nisi extrema paupertas eum excusaverit à statim restituendo: non enim videtur æquum, quòd creditor moram restitutionis patiatur suo damno.

X. Addit præterea idem Sylvius, *Conclus. 4.* quòd non excusat à restitutione statim faciendâ detrimentum etiam magnum bonorum, & status, si illa bona, & status sint iniquè parta. Ita ut quamvis ad laborem manuum, vel etiam ad mendicitatem, in qua priùs fuerat, talis alienorum bonorum occupator redigendus sit; nihilominus debeat statim restituere, sive dominus ex dilatione patiatur damnum, sive non. Et ratio est. Quia nihil concipitur, quod ejusmodi occupatorem ab accelerata restitutione excusare possit: nullum enim damnum patitur in suis bonis, cùm ponantur omnia esse aliena: unde per restitutionem non amittet statum suum, sed dimittet alienum, & revertetur ad proprium.

Hæc tamen Assertio limitanda videtur ad casum, quo dictus occupator passim cognoscitur non possidere alia, quàm injustè acquisita; & scitur, statum præsentem per solas usuras, fraudes, & rapinas sibi comparasse. Si verò passim haberetur vir probus, & honestus; nec posset statim restituere, subitoque statum mutare, nisi de suis fraudibus se infamando; propter infamiæ periculum excusaretur à restitutione statim faciendâ, possetque paulatim restituere. Et similiter si priùs non solebat ex mendicato vivere, sed honestam artem exercebat, vel in statu honesto erat; potest ea retinere, quæ omnino videt esse necessaria, ut secundùm illum statum vivat, parcè tamen, juxta Bannez, & Salon. Ratio

tio est. Quia nemo tenetur restituere cum tanto detrimento status justè acquisiti, ut ab eo prorsus decidat; ergo qui statum suum injustè auxit, tenetur quidem restituere cum jactura illius status injustè acquisiti; sed non cum jactura totius status pristini, qui justè fuerat acquisitus.

Alias causas excusantes à restitutione, inferiùs adducemus: interim aliqua solvenda sunt.

§. II.

Objectiones contra Dicta.

XI. ARgues primò. Nemo potest accipere rem alienam, ut devitet detrimentum proprium, in rebus ejusdem ordinis; ergo neque potest eam detinere. Cons. prob. Quia non minus peccatum est detinere aliena, quàm ea accipere.

XII. Respondeo, neg. conf. quæ infertur. Primò. Nam artifex, ob nullam necessitatem, potest furari instrumenta suæ artis, si potest mendicare; & tamen, ob valdè gravem necessitatem, licitè potest ea, etsi aliena, retinere, si possit inde sibi victum quærere. — Secundò. Non licet furari ad servandam famam; licet tamen, secundùm omnes, non restituere, saltem eo tempore, & loco, quo periclitaretur graviter fama. — Tertiò. Juxta Auctores oppositos, si debitor pluribus debeat, quibus omnibus non possit statim solvere, nisi vendendo bona sua vili pretio; poterit licitè retinere bona illa, & negotiari cum illis, ut possit solvere omnibus: & tamen in isto casu non poterit rapere aliena, ut solvat.

Ratio discriminis est. Quòd præceptum restituendi alienum, etsi fundetur in negativo; habet tamen aliquid affirmativum. Pro ea ergo parte, quâ respicit negativum, ad instar aliorum præceptorum negativorum obligat semper, & ad semper. Pro ea verò parte, quâ est affirmativum, obligat secundùm conditionem affirmativorum. Nimirum, negativum inhibet actum vitii, qui nullo unquam tempore est licitus: affirmativum verò jubet actum virtutis: hic autem, ut obliget, vestiri debet debitis circumstantiis loci, temporis, opportunitatis. Porro cum locus, & tempus, & opportunitas restituendi non sit, quando id non potest fieri, sinè jacturâ famæ, honoris, vitæ spiritualis, status, ac bonorum justè acquisitorum: ideo in his circumstantiis præceptum affirmativum statim restituendi non obligat. Neque in his circumstantiis concurrit, aut urget præceptum negativum non detinendi rem alienam, invito domino. Hoc enim tunc solùm urget, quando res aliena detinetur domino rationabiliter invito: cùm autem detinetur, quia eam reddendo quis patitur detrimentum in fama, honore, statu, & bonis, si dominus repugnat, irrationabiliter invitus est. Quod puto hac in re esse valde notandum.

XIII. Argues secundò. Dominus rei habet jus ad petendum rem suam à debitore, non obstante, quòd patiatur detrimentum in bonis suis, puta, quia cogatur vendere triticum viliori pretio; ergo & ipse debitor tenetur statim restituere, aliàs creditor non haberet jus petendi.

XIV. Respondeo, dist. ant. In foro exteriori, con. ant. In foro interiori, neg ant. Creditor enim estò in foro exteriori habeat semper jus petendi rem suam, etiam cum detrimento notabili creditoris; atamen in hoc casu non petit licitè in foro conscientiæ, quando nimirum adest grave damnum debitori, & ipse nullum, aut levissimum ex dilatione patiatur. — Neque sequitur, debitorem teneri ex justitia commutativâ pro tunc restituere; quamvis compulsus à Judice teneatur obedire debito justitiæ legalis. Nam non est consequentia necessaria, quòd si Judex compellat per sententiam justam aliquem restituere, quòd debitor teneretur etiam antea in foro conscien-

tiæ restituere. Quia, ut ait Banez, Judex ex officio tenetur facere æqualitatem inter cives; & respectu ejus solùm per accidens se habet damnum particulare debitoris: & ideo dummodo servet formam legis, non tenetur ad particulare damnum respicere; ad quod tamen in conscientia tenetur creditor, si absque sui damno potest, dilationem concedendo, suum recuperare absque damno notabili debitoris.

XV. Argues tertiò. Si, ut dictum est, differri potest restitutio propter grave damnum restituentis; ergo quis uti poterit dilatione in restituenda magnâ summâ: etenim hujus restitutio semper fit cum gravi damno restituentis.

XVI. Respondeo, neg. conf. Ut enim supra observatum est, quando dicitur differri posse restitutionem, ad vitandum grave damnum, sive in vita, sive in fama, sive in bonis; id intelligendum est solùm de damnis, quæ per dilationem possunt declinari; & quæ diversa sunt ab eo damno, quod reverâ inseparabile est à restitutione, quæ non causat damnum propriè tale: cùm id tantùm restituatur, quod non erat legitimè acquisitum, ac proinde in bonis nostris connumerandum, & computandum non erat. Sic restitutio mille aureorum non censetur, per seipsam, afferre damnum restituenti; quia solùm reddit quod suum non erat: sed damnum, quod præbet locum dilationi restitutionis, debet esse diversum ab eo, quod est connexum cum natura restitutionis summæ, per viam injustam comparatæ: puta, cum restitui modò non potest, nisi vendatur quingentorum aureorum pretio fundus, qui mille aureis communiter æstimatur, & venderetur fortè, si restitutio differretur.

Sed quid in circumstantia, quâ ex dilatione restitutionis, ne grave damnum incurrat debitor, grave damnum orireturcreditori?

XVII. Dico, rationem dictare, quòd damnum, quòd patitur creditor, regulariter præponderat damno debitoris. Quo circa, si damnum, quod patitur creditor, ex dilatione restitutionis, sit fere æquale damno debitoris, si statim non restituat; restitutio statim facienda est, aut saltem debitor debet resarcire damnum, quod patitur creditor ex dilatione: quia creditor in hac circumstantiâ habet jus exigendi, non considerato, seu contemto damno debitoris, & habet justam rationem non patiendi dilationem. Attamen si debitor differat, ne incidat in extremam necessitatem; videtur in hoc casu non teneri resarcire damnum creditori illatum, ob dilationem: quia hæc dilatio non censetur voluntaria, nec culpanda, utpote certo modo inevitabilis.

§. III.

Aliæ Causæ excusantes à Restitutione.

XVIII. Præter impotentiam, vel physicam, vel moralem, de qua hactenus, aliæ causæ sunt à restitutione excusantes.

Prima est spontanea ipsius creditoris remissio: hàc enim obtentâ, debitum restitutionis omnino cessat, sive in totum, sive in parte, secundùm qualitatem remissionis. Et ratio est: quia hàc positâ, non amplius detinetur res aliena, invito domino. Ut autem hæc causa reddat hominem in conscientia liberum, quædam conditiones debent adesse. Nempe, ut remissio sit verè spontanea, non fraude, minis, aut vi extorta. Si enim quis minis remissionem extorqueret, aut fraude, fingendo se pauperiorem, aut graviora damna passum, quàm revera sit, non est liber à restitutione; quia in tali casu condonatio non censetur plenè voluntaria — Item, ut remissio sit facta per eum, qui poterat remittere: cujus defectu remissio facta à pupillo, aut alio per naturam, aut legem inhabili ad donandum, & condonandum, non est valida. — Tertiò. Si debitor

per

per legem positivam sit incapax remissionis. Sic Visitator Ecclesiarum, qui ab eis, quos visitat, præter sumtus necessarios aliquid accipit; tenetur in duplum, etiam ante sententiam Judicis, restituere, nec ulla remissio eum liberat, *Tit. de Censibus, in 6. C. Exigit. Et Cap. Felicis*. Idem de Judice delegato decretum est, *C. Statutum, Tit. de Rescriptis, in 6. Et Clement. Nolentes, Tit. de Hæreticis*. Si Inquisitor prætextu sui officii pecuniam extorserit, jubetur restituere, nullâ super hoc remissione valiturâ: & Canonicus, qui non interest divino Officio, tenetur restituere distributiones; etiamsi illi, quibus accrescunt, eas remitant, ut statuit Trident. *Sess. 24. c. 12. de Reform.*

XIX. Secunda causa hominem à restitutione liberans etiam omnino est compensatio; si ea, quæ hinc inde debentur, sint ejusdem rationis: ut si Petrus debeat Paulo centum aureos ex emtione vini, & Paulus Petro totidem aureos ex emtione panni. Locum autem habet compensatio, dummodo, primò: alter non fuerit conventum. Secundò: dummodo cætera sint paria. Non enim valet, si unum debitum est certum, alterum dubium, unum est præsens, alterum futurum: velut si Petrus modò debeat Paulo centum, Paulus autem debiturus sit totidem Petro infra annum; nisi fortè Petrus hâc dilatione sit contentus. Tertiò: quòd compensatio non fiat ex deposito. Si enim Petrus deposuerit penes me vestem valentem decem aureis, & ipse debeat mihi ex contractu tantumdem; non licet mihi pro illo debito retinere vestem: depositum enim est privilegiatum, idque ad fidem inter homines servandam. Deque Gregorius IX. C. *Bona fides, Tit. de Deposito*.

Dixi: *Si sint ejusdem rationis*. Quæ enim diversæ rationis sunt, nequeunt parte invitâ compensari. Unde si Petrus debeat Joanni quinquaginta aureos, & Joannes debeat Petro equum; non licet Joanni hunc equum retinere in compensationem, vel diminutionem summæ debitæ, quando Petrus est invitus: neque Petrus potest illos aureos retinere invito Joanne: quia fortè pluris interest Petri habere equum, quàm illam peccuniam; & viceversa pluris interest Joanni habere pecuniam, quàm equum. Excipe tamen casum, quo creditor aliâ viâ, absque magno incommodo, non posset sibi debitum recuperare; si tamen pro damno, quod interea alteri accidit, satisfaciat.

Ex his perspicies; non esse compensationem, si tuo creditori procurasti Beneficium, aliudve Officium, quod absque Simonia, vel peccato neque vendi, neque emi potest: ideoque non liberaris à debito, quo aliunde erga ipsum teneris: quod enim ex justitia debetur, per beneficia gratuita compensari non potest. Si tamen debitor donet, aut suo sumtu procuret creditori Officium seculare, quod pretio æstimari solet; poterit hoc computari in solutionem, vel diminutionem debiti.

XX. Tertia causa omnino excusans à restitutione est, si id, quod debes Petro, solvas ejus certo creditori. Si tamen hæc solutio fiat, inscio, vel etiam invito Petro, excusabit quidem in conscientia, modò non sis creditori causa damni, ut ajunt Sylvester, verbo *Solutio q. 4.* & Jo. Medina *q. 3. de Restitutione*, non tamen in foro contentioso: in hoc enim non excusat, quando causæ sunt omnino separatæ. Nota tamen, quòd solvens filio familias, sinè consensu patris; aut Minori, sinè consensu Tutoris, vel Curatoris, non est liber à restitutione: nisi id, quod solutum est, fuerit conversum in utilitatem patris, vel minoris. Ita Sylvester ibi.

XXI. Quarta causa penitus à restitutione excusans est interitus rei, quæ erat restituenda in specie, & numero; dummodo tamen non intercesserit delictum, seu mora debitoris,

aut

aut ullum pactum. Hinc si debebas alteri unum certum, ac determinatum equum, idque sinè culpâ; & ille equus similiter sinè omni tuâ culpâ pereat, tu es liber à restitutione, vel solutione. Si autem debebas ex furto, vel non reddideris, quando tenebaris reddere, non liberaris: sicut nec si debebas aliquem equum indeterminatè, & pereat ille, quem destinaveras solutioni. Quia si furto accepisti, teneris non tantùm ratione rei acceptæ, sed etiam injustæ acceptionis; & ideo, etiamsi res apud te non remaneat, ut docet S. Thom. hâc *q. 62. a. 6.* si culpâ, vel morâ tuâ periit, teneris ad damna: si verò debebas rem indeterminatè hanc, vel illam, res periit tibi.

XXII. Quinta causa excusans est cessio bonorum creditoribus. Hæc tamen, ut in conscientia excuset, debet esse sincera; ut nihil abscondat, nisi ea, quæ ad tenuem sui, & suæ familiæ sustentationem sunt omino, & simpliciter necessaria, nec à Judice aliud petat in alimenta: quod si petierit, & obtinuerit, tenebitur, ea, quæ secretò absconderat, revelare, eaque tradere creditoribus. Sciendum tamen, quòd si tales debitores posteà venerint ad pinguiorem fortunam, etiamsi bonis cesserint tanquam decocti, manent tamen obligati ad integram restitutionem: quia talis cessio, etiam ignominiosè facta, non liberat à naturali obligatione restituendi; sed solùm conceditur ratione necessitatis, in quam devenit debitor: quâ cessante, oportet perinde restituere, ac si nunquam cessio facta fuisset. Ita ex Soto, *L. 4. de Justitia, q. 7. a. 4.*

Ex his colligitur, quòd Mercatores decoctione fidem frangentes, ac foro cedentes, ac deinde cum creditoribus pacifentes, ut certâ debiti parte solutâ, reliquum remittatur; non sunt in conscientia liberati, si vel ad pinguiorem fortunam devenerint, vel si plura jam possint solvere, quàm paciscantur; quia talis pactio, & remissio partim est subdola, partim extorta. Loquuti autem hoc sumus de cessione illorum, qui debent ex contractu, & quoad bona justè acquisita: qui enim debent ex delicto, non merentur gaudere beneficio cessionis; neque per illam tuti sunt in conscientia, nec possunt retinere sibi necessaria: sed debent omnia reddere, quando notorium est, omnia eorum bona esse injustè acquisita, secus quando delictum est occultum, juxta dicta supra, §. 1. *num. 6.*

XXIII. Sexta causa excusans est ingressus in Religionem. Si enim quis ære alieno gravatus, cui solvendo impar est, etiam per annos valde multos, aut per labores ei injunctos, & statum suum dedecentes, cedat omnia bona sua creditoribus & Religionem ingrediatur, in eaque profiteatur, evadit liber ab ulteriori restitutione. Ita explicandus est S. Tho. hac 2. 2. *q. 189. a. 6. ad* 3. ubi ait: *Si tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat unde reddat, tenetur facere quod potest; ut scilicet cedat bona sua creditori. Propter pecuniam autem persona liberi hominis, secundùm jura civilia* (Leg. Ob æs, Cod. de Actionibus, & passionibus) *non obligatur, sed solùm res: quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ. Unde licitè potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare: nec tenetur in seculo remanere, ut procuret, unde debitum reddat.*

Ut tamen obviàm iret inconvenientibus, qui ex fraude, vel malitia hominum oriri poterant, & forte oriebantur, Sixtus V. anno 1587. in Bulla *Cùm de omnibus*, severè prohibuit; ne quis ingenti ære alieno supra vires gravatus, in aliquam Religionem recipiatur; irritans, & annullans tàm susceptionem, quàm professionem ejusmodi debitoris: omnibus honoribus, ac dignitatibus privans, ad easque perpetuò inhabiles declarans tàm Superiores, quàm Religiosos, qui tales personas receperint. Et quamvis Clemens VIII. Anno 1602. Bullam, cujus initium *In suprema*, tàm præfatam Sixti V. Bullam, quàm aliam

ann.

ann. 1588. quæ incipit *Ad Romanum spectat Pontificem*, prioris declaratoriam, moderatus sit, quoad eam partem, quâ professio declarabatur nulla; pœnas tamen contra Superiores quorumcumque Ordinum decretas, salvas esse voluit. Præfatæ tamen Bullæ, maxime posterior Sixti V. ad viros tantùm, non ad mulieres extenduntur.

XXIV. Aliæ causæ à restitutione excusantes afferri solent. Ut quando ignoratur dominus bonorum, quæ restituenda sunt. Quando de bonis incertis facta fuit rationabilis compositio. A restitutione item statim faciendâ excusari videtur debitor, qui debita sua justè contracta non potest omnibus creditoribus statim solvere; & verosimiliter poterit post breve tempus omnibus satisfacere. Nam ratio naturalis non dictat, ut sic uni creditori statim solvat, quo fiat impotens ad solvendum reliquis; si probabilis spes sit, quòd dilatione poterit omnibus solvere: hoc enim cederet in detrimentum aliorum. Idem videtur dicendum, si debita fuerint injustè contracta. Excusatur etiam à restitutione statim faciendâ, qui prævidet, ex ea secuturum grave nocumentum, vel sibi, aut familiæ, vel domino, aut alteri. Sed hoc diximus supra, §. 2.

DUBIUM V.

Quo Ordine facienda sit Restitutio.

§. I.

Quis, secundùm Jus Naturale, Ordo Servandus sit.

I. DE hoc agunt S. Antoninus 2. *p. Summ. tit.* 2. *c.* 7. & Cajetanus in Summa, verbo, *Restitutio c.* 8. ex quibus sequentes regulæ colligi possunt.

Prima. Si præstò sunt opes, quibus omnibus creditoribus possit satisfieri; nullus ordo in restitutione tenendus est, sed omnibus absque mora notabili restituendum est: quia præceptum restituendi obligat ad statim, & absque mora notabili, vel nocivâ, cum fieri potest.

II. Secunda. Ubi opes non sufficiunt ad solvendum singulis, priùs debent certa debita restitui, quam incerta. Certa verò debita sunt, quæ certò sciuntur deberi; incerta verò, de quibus dubitatur, vel solùm verisimile est, quòd sint debita. Similiter debita certa dicuntur, quorum certi creditores noscuntur; incerta autem, quorum certi ignorantur creditores: cùm nimirum quis certus est se debere, incertus autem, cui, vel quibus debet. Quòd debita certa, ex parte rei debitæ priùs solvenda sint, quàm incerta, ratio naturalis dictat. Nam cùm restitutio ordinetur ad reparandum damnum, inæqualitatis; priùs est reparandum damnum, & inæqualitas certa, quàm incerta. Eâdem ratione certo creditori priùs solvendum est, quàm incerto: quia certus creditor potioris conditionis est, quàm incertus, eique jure naturæ debet fieri restitutio, etiam secluso omni jure positivo; incerto autem creditori, non potest. Estò enim bona, quæ sunt aliena, etiamsi nesciatur cuius sint, jure naturæ detinenda non sint; cui tamen potiùs, quàm alteri sint danda, determinatum est à jure positivo, ut dicemus.

Adverte tamen, quòd cùm dicimus, debita certa priùs esse solvenda creditori certo, quàm incerta, quorum creditor nescitur; intelligendum est, nisi illa incerta adhuc extarent in sua specie. Nam si alienus calix, vel inventus, vel furto sublatus, adhuc extet, nec sciri possit cujus sit; is debet Ecclesiæ, seu pauperibus distribui, non autem creditoribus, quibus debitor ex aliis causis est obnoxius. Quia debitor tenetur suis creditoribus satisfacere ex propriis, non ex alienis: talis autem res non est debitoris, sed alterius. Nisi fortè calix ille esset inventus, & factâ debitâ diligentiâ, dominus reperiri non posset: tunc enim, ut superiùs diximus de acqui-

sitione dominii per inventionem, calix ille probabiliter fieret inventoris, qui de eo, tanquam re suâ, posset prohibito disponere.

III. Tertia regula est. Inter debita certa priùs restituendum est, quod, cùm sit alienum, adhuc in sua specie extat, puta depositum, commodatum, furto, vel rapina ablatum; quia debitor harum rerum nunquam acquisivit dominium: ideoque nunquam mutaverunt dominum, eique proinde restitui debent.

Ad hanc regulam reduci potest, quando res empta adhuc est penes emtorem, qui pro ea pretium non solvit: is enim vel debet solvere statutum pretium, vel rem ipsam restituere venditori priùs, quàm alteri. Et ratio est. Quia licèt emtor acquisierit illius rei dominium; dum tamen pro ea pretium non solvit, manet illa res obligata priori domino: ita ut si emtor non sit potens solvere, quasi rescinditur contractus, & res illa revertitur ad antiquum dominum. Si verò res emta non sit ampliùs apud emtorem, sed vel alia, cum qua eam permutavit, vel pecunia, quam ex illius venditione accepit; venditor non habet simile privilegium prælationis, quia ejusmodi res subrogatæ non sunt secundùm se ei obligatæ. — Si tamen quis ex pecunia, quam mutuò acceperat, emerit vinum, vel aliquid aliud; tunc res illa restituenda est ei, cujus erat pecunia, quia est quasi dictæ pecuniæ fructus.

IV. Quarta regula est. Priùs restituenda sunt, quæ injustè sunt acquisita, ut per rapinam, furtum, vel usuram; quàm ea, quæ ex justo contractu debentur: & inter injustè acquisita, priùs quæ furto, & rapinâ, quàm quæ per usuras sunt acquisita. Ita S. Antoninus, 2. *p. tit.* 2. *c.* 7. Prior pars probatur. Tùm quia: Rerum injustè ablatarum raptor nunquam acquisivit dominium; quod tamen accepit rerum, quas justo contractu acquisivit. Tùm quia: majori justitiâ restituenda sunt ablata, quàm debita sint solvenda; quia restituendo ablata, impletur justitia tollens injuriam, factam Deo, & proximo: sed in solutione debitorum nulla tollitur injuria, sed tantùm solvitur justum: igitur videntur priùs restituenda ablata, quàm solvenda debita. Hæc ratio ex *Opusc.* 73. *c.* 18. sumta est, quod D. Thomæ adscribitur, dubium tamen est.

Secunda verò pars probatur ex Sancto Antonino. Tum quia: major injuria est in rapina, & in furto, quàm in usura; quia illa sunt prorsus involuntaria, usura verò aliquomodo est voluntaria. Tùm quia debitor magis arctatur ad restituendum, quæ extorsit per rapinam, & furtum, quàm quod habuit per usuram. Nam ad restitutionem usuræ compellitur divino, & Ecclesiastico jure: sed ad restituendum ablata per rapinam, & furtum, arctatur jure naturali, divino, Ecclesiastico, & civili. *Ex quibus sequitur* (ajt S. Antoninus) *quòd debitor, si non potest in solidum restituere, quod extorsit per rapinam, & furtum, & etiam quod habuit per usuram; tenetur in solidum restituere priùs, quod habuit per rapinam, & furtum, quàm quod habuit per usuram.*

V. Quinta regula ex eodem S. Antonino est. Quòd priùs restitui debent quæcumque certa debita, quàm quæcumque ad causas pias legata, atque donata. Cujus ratio est: quia donatio ad pias causas, & largitio sunt ex supererogationis consilio: restitutio autem malè ablatorum, seu aliorum debitorum certorum, sunt ex obligatione, & præcepto. Priùs autem restitui debent, quæ sunt secundùm necessitatem præcepti, quàm quæ sunt secundùm supererogationem consilii. Quare si hæres in hæreditate inveniat debita, & pia legata; priùs debitis tenetur satisfacere, deinde de eo, quod supererit, legatis.

§. II.

§. II.

De Ordine servando secundùm Leges Positivas.

VI. Sextà regula est. In ordine restitutionis, servandæ sunt leges civiles, & statuta Provinciæ, vel Urbis; dummodo juri naturali, & divino non repugnent. Quare in omnibus aliis, in quibus poterat esse differentia humani arbitramenti, tenemur, etiam in foro conscientiæ, leges civiles, & Ecclesiasticas, quæ ob commune bonum, & tranquilitatem Civium, & conscientiarum institutæ sunt, sequi; & quæ quid in hujusmodi casibus facienda determinant, implere: ita ut qui contra talem legitimum ordinem restituerit, non solùm peccet; sed etiam teneatur de damno, quod aliis creditoribus emergit. Quis autem sit ordo, per leges humanas in restitutionibus faciendis statutus, in sequentibus dicetur.

VII. Primò. Creditor habens hypothecam in bonis debitoris, præferendus est creditoribus non habentibus hypothecam. Unde non solùm, ut dicebam, peccat debitor istos illi præferendo: sed etiam creditores ipsi, nullam hypothecam in bonis creditoris habentes, peccant contra justitiam; si volentes, ac scientes accipiunt solutionem in præjudicium ejus, cui bona debitoris erant oppignorata. Hoc tamen, & sequentia intelligi debent de debitore, qui non sit par omnibus solvere; unde præferendo unum, cæteri injustè damnum patiantur: quòd si par sit omnibus satisfacere, potest, quem sibi placuerit, in restitutione præferre.

VIII. Secundò. Si creditores hypothecam habentes concurrant inter se, petentes restitutionem, præferendi erunt, qui anteriorem hypothecam habent. Ita ex *Leg. Potior*, & ex *L. Qui balneum*, *ff. Qui potior in pignor. habend.* Et ex regula *Qui prior*, *de Reg. Jur. in 6.* Excipiuntur tamen quidam casus, in quibus singulari jure, & privilegio conceditur quibusdam creditoribus, posteriorem hypothecam habentibus, ut anterioribus præferantur. Ut in fisco *Leg. Si is, qui*, *ff. de Jure fisci*. In muliere dotem repetente, L. *Assiduis*. L. *Qui potiores in pignore habeantur*, *ff. Qui potior*, ut supra.

IX. Tertiò. Si creditores nullam habentes hypothecam, vel pignus, sed solam actionem personalem (dicti à Jurisperitis creditores chirographarii) inter se concurrant, petentes restitutionem; nulla habetur ratio temporis, vel anterioritatis, sed omnes æqualiter admittuntur: ut patet in L. *Privilegia*, *ff. de Privileg. credit.* & L. *Si hominem*, *ff. Depositi*. Hinc est, quòd inter hujusmodi creditores, qui in debiti exactione prævenit cæteros, melioris est conditionis: & sibi quisque suam negligentiam imputare debet, ut ex *Leg. Inter eos*, *ff. De re judic.* Exceptis tamen quibusdam actionibus personalibus, quæ propter summum earum favorem privilegium habent, ut cæteris creditoribus chirographariis præferantur; qualis est actio funeraria, moderata tamen, & necessaria, L. *Penult.* *ff. De Reg. & sumtibus funer.* Et similiter actio depositi, L. *Si hominem*, §. *Quoties*, *ff. Depositi*.

X. Quartò. Si concurrant plures creditores, quorum quilibet habet actionem personalem privilegiatam; tunc nulla habetur ratio temporis, sed præferendus est ille, cujus debitum est magis privilegiatum. Verbi gratia: concurrunt debitum ex impensa funeris, & debitum ex causa depositi, quorum quodlibet est privilegiatum, cum aliis debitis personalibus; hæc duo præferenda sunt. Cæterum si inter se concurrant, præferri debet debitum funerarium, quia est magis privilegiatum, citatâ L. *Privilegia*, *ff. De Privileg. credit.* & l. *Impensa*, *ff. De Relig. & sumt. funer.* Et ratio theologica esse potest. Quia necessitas se-

pulturæ meritò judicatur quasi necessitas extrema; eo quòd humanum corpus fuit instrumentum, quo anima usa fuit etiam ad pietatis opera, & etiam pars substantialis hominis. Non enim (ait S. August. l. de Cura pro mortuis gerendâ, c. 3.) *contemnenda, & abjicienda sunt corpora defunctorum, maximèque Justorum, ac Fidelium, quibus tanquam organis, & vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est spiritus*. Propterea etiam Jurisconsulti religiosè considerantes sepulturæ necessitatem, simul ac pietatem; debitum ex impensa funerali contractum, debito ex causa depositi prætulerunt: quoniam in hoc visi sunt, & animæ immortalitatem protestari, &, ut ait August. loco laudato, fidem resurrectionis adstruere, & Deum auctorem animæ colere. Quòd si paria sint privilegia, ita ut alterum alteri non emineat; tunc omnes creditores privilegiati simul vocandi sunt; ut inter illos dividatur census, seu pecunia proportionaliter, si opes debitoris non sufficiant omnibus integrè, & exactè solvere. Idem dicito de aliis creditoribus personalibus non privilegiatis, quando simul concurrunt; nec omnibus satisfacere plenè opes debitoris satis sunt. Tunc enim proportionabiliter census debitoris dividendus erit inter creditores. Ita multi ex Juris peritis citati à Banez.

XI. Petes duo. Primò: An debitor volens uni creditori æqualis juris gratificari, possit ei non petenti solvere, prætermissis aliis non minus juris habentibus?

Secundò: An non valens omnibus solvere, motus misericordiâ in creditorem egentem, ei non petenti solvat, aliis prætermissis? Quid dicendum ad utrumque.

XII. Respondeo ad primum, debitorem non valentem omnibus æqualibus in jure satisfacere; teneri ex justitia singulis proportionaliter distribuere: ideoque peccare contra justitiam, si cæteris prætermissis, uni solvat. An verò nedum debitor, sed & creditor sic accipiens, teneatur restituere quod accepit; utrumque probabile est.

Ad secundum, Sylvester eum excusat, si bonâ fide egerit, & ex pietate; & alii cum eo idem docent. Absolutè tamen crediderim, non esse licitum præferre pauperem aliis creditoribus, æquale jus habentibus; si pauper ille non sit in extrema, vel saltem gravi necessitate. Quia paupertas, saltem communis, non mutat ordinem justitiæ, sed solum provocat ad eleemosynam; quæ fieri non potest ex alteri debitis, & cum præjudicio alterius. Addo: quòd titulus paupertatis neque ex naturali, neque ex positivo jure tribuit privilegium prælationis. Æquum tamen judico, ut pauperi acceleretur solutio; & quòd fortè aliquid plusculum, quàm aliis solvatur.

QUÆSTIO II.

Quinam teneantur Restituere.

Explicatâ naturâ, necessitate, tempore, & ordine restitutionis, occurrit examinandum, quænam personæ ad restituendum obligentur: quod in præsenti quæstione præstabimus.

DUBIUM I.

De Eo, qui Læsit Alterum in Bonis Animæ.

§. I.

Exponuntur Radices Restitutionis.

I. Ad restitutionem teneri, qui alienum accepit, certum est. Verùm *Circa illum, qui rem alienam accepit, duo sunt consideranda* (inquit S. Thom. hâc q. 62. a. 6.) *scilicet, ipsa res accepta, & ipsa acceptio. Ratione autem rei, tenetur eam restitue-*

tuere, quamdiu eam apud se habet: quia quod habet ultra, id quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei, cui deest, secundùm formam commutativæ justitiæ.

Sed ipsa acceptio rei alienæ potest tripliciter se habere. Quandoque enim est injuriosa, scilicet, contra voluntatem existens ejus, qui est rei dominus, ut patet in furto, & rapinâ. Et tunc tenetur ad restitutionem, non solùm ratione rei, sed etiam ratione injuriosæ actionis, etiamsi res apud ipsum non remaneat. Sicut enim qui percutit aliquem, tenetur recompensare injuriam passo, quamvis apud ipsum nihil maneat: ita etiam qui furatur, vel rapit, tenetur ad recompensationem damni illati, etiamsi nihil inde habeat; & ulteriùs pro injuria illatâ debet puniri.

Alio modo aliquis accepit rem alterius in utilitatem suam, absque injuria, cum voluntate scilicet ejus, cujus est res, sicut patet in mutuis. Et tunc ille, qui accepit tenetur ad restitutionem ejus, quod accepit, non solùm ratione rei, sed etiam ratione acceptionis, etiamsi rem amiserit: tenetur enim recompensare ei, qui gratiam fecit, quod non fiet, si per hoc, damnum incurrat (hic sumit S. Thom. mutuum pro commodato, quod adhuc remanet commodantis; & debet servari indemne, ut commodanti restituatur, ne ex beneficio patiatur damnum)

Tertio modo aliquis accepit rem alterius, absque injuria, non pro sua utilitate, sicut patet in deposito. Et ideo ille, qui sic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis, quinimò accipiendo impendit obsequium: tenetur autem ratione rei. Et propter hoc si ei subtrahatur res, absque sua culpâ, non tenetur ad restitutionem. Secus autem esset, si cum magna suâ culpâ rem depositam ammitteret.

II Ex hac S. Thomæ doctrinâ, & etiam ex iis, quæ docet *a.* 7. sequenti, colligunt Doctores, ex duplici radice oriri debitum restitutionis; seu duplicem esse causam, quare quis teneatur restituere: nempe rem acceptam, & injustam acceptionem. Licèt alii, claritatis gratiâ, tres radices restitutionis assignent: nempe, ex injusta acceptione, quæ solet etiam appellari restitutio ex delicto, vel damno illato; & hoc spectat omnis injusta damnificatio. Secundò, ex re acceptâ: quando nimirum res aliena detinetur, sive bonâ fide, ut quando res furtiva bonâ fide est emta; & sic est sinè peccato: sive malâ fide, ut si emens rem sciat, esse furtivam. Tertiò, ex contractu: si nimirum in alicujus contractu rem alienam detineat, & non solverit.

III. Licèt autem tàm ex injusta acceptione, quàm ex re acceptâ oriatur debitum restitutionis; quia cùm per utramque posita sit inæqualitas, tenetur ex justitia homo, per restitutionem, iterum ponere æqualitatem: duplex tamen discrimen est inter utramque. Primum, quòd quando simul concurrunt injusta acceptio, & res accepta, ut in furè, obligant acceptorem ad restituendum, sive res in sua specie existat, sive non. Quando vero res accepta separatur ab injusta acceptione, ut in eo, qui bonâ fide retinet apud se rem alienam, & qui solùm ex re acceptâ restituere tenetur; solùm ad hoc obligatur, quando eam in specie retinet: quod si illam bonâ fide consumsit, vel res absque sua culpâ periit, non tenetur restituere, nisi id, in quo factus est ditior. Alterum discrimen est, quòd ex justa detentione rei alienæ non oritur obligatio restitutionis, nisi in mora culpabili restituendi: si enim suo tempore reddas, non restitutis, sed solvis, ut in mutuo, & deposito: sed ex injusta acceptione oritur obligatio restituendi statim, ac opportunitas illius occurit.

IV. Porro cùm varia sint bonorum genera, quę possunt esse obnoxia restitutioni, quæ S. Tho. hac 2. 2. *q.* 73. *a.* 3. *qu.* 104. *a.* 3. & *q.* 152. *a.* 2. & alibi ad tria capita reducit: Unum, *quod consistit in exterioribus rebus*, puta, divitiis, fama, & honore; sub quibus comprehenduntur beneficia Ecclesiastica, dignitates, & officia ad Reipublicæ

politiam pertinentia: alterum, *quod consistit in bonis corporis*, ut vitæ naturalis, & membrorum; tertium, *quod consistit in bonis animæ*, sive naturalibus, cujusmodi sunt intellectus & voluntas; sive supernaturalibus, qualia sunt gratia, & virtutes: de his omnibus quæremus in sequentibus.

§. II.

Resolutio Dubii.

V. Bonorum animæ alia sunt naturalia, ut intellectus; alia acquisita, ut scientia, & artes: alia verò gratuita, ut gratia, & virtutes. De prioribus nullam censeo necessariam disputationem. Sunt enim simpliciter temporalia bona: & idcirco qui hominem præstigiis, aut aliâ viâ dementaret; aut per vim, vel fraudem à studio scientiarum, vel artium, ex quo magnam utilitatem, & famam sibi comparasset, aliquem divertisset: teneretur, arbitrio prudentum, damnum, sicut in aliis temporalibus, reparare. Restat ergo, ut à spiritualibus, & gratuitis sumamus exordium, qualis est gratia, & virtutes, quibus gratia conservatur: an scilicet ille, qui læsit proximum in spiritualibus bonis, puta, quia fuit ei causa peccandi, & consequenter, ut amitteret gratiam, & virtutes; vel suis pravis suasionibus profectum virtutis proximi impedivit, teneatur restituere. Quod cum contingere possit dupliciter: vel per vim, aut fraudem; vel absque vi, & fraude, per apertam suasionem; de utroque quæremus hìc.

VI. Dico Primò. Qui vi, violentiâ, aut metu aliquem induxit ad peccandum, tenetur ex justitia damnum animæ illatum, quantum poterit, compensare, eum à peccato revocando. Assertio hæc quantùm ad eum, qui vi, aut violentiâ alterum ad peccandum impulit, certa est. Quia qui taliter operatus est, peccavit contra justitiam, fecit injuriam proximo suo, ejusque jus ac libertatem violavit; quare ex justitia tenetur, eum libertati restituere, & ut à malo, ad quod eum implevit, resipiscat, quantum poterit adhortari — Quantum verò ad eum, qui per metum induxit proximum suum ad malum, non minùs certa videtur; quia hic pariter injuriosus fuit libertati proximi, eam minuendo per metum; ideoque tenetur, eam pristinæ securitati ex justitia restituere.

VII. Dico secundò. Qui fraude, ac dolo aliquem in peccatum, sive errorem induxit, tenetur quidem à malo eum revocare: sed an teneatur per se ex justitia, an solùm ex caritate, non adeo certum est. Prima pars est certa. Decepit enim quis fortè hominem docens, non inesse culpam ubi erat; puta quemdam contractum non esse usurarium, qui tamen erat; ob quam deceptionem exercet ille talem contractum, a quo abstinuisset; & idem dic de aliis: in tali casu fallax ille homo tenetur docere veritatem, ne deceptus malè agat, vel ne in malo prosequatur. Pari ratione Concionator, qui aliquid in concione dixisset, quod in ruinam animarum vergeret: Hæresiarcha, qui hæreses seminasset, teneretur recantare dicta, atque scandalum, quantum possunt, amovere. Pariter si ego quempiam induxi, ut inimicitias gerat cum inimico meo, & mei causa illas exercet; teneor illum liberum relinquere, & monere, ut inimititias deponat, ne sim illi causa mali; alioquin ero causa, ob quam non solùm deliquit, sed ob quam in peccato persistat: in quo sępè delinquunt parentes, imbuentes filios inimicitiis familiæ, & odia antiqua in aliam familiam propagando.

Secunda verò pars suadetur. Videtur enim teneri ex justitia: qui enim dolo, aut fraude crimen extorsit ab aliquo, videtur ipsi invito gratiam eripuisse, eique injuriam & injustitiam fecisse: si enim scivisset, illud esse peccatum, illud non commisisset; ergo ex justitia tenetur, ponere æqualitatem, ipsum de deceptione edocendo, & à malo, in quod ipso auctore, rue-

rat

fat, revocando. — Videtur autem solùm teneri ex caritate. Tùm quia: peccatum illud, quo dolosè proximum induxit ad malum, fuit peccatum scandali: sed scandalum non opponitur justitiæ, sed caritati; ergo &c. Tùm quia: licèt mentiendo, vel dolosè se agendo proximum induxerit ad peccatum; hoc tamen non potuit esse absque propria voluntate, sine quâ non est peccatum; ergo non fuit, ipso invito, ac proinde cum injuria. Si enim quis duxit amicum in meretricis domum nescientem, ubi, moraliter loquendo, erat vitiandus, & de facto peccet; hoc peccatum ex fraude quidem inchoatum fuit, sed per propriam voluntatem fuit consummatum: per hoc autem, quòd proximum exposuit periculo cadendi, & fornicandi, peccavit quidem contra caritatem, sed non contra justitiam. — Hinc sic arguo. Nemo tenetur restitutionem ei facere, qui condonat damnum: sed is, qui modo prædicto fuit inductus in peccatum, postquam habet peccati notitiam, & sublatâ fraude consentit, & peccat, censetur condonare damnum fraudis, & peccati; & relictus suæ libertati potest per gratiam Dei à peccato resurgere; ergo deceptor non tenetur plus agere, quàm fraudem & dolum auferre.

Dixi *per se* loquendo. Nam si ex tali fraude, vel dolo sequatur postea aliquod damnum temporale; tenebitur ex justitia ad reparationem damni: puta, si in illa domo fuisset aliquis, qui ipsum percuteret, vel spoliaret, aut aliquod aliud damnum ei contingeret; vel ei etiam sinè dolo contractum usurarium suaderet: teneretur ex justitia ad reparationem omnium damnorum, ex falsa suasione secutorum.

VIII. Dico tertiò. Qui absque dolo, & fraude, solâ suasione induxit aliquem ad peccandum, non tenetur ex justitia ad aliquam restitutionem. Hæc Assertio magis apparet ex dictis. Etenim sic inducens nil abstulit à proximo invito. Qui enim sciens, & advertens peccat, etsi precibus alienis succumbat; non peccat, nec amittit gratiam invitus, sed prorsus volens: peccatum enim, ut ait S. August. *l. de vera Religione* c. 14. & confirmat. l. 1. Retract. c. 13. *Usque adeo voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*; ergo nihil propriè à proximo sustulit; ergo nil debet restituere.

IX. Si respondeas cum Scoto, quòd licèt sic inducens, non sit tota causa peccati; est tamen pars causæ, & occasio: & ideo quodammodo manet restitutioni obnoxius.

Contra tamen est. Nam eâdem ratione, quando ego precum importunitate aliquid extorqueo ab amico, citra vim, & fraudem, quod mihi aliàs daturus non esset; tenerer illi sic obtentum, seu extortum restituere, cùm sim causa partialis antecedens voluntatem illius: quod nemo dixerit. Sicut ergo non teneor; quia non obstante mearum precum importunitate, amicus potest mihi dare, & non dare; &, si dedit, quia voluit dedit: ita nec tenebor in casu; quia non obstante meâ suasione ad peccatum, poterat peccare, vel non peccare: quòd si peccavit, suâ voluntate peccavit. *Scienti autem, & consentienti non fit injuria, neque dolus*. Ex Regul. Juris 27. in Sexto.

Contra secundò. Nemo restituere tenetur, in cujus potestate non est, ut restituat: sed non est in potestate hominis hominem læsum in anima, per peccatum, in gratiam Dei restituere: quia solus, qui peccavit, mediante auxilio Dei moventis potest se ad gratiam, à solo Deo obtinendam, præparare; ergo &c.

X. Si dicas, saltem obligari ad id, quod potest; nempe, ad ipsum dehortandum, ut à peccato desistat, ad quod eum fuerat cohortatus.

Contra est. Quia estò ad hoc teneatur ex caritate, non tamen tenetur ex justitia: quod probo. Ut enim

nim supra dicebam, homo, qui in peccato existens non vult resipiscere, neque auxilium divinum petere, quo unicè potest gratiam recuperare; virtualiter censetur velle in amissione gratiæ perseverare, & sic condonare, quod sibi ablatum est: sed nemo tenetur ex justitia restituere ei, qui suâ spontè condonat, quod sibi ablatum est, quia non censetur amplius detinere, domino invito; ergo &c. Maj. explicatur. Si enim auri pondus, quod furto sustuli, expositum, ac manifestum relinquam domino; ut quando ei placuerit, possit, sive mei, sive alterius operâ capere; & iste videns illud non capiat, imò capere negligat, censetur illud renuere, nec ego teneor amplius facere: nec enim ex justitia teneor illum admonere, vel rogare, ut capiat. Cur ergo obliger ex justitia, eum, cui meâ suasione gratiam eripui, ad bonam mentem revocare; si, cùm ipse absque opera mea possit, minimè vult emendari? Alioquin tenerer etiam ex justitia, si publicè peccassem, omnibus, & singulis quos in scandalum traxi, & in ruinam adduxi, satisfacere.

Tenerer tamen ex obligatione caritatis. Quia sicut teneor præcepto caritatis, fratrem in peccatum lapsum, correctione fraternâ à peccato retrahere; multò magis eum, cui fui occasio, & auctor peccandi: cæterum obligatio justitiæ huc non ingreditur. Exodi enim, ubi pro peccatis injustitiæ compensatio præscribitur, non legitur, ut qui ad peccandum seduxit, compenset eum, ad justitiam revocando. Imò v. 16. legitur quidem, quòd si seduxerit quis virginem, necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem. Et quòd si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam, juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt; non tamen præscribitur, ut eam emendare à peccato curet.

§. III.

Alia Scoti Rationes in Contrarium.

XI. OBjicit, præter dicta, Scotus primò. Qui læsit aliquem in bonis temporalibus, ut auferendo ei pecuniam, vel quid simile, tenetur ex justitia ei restituere; ergo multò magis qui læsit in bonis spiritualibus: cùm hæc sint præstantiora, nec auferri possint sine gravi nocumento.

Confirmat. si quis proximo propinet venenum, tenetur statim ex justitia quærere remedium; ergo multò magis qui pravâ suasione propinat spirituale venenum animæ, quia hoc magis nocet.

XII. Respondeo, neg. conf. Qui enim læsit aliquem in bonis temporalibus, ideo tenetur ad restitutionem; quia bona illa abstulit, invito domino; neque dominus ea recuperare potest, nisi is, qui damnum fecit, restituat: qui verò læsit eum in bonis spiritualibus gratiæ, & virtutum, non læsit invitum, sed consentientem. Si vim adhibuit, postquam propter illam injuriam facta est restitutio, & vis ablata; is, qui læsus fuit, potest cum Dei gratia per seipsum, hoc est, absque alterius hominis operâ recuperare bona perdita, agendo pœnitentiam.

XIII. Ad Confirm. nego pariter conf. Nam qui venenum propinat, est causa sufficiens, & efficax damni, quod imminet, & opponitur justitiæ; quia illum, cui propinavit venenum, læsit invitum, eique fecit injuriam: & propterea tenetur ex justitia ei succurrere. At qui suasione venenum peccati propinavit, nil fecit contra justitiam; quia qui venenum peccati sumsit, non sumsit invitus, sed consentiens. Quòd si vim, vel fraudem, ac dolum adhibuerit; non fuit causa efficax damni, nempe, privationis gratiæ, quæ non nisi propriâ voluntate incurritur: unde tale damnum non adversatur justitiæ, præsertim postquam de injuria vis, aut violentiæ fuerit satisfactum.

XIV.

XIV. Neque sequitur: graviùs peccat, qui alium inducit ad peccatum, quàm qui lædit eum in bonis temporalibus, aut vitâ corporali; ergo magis tenetur ad restitutionem — Nam primò. Obligatio restitutionis non oritur ex gravitate peccati, sed ex violatione justitiæ: qui autem lædit alium in bonis animæ, violat caritatem, non justitiam, ut diximus — Secundò. Quia quamvis, ex genere, gravius peccatum sit, inferre nocumentum animæ, quàm corpori; regulariter tamen, & in particulari contrarium evenit: sive quia, qui inducit aliquem ad peccandum, peccatum illius directè non intendit; sicut qui propinat venenum, directè intendit nocumentum corporale: sive quia ei, qui inducitur ad peccandum, exigua fit injuria; dum is, qui inducitur, vel erat jam paratus ad peccandum, vel saltem non peccat, nisi volens, & consentiens: quod non evenit in eo, qui patitur nocumentum in corporalibus; is enim est prorsus invitus.

XV. Sed argues secundò. Qui occideret, aut mutilaret hominem, etiam volentem mutilari, aut occidi, peccaret contra justitiam: quia Deus solus est vitæ corporalis dominus; ergo si quis inducet aliquem ad peccandum, peccabit contra justitiam, etsi alter voluntariè peccet; quia Deus est dominus gratiæ hominis.

XVI. Respondeo, neg. conf. Nam Deus estò sit solus dominus gratiæ, & virtutum; has tamen ponit in nostro arbitrio, & facit nos dominos donorum suorum: & ita dum illa per peccatum amittimus, non peccamus contra justitiam, strictè talem, quasi violemus dominium Dei; & ex consequenti, neque ille, cujus suasione peccamus. At circa vitam corporalem, & corporis membra, Deus sibi soli reservavit dominium, nobis solùm concessit custodiam; ut contra justitiam peccet, qui de eis velit in perniciem disponere: & sic etiam peccat, qui, me volente, & consentiente, me occideret, aut mutilaret sinè rationabili causâ. Sicut peccaret, qui, etiam me consentiente, mihi auferret rem, cujus scirer, me non habere, nisi custodiam.

XVII. Argues tertiò. Si Prælatus, qui ex officio tenetur curare salutem subditorum, aliquos inducat ad peccatum, tenebitur ex justitia eos reducere ad pœnitentiam. Item si Prædicator, vel Doctor falsam, ac perniciosam doctrinam doceat, tenetur, & adigitur ad revocandam sententiam; ergo etiam qui alium ad peccatum induxit &c.

XVIII. Respondeo, Prælatum inducentem subditum ad peccatum, teneri quidem ex caritate eum à peccato avertere; sicut teneretur ex officio, etiamsi eum non induxisset; non tamen teneri ex justitia. Idem dico de Doctore, vel Prædicatore. Is enim teneretur quidem retractare, quæ docuit, si falsa sint, & in ruinam cedant animarum, debito caritatis, vel debito religionis, si ex mala ejus doctrinâ læsus fuit cultus divinus; non verò ex justitia commutativâ, per se loquendo, nisi fortè ex falsa illius sententiâ sequatur damnum etiam temporale proximis: puta, si prædicasset, licitas esse usuras, vel aliquid aliud, ex quo damnum temporale in Republica sequeretur.

DUBIUM II.

De Eo, qui Avocat Aliquem ab Ingressu in Religionem, vel ab ea Revocat jam Professum.

§. I.

Resolutio Prioris Partis.

I. AB ingressu in religionem removendos esse homines, senserunt Jovinianus Romæ, præferens statum matrimonii statui cælibatus; cujus errorem sequuntur moderni hæretici, quos in Colloquiis pro Cælibatu refutavimus: & Vigilantius in Galliis, statum divitum statui paupertatis voluntariæ præferens, vel saltem

tem

tem æquans. Apertiùs autem, temporibus S. Thomæ, Gulielmus de S. Amore, aliique, contra quos ipse scripsit Opusculum decimum septimum, retrahebant homines ab ingressu in religionem, maximè recens conversos ad fidem, & pueros: *Proponunt* (inquit D. Thom. citatus c. 1.) *nullos consiliorum observantiam per religionis introitum debere assumere, nisi priùs in mandatorum observantia exercitatos: per quorum dictum, & pueris, & peccatoribus, & noviter conversis ad fidem arripiendæ perfectionis via præcluditur.* In hujus erroris confutatione immorari non est præsentis instituti: quare Studiosum ad prælaudatum S. Thomę Opusculum percurrendum remitto. Supposito ergo, quòd laudabile sit, hominem ad ingressum religionis adhortari; de eo, qui à tali ingressu retrahit, agendum est: an peccet, & quo peccato.

II. Et quidem pro certò habendum est, quòd qui ex causa rationabili quempiam retrahit ab ingressu religionis, ad nihil tenetur; imò non peccat, nec incidit in anathema, cui Tridentinum, *Sess. 25. c. 18. de Regularibus*, subjicit, tàm eos, qui coegerint ad ingressum religionis, quàm eos, qui à tali ingressu impedierint: talis enim neque contra justitiam, neque contra caritatem peccat. Causæ porro rationabiles sunt: si conjugatus, consummato matrimonio, velit religionem ingredi, uxore non consentiente. Si eâ extinctâ idem velit, nec sit qui liberorum ex ea susceptorum curam, & educationem suscipiat: si qui retrahitur, non putetur esse idoneus religioni; si in loco, quem vult ingredi, non servetur regularis disciplina: si qui retrahit, ex tali ingressu privaretur spirituali commodo. Tandem si magna necessitas Reipublicæ, vel parentum exigeret, licitum esset dehortari aliquem ab ingressu religionis: imò jam ingresso, & professo, ob hanc causam, liceret tantisper egredi. Quæstio ergo est de eo, qui sinè rationabili causâ retrahit aliquem à religionis ingressu; & hoc facit, sive vi, fraude, ac dolo, aut merâ suasione: an peccet, & an contra justitiam.

III. Dico primò. Qui sinè causâ rationabili nudis suasionibus, absque ulla vi, fraude, dolo, vel metu impedit aliquem ab ingressu religionis, vel Novitium retrahit, antequam faciat professionem, graviter quidem peccat; nullam tamen incurrit obligationem restituendi, vel personæ, vel religioni. Et quidem quòd graviter peccet contra caritatem, quia ipsum retrahit à perfectione, ideoque tenetur ipsum iteratò ad religionem inducere, certum judico. Quod verò non teneatur ad restitutionem, probo primò. Nam perniciosius est homini ipsum ad peccatum inducere, quod est contra legem, quàm retrahere ab ingressu in religionem, vel à professione, quod solùm est de consilio; ergo si ex dictis in primo casu non tenetur ad restitutionem, neque in secundo. Deinde sic retrahens nulli facit injuriam. Non juveni, quem retrahit: quia eum nullâ vi cohibet, neque fraude decipit; ergo relinquit eum in libera potestate religionem intrandi; quòd si non intrat, voluntariè hoc facit: consentienti autem nulla fit injuria. Nec religioni: quia religio, vel non habebat jus ad habendum juvenem nondum ingressum; vel si aliquale habebat, hoc erat dependens à propria voluntate, quâ poterat recedere: unde si spontè recessit, nulla restat obligatio restituendi — De Novitio nondum professo eadem ratio est. Nam Novitius, habitu religioso indutus, adhuc est in libera potestate habitum dimittendi; nec religio in eum jus habet, nisi ab ejus voluntate dependens; ergo si licèt ab alio persuasus, voluntariè tamen recedat, nulla apparet injuria, & proinde nulla compensandi obligatio. Nam si ego jam induto habitu unius religionis, suaderem, ut aliam intraret,

non fierem debitor priori religioni, neque fierem debitor si Novitium ad seculum revocarem.

IV. Dico secundò. Qui vi, fraude, dolo, metu, impedit volentem ingredi religionem, aut Novitium volentem profiteri, tenetur ex justitia, primò: removere vim, & fraudem: deinde removere omnia impedimenta, quorum ipse fuit causa; & agere, ut tàm Novitius, quàm qui volebat ingredi; constituantur in eo statu, in quo priùs erant. Cùm enim vis, fraus, & metus sint contra justitiam, ille, qui sic fuit impeditus, injuriam passus est.

V. Tenebitur insuper ad compensandum damnum datum religioni. Nam estò hæc non habeat jus in eum, qui nondum est ingressus, vel eam nondum professus: habet tamen jus, ne vi, aut fraude avertatur quis ab ejus ingressu, vel professione; ergo qui habentem firmum propositum eam ingrediendi, vel profitendi, vi, fraude, ac metu avertit, violat jus religionis, & consequenter tenetur ad restitutionem.

Confirmatur. Qui mendaciis, fraudibus, violentiis impedit aliquem, ne legetur ei hæreditas, quam testator volebat ei legare, tenetur ad compensationem: quia licèt nondum haberet jus ad illam hæreditatem, habebat tamen jus, ne ipse per vim, aut fraudem testatori illatam impediretur; ergo similiter in casu. Præterea: quamvis religio in eum, qui nondum eam est ingressus, aut professus, non habeat jus absolutum; habet tamen jus acquisitum ex ejus voluntate, qui jam est in promtu, ut eam ingrediatur, vel profiteatur; ergo qui vi, aut fraude impedit jus illud sic acquisitum, injuriam facit Monasterio. Conf. prob. Qui enim vi, fraude, aut dolo mutat propositum, non mutat voluntariè; ergo læditur jus, quod habebat in ejus voluntate. Quemadmodum læditur jus pauperis per mendacium illius, qui impedit eleemosynam, quam alter paratus erat dare; quia pauper in voluntate illius, jus ad eam adeptus erat.

VI. Non tenebitur tamen ad compensationem æqualem, nec in totum. Quia bonum, quo retrahens privavit Monasterium, non est certum; sed pendens à futuro, & incerto eventu: poterat enim, qui fraude, & dolo, aut vi retractus est, sponte, & propriâ voluntate retrahi. Plus tamen compensare tenetur, si jam Novitium retraxit, minus verò si adhuc secularem: quia jus religionis proximius erat in illum, quàm in istum.

§. II.

Resolutio Posterioris Partis.

VII. Dico primò. Qui sinè causâ professum è religione revocat, seclusis tamen vi, fraude, & dolo, graviter quidem peccat; sed non tenetur ad ullam compensationem faciendam, nec ipsi, nec Monasterio. Quòd graviter peccet, certum est: Quòd non teneatur ad compensationem ipsi professo, quem seducit, probatur. Nullam enim ei facit injuriam: quia dum professus, alio suadente, religionem deserit, id voluntariè facit; neque est obligatus religioni ex justitia, sed ex obedientia; ergo sicut professus relinquens religionem, non tenetur ex justitia se sistere religioni, sed tantùm ex obedientia: ita nec eum inducens ad religionem deserendam, tenetur ex justitia, sed ex caritate solùm, apostatam ad eam reducere.

Hinc apparet, quòd nec teneatur ex justitia compensare religionem in damnis, quæ patitur ex talis professi fugâ (quamvis aliqui contrarium opinentur). Nam ipse Religiosus non tenetur ex justitia procurare utilitates Monasterii, neque si ab eis spontè cesset, tenetur ad restitutionem; ergo nec alius obligabitur, si ei sit causa cessandi, modò absit fraus, metus, aut vis: quia non magis peccat contra justitiam is, qui induxit, quàm Religiosus ipse, qui sponte cessat.

Confirmatur. Si Religiosus aposta-

 tave-

taverit, tenetur quidem redire ad Monasterium; à nemine tamen censetur obligatus, ut restituat ea, quæ potuisset Monasterio suâ operâ acquirere; etiamsi haberet, unde posset restituere, ut si per dispensationem aliquod obtineret beneficium: ergo bona, quæ Religiosus nondum acquisivit, sed acquirere posset, non debentur religioni ex justitia: ideoque si quis ea impediat, absque fraude, & similibus, non facit injustitiam religioni, nec tenetur restituere.

VIII. Sed dices, primò. Si quis inducat servum, ut fugiat dominum, tenetur ad restitutionem servi, & damnorum, quæ domino obveniunt ex illa fugâ; ergo similiter qui Religioso persuadet fugam.

Confirm. *Cap. Si servus, dist. 54.* habetur: *Si servus absente, vel nesciente domino, Episcopo tamen sciente, quòd servus sit, Diaconus, aut Presbyter fuerit ordinatus; ipso in Clericatus officio permanente, Episcopus eum domino duplici satisfactione compenset: si verò Episcopus eum servum nescierit, qui testimonium perhibent, aut eum supplicaverint, simili redhibitioni teneantur obnoxii;* ergo à pari &c.

IX. Respondeo, neg. conf. Diversa enim ratio de servo, aut mancipio est, ac de Monacho. Mancipium enim possidetur à domino, tanquam res, seu possessio sua, in suam propriam utilitatem, & commodum, sicut possidetur equus. At Monachus, & qui divino se obsequio manciparunt, etsi adstrictissimi sint religionis, & obedientiæ voto; non tamen possidentur ut servi, sed respiciuntur ut filii à religione; non tanquam dominâ, sed tanquam matre, non in commodum, & utilitatem ejus, sed in ipsorum spirituale bonum. Quare servitus Religiosi libertate plena est, quâ dum abutitur habitum exuens, magis nocet sibi, quàm religioni: ideoque magis propter se, ac suum bonum redire tenebitur, & ex caritate erga se, ac obedientiâ erga religionem, quàm ex justitia.

X. Ex his ad Confirmationem patet responsio. Nam dum Episcopus inscio, vel nolente domino, ordinat servum, facit ei injuriam: eripit enim ei invito rem suam, ideoque compensare tenetur. At qui suasione inducit Monachum professum, ut à Monasterio fugiat, eripit filium matri: unde sicut qui sinè vi &c. suadet filium, ut matrem deserat, non tenetur compensare damna, per se loquendo, quia non peccat contra justitiam: ita nec qui Religiosum similiter abducit.

XI. Dices secundò. Qui aliquem spoliat bonis, in quæ habebat jus acquisitum, tenetur ea restituere: atqui religio habet jus acquisitum in operas, & lucra sui religiosi; ergo qui eam spoliat, tenetur &c.

Confirm. Religiosus professus est membrum religionis; ergo qui aufert ab illa Religiosum, tenetur ad restitutionem: sicut tenetur, qui membrum alicui abscindit.

XII. Respondeo, religionem non habere jus acquisitum in operas, & lucra à suo Religioso facienda, ex justitia commutativâ, sicut habet dominus super operas servi; sed ex virtute religionis: ideoque abducens professum à Monasterio, non tenetur ad restitutionem magis, quàm ipse Monachus, nisi rerum jam acquisitarum; si fortè ex consilio suo Monachus eas asportet secum: tunc enim uterque tenebitur restituere. Cùm enim Religiosus propriâ voluntate in professione abdicaverit omne dominium à se, & omne jus, ac dominium transtulerit in Communitatem: eo ipso, quòd acquirit aliquid suâ diligentiâ, vel alio titulo ipsi advenit, illud statim efficitur proprium Communitatis. Et ideo quantùm ad hujusmodi res acquisitas, tenebitur ad restitutionem tàm ipse, quàm persuasor; si per egressum illius Conventus amittat illa bona, sive fuerit fraus, sive non.

Dixi autem de rebus jam acquisitis operâ Monachi. Si enim loquamur de

de rebus acquirendis novâ operâ, & diligentiâ ipsius Monachi; sic neque Religiosus tenebitur, si discedat à Monasterio, ex justitia. Et ratio est: quia acquisitio illorum bonorum fundabatur in opera Religiosi, quæ non erat debita religioni ex justitia, sicut est debita domino operatio servi. Neque ipse persuasor tenebitur (si tamen sinè fraude, & dolo processit) illa bona in spe futura religioni compensare.

XIII. Ad Confirm. neg. conf. Magna enim est disparitas. Qui enim aliquem spoliat membro naturali, infert vim, aut personæ, si invita mutiletur, aut saltem Reipublicæ, si non invita: ideoque contra justitiam peccat. Qui verò absque vi, & fraude à Monasterio retrahit Religiosum, nullam vim infert, nec per se propriè injustitiam committit: nisi fortè Monachus abductus talis esset, ut ex ejus recessu gravia damna imminerent Communitati.

XIV. Dico secundò. Qui per vim, vel fraudem, vel metum abducit aliquem Monachum professum à religione, obligatur ad restitutionem tùm personæ, tùm religioni faciendam. Prob. Qui enim nocet alteri cum injuria, tenetur ad nocumentum illud resarciendum: qui autem sic abducit professum, & ei, & religioni nocet cum injuria, estque causa proxima damnorum, & modis injustitiam constituentibus; quia, & nolentem à religione separat, & nolentem religionem bonis spoliat. Eo igitur modo, quo quis, si per vim, aut dolum spoliaret Ecclesiam bonis ad eam verosimiliter accesuris, teneretur, ad arbitrium viri prudentis eam compensare; ita in casu.

Advertendum tamen, an revera secutum sit damnum. Quòd si Religiosus, qui sic abducitur, facilè tantum consumebat, quantum acquirebat; nulla damnorum restitutio religioni facienda est. Similiter si postquam restitutus est libertati, vel fraudem detexit, etiam ab eripiente monitus, nolit redire; abductor non tenebitur imposterum, sed tantùm pro damno, quod secutum est, fraude durante: nam imposterum non amplius est causa damni. Sic Lessius, *l. 2. c. 8. Dub. 3.*

XV. Dico tertiò. Etiamsi quis per vim, vel fraudem à religione retrahat, aut volentem eam ingredi, aut Novitium, aut professum; non tenetur sic compensare, vel ut ipse eam ingrediatur, vel alium æquè idoneum substituat: sed vi sublatâ, fraudeque detectâ, debet ei reditum suadere; & consideratis qualitate personæ, damnorum quantitate, aliisque circumstantiis, ad arbitrium viri prudentis satisfacere. Quidquid enim sit, an foret de consilio seipsum, in locum retracti, religioni tradere, quod S. Raymundum fecisse aliqui tradunt; de præcepto tamen non esse, certum est. Nam omnia jura statuunt, ingressum in religionem, & votorum solemnem professionem debere esse liberrimam; & priùs sumi per annum experimentum illius, ut possit quis deliberare, an sibi placeat. Et quamvis Ecclesia sæpè homines, ob delicta, in Monasterio recluserit, nunquam tamen eos ad profitendum mulctavit: quòd si ab aliquo Principe factum legitur, id prorsus tyrannicè factum esse censendum est. Quemadmodum enim Christus non trahit ad fidem, nisi volentem trahi: ita non nisi volens ad religionem trahendus est. Unde ex nullo capite, sibi non voluntario, potest quis debitum contrahere, religionem ingrediendi.

XVI. Pro Coronide eorum, quæ hucusque dicta sunt, advertendum est: eos qui virginum, aut aliarum mulierum *Voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sinè justâ causâ impedierint*, anathemate subjici à Tridentino, *Sess. 25. de Regularibus c.* 18. Cæterum quia de adolescentum, seu virorum impedimento censura Tridentini nihil loquitur; idcirco, qui virum à susceptione

ne habitus, vel professione quoquomodo impediret, nulli censuræ obnoxius esset. Sicut nec eidem esset obnoxius, qui adolescentem cogeret ad suscipiendum habitum, vel professionem emittendam; cùm tamen anathemati subjiciantur ab eodem Concilio ibi quicumque, cujuscumque conditionis, vel dignitatis; si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam (præterquam in casibus in jure expressis, c. *De lapsis* 16. *q.* 6. & c. *Gaudemus*, *de Convers. conjugat.* nimirum ad agendum ibi pœnitentiam) ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem. Et ratio est; quia de viris nullam mentionem facit; quia fortè supponit, viros tàm frequenter, & tàm facilè non cogi, aut invitos in Monasteria retrudi, sicut mulieres, præsertim puellas.

DUBIUM III.

De eo, qui Injustè impedit Alterum à Consecutione Officii, Beneficii, vel alterius Boni.

§. I.

Certa Præmittuntur.

I. Supponit dubium præsens, à publico distributore distribuenda esse bona publica; & quòd alter impediat proximum, ne distributor illi conferat illud bonum, sive sit officium, sive beneficium, sive quodlibet aliud. Quæritur ergo: an sic impediens peccet contra justitiam, ita ut teneatur ad restitutionem.

II. Porro: ut viam aperiam resolutioni, suppono primò: dupliciter posse ab aliquo sperari aliquod officium, beneficium, aut aliud commodum. Primò: ita ut nullum jus habeat ad illud; sed ex sola alterius liberalitate, & voluntate esset ei conferendum. Secundò: ita ut habeat jus ad illud, vel in re, vel ad rem; quia ipsi ex justitia debetur.

III. Suppono secundò: posse aliquem ab assecutione boni sperati alium impedire, vel injustè; quia absque justa causâ illum retrahit à consecutione talis boni; vel justè; quia ex justa causâ illum retrahit. quia nimirum, vel indignus est, vel inhabilis.

IV. Suppono tertiò: posse aliquem impedire à consecutione boni sperati; vel hortando distributorem, ne illud ei conferat, & etiam ipsum sperantem, ut à prætensione talis officii recedat: vel dolo, fraude, minis, aut violentiâ impediendo, ne distributor ei conferat, vel, ne alter ad officium obtinendum se præsentet.

V. Certum est, quòd qui justè impedit aliquem à consecutione boni sperati, non tenetur ad restitutionem. si hoc faciat precibus, vel suasione; quia indigno, qui in hoc casu impeditur, nulla fit injuria: cùm nullum jus habeat ad tale officium, nec distributor justè possit illud ei conferre. Imò etiamsi eodem modo impediret, ne beneficium conferretur digno, in concursu tamen dignoris. Tùm quia contra intentionem Ecclesiæ est, aut Reipublicæ conferre beneficia digno, omisso dignori. Tùm quia non violatur aliquod jus: non enim dignus jus habet, ut ei conferatur beneficium, in concursu dignioris. Si ergo aliquis, zelo honoris Dei, vel utilitatis Ecclesiæ, aut Reipublicæ, impediat modo dicto indignum à consecutione beneficii, ut conferatur digno; vel etiam dignum, ut conferatur dignori, justè facit, nec ad aliquod tenetur. Sic S. Tho. hac *q.* 62. *a.* 2. *ad* 4. dicens: *Aliquis potest impedire aliquem, ne habeat prabendam multipliciter. Uno modo justè, puta, si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ procuret, quòd detur alicui personæ dignori. Et tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel ad aliquam compensationem faciendam.*

Idem dicito, etsi non ex zelo hono-

ris

ris Dei, sed vel ex odio, aut vindictâ indignum, vel minus dignum à consecutione impedierit: quia licet iste peccet contra caritatem, non tamen contra justitiam. Nam, ut ait Bannez in hanc qu. 62. a. 2 Dub. 12. restitutio non obligat, propter solum malum animum inique operantis, sed propter damnum reverà consecutum; ad cujus contrarium habebat bonum jus ille, qui impeditus est. Quare intentio nocendi, si non fit secutum opus contrarium justitiæ, non inducit onus restituendi: in hoc enim consideratur quo jure aliquid fiat, non quo animo. Animus enim nocendi est contra caritatem, sed non est contra justitiam; nisi accedat opus justitiæ repugnans, quod in casu non contingeret. Ubi adverte, quòd etsi qui malo animo aliquem impedit, justè non operetur; idest, non sine peccato, sumtâ justitiâ, ut virtus generalis est, quomodo qui sine peccato est, justus dicitur: non tamen operatur injuste, idest, contra justitiam, ut virtus specialis est, & dicit, unicuique jus suum in re tribuendum esse.

VI. Certum etiam est, quòd qui non fuit causa efficax impediendi digniorem, puta, quia collator determinatus jam erat ad illud ei non conferendum, ad nullam restitutionem tenetur: quia non fuit reverà causa efficax talis damni. Sicut etiam certum est, quòd nulli obnoxius est restitutioni, qui impedivit alium, nullam habentem spem consecutionis talis boni; etiamsi vi fraude, ac dolo, nedum suasione, id egerit: quia solùm secundùm æstimationem spei æstimatur jus, & consequenter obligatio restituendi in eo, qui impedivit. His prænotatis.

§. I.

Resolutio Prior.

VII. Dico primò. Qui impedimentum efficax ponit, ne aliquis consequatur officium, seu beneficium, ad quod habebat jus, vel illi ex justitia debebatur; sive hoc faciat vi, fraude, aut dolo, sive solùm puro consilio, aut suasione, vel donis, tenetur restituere: & quidem totum, si collator jam erat firmiter determinatus ad illud ei conferendum: & si non erat ita firmiter determinatus, tenebitur restituere, vel compensare secundùm æstimationem spei, quam habebat ad illud recipiendum, secundum prudentum arbitrium. Ita S. Tho. hac q. 62. a. 2. ad 4. ubi loquens de impediente injustè: *Et tunc* (inquit) *si impedit, ne prabenda detur digno, consulens, quod non detur, antequam sit firmatum, quòd ei detur; tenetur quidem ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotii secundùm arbitrium sapientis, non tamen tenetur ad aquale: quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si verò jam firmatum sit, quòd alicui detur prabenda, & aliquis propter indebitam causam procuret, quòd revocetur, idem est, ac si jam habitam ei auferret: & ideo tenetur ad restitutionem aqualis, tamen secundùm suam facultatem.*

VIII. Probatur etiam ratione. Qui enim vi, fraude, aut dolo impedivit aliquem à consecutione illius, ad quod jus aliquod, vel consummatum habebat, vel saltem inchoatum, injuriam ei facit; non solùm quia illum privat re, ad quam jus habebat, sed etiam quia violat jus, quod habebat, ne fraude, dolo, aut minis impediretur: qui verò solâ suasione, & consilio impedivit, peccavit etiam contra justitiam commutativam, imò & distributivam. Quia cùm collator ex utraque justitiâ teneatur distribuere (ut dicetur) qui suasione, aut consilio illum avertit à justa collatione; concurrit etiam ad talem injustam negationem, quâ alius privatur jure, quod habebat ad talem rem consequendam, vel certum, vel probabile; ergo tenetur secundùm quantitatem juris compensare, sive in totum, sive ex parte.

IX. Idem assero, si quis, secluso etiam dolo, minis &c. solâ suasione abdu-

duxit collatorem beneficii Ecclesiastici à conferendo beneficio dignori, cui vel jam determinatus erat, aut saltem dispositus conferre. Estò enim quidam sentiant, tùm Collatorem, tùm suasorem peccare quidem mortaliter, ob infidelem dispensationem, & personarum acceptionem, & contra debitam intentionem Ecclesiæ, non tamen teneri ad restitutionem, si cæteroquin conferatur non indigno: probabiliùs tamen censeo, utrumque etiam ad restitutionem teneri, vel dignori, qui privatus fuit, vel Ecclesiæ, quæ privata fuit illius servitio, vel utrique. Et quidem in totum, si collator beneficii erat determinatus ad illud ei conferendum: vel secundùm æstimationem sapientis, si licèt collator nondum esset determinatus, probabiliter tamen erat illi collaturus. Restitutionis tamen obligatio priùs afficit collatorem, deinde suasorem: quare si collator restituat, puta, conferendo ei aliud æquale beneficium, suasor ad restitutionem non obligatur. Hæc dicta sint de eo, qui impedit collatorum.

X. De eo verò, qui averteret ipsum prætensorem à petendo beneficio, ut daretur minus digno, dico: quòd, vel id faceret solis precibus, aut suasione, illum hortando, ne beneficium peteret: & sic nulli obnoxius fieret restitutioni, quia non obstante tali adhortatione, adhuc liber est ad petendum; & si à petendo abstinet, hoc ex voluntate suâ facit: volenti autem, & consentienti nulla fit injuria — Vel id faceret minis, vi, aut fraude, ac dolo: & si hoc modo averteret à prosequenda petitione præbendæ, quam cæperat, & ad quam jus acquisierat; injustè impediret, ne jure suo utatur, & teneretur ad restitutionem: quia etsi non habeat strictum jus ad præbendam, habet tamen jus ad eam petendam: & insuper habet jus, ne quis eum vi, vel fraude, ac dolo ab ea petendâ impediat. Eâdem ratione quando duo, vel plures pro aliquo beneficio concurrunt; si unus socium suum à concursu suasione, vel precibus à concursu dehortetur, & iste consentiat, ad nihil tenetur. Si verò fraude utatur, puta, moram in itinere ei inijciendo; schedulam, quæ ad publicandum concursum valuis affigi solet, vel retinendo, vel ei occultando, quo fiat, ut alteri dies examinis, seu concursus non innotescat; vel etiam apud collatorem, vel examinatores eum infamando: tenebitur eidem restituere, non solùm famam, & honorem, sed etiam expensas eâ causâ factas, & beneficium illud, si verosimiliter eum fuisset habiturus, vel ad equalitatem, vel ad prudentis viri arbitrium compensare.

§. III.

Solvuntur Contraria, & Statuitur quam Justitiam teneatur Collator servare in Conferendo.

XI. OBjicies primò. Ipse distributor, si iniquè distribuat, & prætermisso dignore, conferat beneficium minus digno, imò etiam indigno, non tenetur ad aliquam compensationem faciendam; ergo multò minus qui eum induxit. Quia quando causa principalis alicujus injustæ actionis non tenetur ad restitutionem, multò minus tenebitur causa minus principalis. Ant. probatur. Quia qui sic iniquè distribuit, peccat contra justitiam distributivam: sed qui contra justitiam distributivam peccat, non tenetur ad restitutionem; ergo &c.

XII. Hæc objectio tangit gravem quæstionem: an distributor ex eo, quòd peccat contra justitiam distributivam præcisè, teneatur ad compensationem; in qua resolvendâ divisi sunt Doctores. Stando tamen in superiùs dictis, nego, quòd distributor, si in distributione violet solam justitiam distributivam, teneatur ad restitutionem. Pro quo noto, quòd distributor potest esse, vel absolutus dominus bonorum, quæ distribuit, vel solùm minister deputatus à Communitate, vel Ecclesiâ, ut bona

na illius dispenset. Distributor ergo dispensans bona, ut dominus, exercet in dispensando solam justitiam distributivam; ideoque etiamsi minus dignis distribuat, nulli restitutioni obligatus existit. Et ratio est: quia facit de suo, quod vult, neque tenetur aliunde ex justitia commutativâ rectè exercere officium distributivæ. Exemplum sit in Rege, qui de suo patrimonio velit militibus aliquod beneficium dispensare. Tunc enim si minus dignis majora conferat; quia deficit soli justitiæ distributivæ, non tenebitur ad restitutionem. Id clariùs patet in Deo, qui etsò quia sic promisit, redditurus sit cuique secundùm opera sua, ne desit suæ fidelitati, ac veracitati: absolutè tamen, quia supremus Dominus est, posset majori merito ornatis minus præmium conferre.

Verùm qui bona publica dispensat tanquam minister Communitatis, id facit, non solum ex justitia distributivâ, sed etiam ex commutativa inter ipsum, & Communitatem: intercedit enim inter ipsum, & Communitatem tacita conventio, ut Communitas ipsum alat, ipse autem justè bona Communitatis dispenset. Quare si injustè, sciens, & volens in hujusmodi dispensatione se gerat, peccat nedum contra justitiam distributivam, sed etiam contra commutativam; & sic obligatur ad compensationem, vel Communitati, vel particulari dignori, quem neglexit, non ex debito justitiæ distributivæ præcisè, sed commutativæ in ipsa inclusæ. His statutis

XIII. Respondeo ad argum, dist. ant. distributor &c. Si distribuat, ut dominus, & ex pura justitiâ distributivâ, conc. ant. Si distribuat, ut minister, & etiam ex justitia commutativâ, nego ant. Si ergo distributor, qui non est dominus, iniquè distribuit, tenebitur ad compensationem: quia ex justitia commutativâ tenetur distribuere secundùm voluntatem domini. Sicut si Eleemosynarius regius, conductus ad dispensandas eleemosynas, iniquè eas dispensaret, & contra voluntatem Regis; teneretur restituere, vel ærario regio, vel illis, quibus subtraxit. Teneretur, inquam, non purè ex justitia distributivâ, sed ex commutativa. Hinc quia Principes terreni, sive laici, sive Ecclesiastici Pastores sunt veluti ministri Communitatis, & Ecclesiæ; si injustè bona publica dispensent, peccant contra justitiam etiam commutativam, & ex hac restituere tenentur.

XIV. Quòd si distributor ipse tenetur ex justitia commutativâ justè dispensare bona communia; ita ex eadem justitiâ tenetur quilibet non impedire, ne distributio rectè, & justè exerceatur: debito, inquam, orto tùm ex voluntate Communitatis ita volentis, tùm ex jure particularis hominis, si sit dignior, ad talia bona. Ideoque qui, etiam præcisâ fraude, impediret, ne daretur beneficium dignori; faceret quidem expressè contra justitiam distributivam, sed tamen teneretur ad restitutionem; quia virtualiter læderet justitiam commutativam, ex qua tenetur quisque non impedire jus alienum: qui autem dignior est, jus habet ad beneficium, tùm respectu distributoris, qui tenetur illud conferre digniori; tùm adversùs quemcumque, ne à consecutione illius impediatur. Ideoque sic consulens, & rogans distributorem, ne distributionem rectè exerceat, peccat idem peccatum, quod peccat distributor, etiam contra justitiam commutativam. Sicut qui suaderet ministrum, ne daret eleemosynam secundùm voluntatem domini; teneretur & ipse, pauperem, quem defraudavit, compensare.

XV. Hæc tamen omnia intelligenda sunt de eo, qui ad beneficium acquisierat jus; vel quia collator jam erat determinatus, aut dispositus ad illud ei conferendum; vel quia in examine, vel concursu se probaverat digniorem: nam ante tale experimentum sentiunt aliqui non violari justitiam commutativam, cùm nemo eorum jus strictè tale acquisierit. Quapropter si aliquis, etiam sine vi, & fraude, sed so-

lis

lis precibus impediat, ne beneficium conferatur cuiquam eorum, qui examini sese præsentarunt, & fuerunt idonei reputati; vel, ut detur ei, qui minus idoneus reputatus fuit: tàm suasor quàm collator peccabunt contra justitiam, & restitutioni erunt obnoxii. Ratio autem est: quia sunt causa damni, quod Ecclesia patitur ex eo, quòd non habeat beneficiarium dignissimum, quem poterat habere. Nam beneficia sunt principaliter instituta propter utilitatem Ecclesiæ, ut docet S. Thom. hàc 2. 2. q. 63. a. 2. ergo illi, qui ex officio sunt dispensatores beneficiorum, tenentur ea dispensare in Ecclesiæ utilitatem: sed qui, prætermissis dignioribus, assumunt minus dignos, non dispensant in utilitatem Ecclesiæ; ergo si quid damni in Ecclesiam inde proveniat, ad illius compensationem manent obligati, tanquam peccantes contra justitiam commutativam, ex qua tenentur Ecclesiæ providere de optimis ministris.

XVI. Sed quæres: cuinam tenentur restituere? Dignioribus prætermissis, an Ecclesiæ?

Variè circa hoc discurrunt Doctores. Quidam censent, injustum collatorem teneri compensare damnum, nedum Ecclesiæ, sed & ipsis dignioribus prætermissis. — Alii volunt, teneri solùm ad restitutionem faciendam Ecclesiæ. Quia respectu illorum digniorum collator violat solam justitiam distributivam: nec enim beneficia debentur dignioribus ex justitia commutativâ, tanquam res sua, vel illis stricto jure debita: alioquin minus dignus teneretur ex justitia relinquere beneficium sibi collatum, statim, ac sciret, prætermissum fuisse digniorem, & collator ex justitia teneretur in hunc illud transferre. Eo modo quo illi, cui à Judice adjudicatus fuit fundus, qui ex justitia debetur Petro, statim ac sciret veritatem, deberet illud tradere Petro.

XVII. Quidquid tamen sit: mihi probabilius videtur, quòd si beneficium conferri debet per concursum, & ille, qui dignior judicatus fuit, prætermittatur, ut minus digno adjudicetur; aliqua compensatio etiam digniori prætermisso fieri debeat. Quoniam Ecclesia statuens beneficia conferri per concursum, videtur ea promisisse illi, qui in concursu dignior fuerit probatus; qui propterea jus proximum ad illud videtur acquisivisse. Ita sentiunt Lessius, Malderus, & alii.

XVIII. Objicies secundò. Ut propriè dicatur restitutio, necesse est, ut aliquis sit dejectus à dominio, vel possessione rei suæ: ut enim docet S. Thom. hàc q. 62. a. 1. restituere nihil aliud est, quàm *Iteratò aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ*: sed ille, qui impeditur à consecutione ejus, quod nondum habet, puta beneficii, non est dejectus à possessione, vel dominio rei suæ; ergo &c.

XIX. Respondeo, neg. absolutè min. Nam dignior, qui impeditur à consecutione beneficii, quod vel erat ei firmatum, vel collator erat dispositus ei conferre; vel impeditur vi, aut metu, vel fraude, ac dolo: & sic privatur jure suo, nempe libertatis, vel cognitionis veritatis, vel etiam famâ, quæ omnia actu possidet: & ideo qui sic impedit, tenetur ad omnia damna inde consecuta. Vel impeditur consilio, aut suasione: & sic aufertur illi, quod licèt non esset suum actu, erat tamen in promtu, ut esset suum secundùm voluntatem domini, nempe Reipublicæ, vel Ecclesiæ, quæ vult, ut bona sua digniori dentur: ideoque qui sic impediret collatorem, injustè ageret contra justitiam distributivam, & etiam commutativam. Neque enim solus ille privatur re suâ, qui exuitur eâ, seu ejus rei possessione, quam aliquando actu, & de facto obtinuit; sed etiam is, qui impeditur, quo minùs consequatur id, quod est ei, vel promissum, vel legatum, ad quod jus habebat.

XX.

XX. Objicies tertiò. Ipsemet oppositor, qui petit beneficium simul cum aliis, quos cognoscit digniores se, illos injustè impedit à consecutione præbendæ, si sibi conseratur: & tamen si ei conseratur, ad nullam tenebitur restitutionem; ergo neque, qui suasit, ut illi conferretur.

XXI. Respondeo, neg. maj. Cùm enim nemo sit rectus judex suorum meritorum, si, cæteroquin se dignum judicans, cum aliis, quos existimat digniores se, concurrat, licitè operatur; quia nil aliud facit, quàm proponere sua merita, ut per Judices discutiantur: neque ipse tenetur docere electores, quòd non sit dignior, sed ipsi ex officio tenentur examinare. Addo: quòd sæpè qui minus dignus est in oculis suis, respectu Communitatis dignior est. Quod si certus sit, alterum esse notabiliter magis idoneum, vel se indignum, graviter peccat, se offerendo, & multò magis acceptando. An verò teneatur ad restitutionem ipse, an collatores: si usus non fuit vi, dolo, aut fraude, collatores censeo teneri, qui contra justitiam indignum, vel minus dignum digniori prætulerunt; non ipsum.

XXII. Objicies quartò. Qui hortatu, vel consilio induceret aliquem, ne daret eleemsyonam pauperi, vel ne relinqueret hæreditatem, aut legatum, vel aliam liberam donationem; non teneretur ad ullam restitutionem faciendam ei, quem impedivit; quia impeditus nondum erat assecutus illud beneficium, sed potiùs assecutio pendebat ex libera voluntate donatoris: sed hoc ipsum contingit in casu; ergo &c.

Respondeo, neg. min. Quia gratuitum donum cùm non debeatur ex justitia; ideo sic impediens, non facit injuriam impedito. At officium publicum debetur ex justitiâ, etiam commutativa, ei, qui dignior est; & maximè si collator jam firmatus erat, vel dispositus illud ei conferre: unde impediens, injustè impedit.

XXIII. Sed dices. Collator beneficii potest mutare voluntatem, quamdiu beneficium non est collatum, absque onere restituendi; ergo potest impediri is, qui erat habiturus, absque tali onere.

Respondent aliqui, conc. totum; si tamen is, qui impedivit, vi, fraude, aut dolo usus non fuit. Attamen cohærenter ad dicta dico, tàm injustè agere collatorem, qui jam dispositus conferre digno ri, mutat voluntatem, & confert minus digno; quàm eum, qui ad id faciendum eum suasit. Sicut si paratus ad non furandum, alterius consilio mutet voluntatem, ac furetur; tenetur restitutioni & ille qui furatus est, & ille, qui consilium dedit.

XXIV. Objicies quintò. Fraus, & dolus non potest inducere obligationem restituendi: quoniam animus impedientis, benè, vel malè affectus, nihil confert ad rationem injuriæ, quæ ex damno dato pensatur — Tùm etiam: qui utitur fraude, vel dolo potest impedire dignum, ut detur digniori: at in hoc casu nulla injustitia committitur; ergo &c.

Respondeo, fraudem, & dolum semper secum trahere injustitiam, & obligare ad restitutionem, vel ratione injuriæ, vel ratione damni. Estò namque animus benè, vel malè affectus, quo quis procedit ad operandum, non semper obliget ad restitutionem; non tamen liberat â restitutione. Si ex malo animo nocumentum reverà inferatur, obligat ad restitutionem. Si verò fraus, & dolus lædit præcisè jus, quod alter habet, ne decipiatur, nec aliud nocumentum affert; relinquit saltem obligationem tollendi fraudem. Ideoque si dignum, vel minus dignum quis fraude, dolo, aut vi impedivit, ut procuraret pro digniori; estò nil ei teneatur pro beneficio, tenetur tamen pro fraude, & mendacio restituere illi famam suam; aut pro vi, & minis iteratò illum ponere in sua libertate.

§. IV.

Resolutio Posterior, & Quædam Consectaria.

XXV. Dico secundò. Qui impedivit proximum à consecutione boni, quod nullo modo ipsi debitum erat, sed erat in proximo, ut illi relinqueretur: si vi, fraude, ac dolo illum impedivit, tenetur secundùm æstimationem probabilitatis, & spei illum compensare: si verò id fecit solum suasione, aut precibus, aut consilio, ne illi tale bonum conferretur, ad nullum tenetur. Ratio primi est. Quia licèt non haberet jus ad tale bonum; habebat tamen jus, ut nemo vi, fraude, aut dolo impediret benefactorem, quominùs impenderet illi bonum, quod volebat impendere; & ne dolo auferret alterius voluntatem, ex qua solâ poterat bonum sperare. — Ratio secundi est. Quia sicut collator poterat pro suâ liberâ voluntate tale donum illi conferre, vel non; hoc ipso, quòd voluntas collatoris relinquitur libera, nulla injuria irrogatur alteri, si bonum, cæteroquin indebitum, illi impediatur: cùm ergo preces, suasiones &c. relinquant voluntatem collatoris plenè liberam, fit inde, ut non teneretur ad restitutionem, qui sic impediret.

XXVI. Et hoc quoque verum est, ajunt Lessius, Lugo, & alii, etiamsi id fieret, detegendo (secretò tamen) collatori, aut iis, quorum interest, aliquod crimen occultum, sed verum; quo quis à consecutione impediretur. Jus enim est, quando de dispensatione aliquâ tractatur, ut manifestentur ea, quæ hominem reddunt minus idoneum; & ob id solent in similibus casibus requiri informationes occultæ. Si tamen delictum occultum adeo imprudenter publicaretur, ut inde sic impedito resultaret infamia; peccaret mortaliter, qui sic ageret, & damnum infamiæ teneretur resarcire, & etiam bonum, quo alter privatur, ob talem injustam publicationem; si tamen colator, ob infamiam, moveretur ad negandum illi tale bonum: secus si moveretur ob defectum in se, sive publicatum esset, sive non.

XXVII. Hinc infertur primò. Quòd qui impedivit implementum promissionis factæ, & acceptatæ, etsi hoc fuerit absque vi, fraude, aut dolo, tenetur ad restitutionem; quia qui promissionem factam acceptavit, jus habebat ad rem, & injustè fuit negata, & injuste impedita — Si verò promissio erat quidem facta, sed nondum acceptata; qui absque fraude, & dolo ejus implementum impediret, ad nil tenetur: quia ex libera promittentis voluntate pendebat, eam implere, quæ præcibus, suasione, & consilio non fuit violentata.

XXVIII. Infertur secundò. Quòd qui fraude, aut dolo avertit alium, ne pauperi, cui volebat dare, eleemosynam conferat, dicendo, eum non esse pauperem, qui pauper erat; vel imponendo illi crimina, quæ non habebat; teneretur ad restitutionem: secus verò si solis precibus, aut suasione id fecit, quia pauper nullum habebat jus, & voluntas collatoris libera mansit.

XXIX. Infertur tertiò. Quòd qui moribundo volenti relinquere legatum Petro, vel eum hæredem instituere, absque dolo, & fraude suasit, ut potiùs sibi, vel amico tale legatum, vel hæreditatem relinqueret; vel, ut testamentum, in alterius utilitatem factum, rescinderet, & aliud in favorem sui ederet; vel alterius, nec peccat, nec obnoxius est restitutioni. Quia in casu nullum jus supponebatur ad tale legatum, aut hæreditatem, nisi in voluntate testatoris, quàm poterat mutare; & qui precibus, aut consilio induxit, sinè fraude &c. testatorem ad voluntatem mutandam, eam omnino liberam reliquit.

Excipe tamen casum, quo quis habe-

benti filios, aut alios jure sanguinis sibi conjunctos, ac egentes, suaderet, ut his omissis sibi, vel alteri, aut etiam Ecclesiæ relinqueret: is enim graviter peccaret, & fortè etiam injuriam passis compensare teneretur. Hinc celebre est S. Augustini dictum, Serm. 4. de diversis, modò Serm. 355. c. 4. *Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: imò Deo propitio neminem inveniat. Quàm laudabile factum Sancti, & venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis, quomodo implevit omnibus, qui sciunt, os laudibus Dei? Quidam cùm filios non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii, & reddidit Episcopus, nec opinanti, quæ illi donaverat. In potestate habeat Episcopus non reddere: sed jure fori, non jure poli.* Hæc attendant Confessarii, ac Religiosi, qui pœnitentibus suis testamenti condendi auctores, vel consiliarii sunt.

Hoc tamen casu excepto, vel similibus, prohibitum est dehortari testatores à legatis faciendis Ecclesiis matricibus. Ita *Clementina*: *Religiosi, de Privilegiis*, sub interminatione maledictionis æternæ prohibetur Religiosis, ne *A legatis Ecclesiis matricibus faciendis retrahant testatores*. Si tamen quis secus ageret, peccaret quidem, sed non contra justitiam: imò nec peccaret, si zelo salutis animæ testatoris eum retraheret, eum hortando, ut potiùs, quàm pia legata condat, satisfaciat iis, quibus ex justitia, vel caritate tenetur.

XXX. Quæres tamen primò: An si quis, absque vi, & fraude quidem, sed malo tamen animo, odio, & vindictâ, ut illi damnum faceret, persuaserit alteri, ut ne bonum indebitum alteri conferret; ad restitutionem teneatur?

Certum est, qui hoc animo agit, peccare mortaliter contra caritatem: an verò peccet etiam contra justitiam, dubitatur. Communior sententia est negativa: quia injustitia non pensatur ex animo, sed ex facto externo. In hoc autem casu, estò animus sit iniquus, factum tamen non est contra justitiam; quia supponitur, bonum illud, quod impedivit, non esse debitum: & consequenter qui impeditur, nullum habere jus, nisi in voluntate dantis, quam dator mutavit liberè.

XXXI. Scio, in contrarium afferri S. Tho. hîc q. 62. a. 2. ad 4. ubi dicit, teneri ad restitutionem illum, qui impedit: *Si intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam* — Sed S. Thomas loquitur de eo, qui habet aliquod jus ad bonum distribuendum: nam loquitur de digniori concurrente ad præbendam, quam distributor, vel erat jam determinatus illi conferre, vel probabiliter illi erat conferenda. Casus autem præsens supponit, personam malo animo impeditam nullum jus habere ad rem, quâ privatur: ideoque sic impedientem, peccare quidem contra caritatem, sed non contra justitiam, nec ad ullam compensationem teneri.

XXXII. Quæres secundò: An qui precibus, aut consilio, absque vi, & fraude, impedit, quò minus bona communia ordinata ad singularum personarum utilitatem, illis applicentur; teneatur ad restitutionem. Sit casus. Est distribuendum ærarium publicum inter Cives; vel centum aurei ex illo sunt erogandi in utilitatem pro qualitate meritorum: datur fundatio piè distribuenda inter plures virgines illius Urbis: se offerunt civis, vel puella habentes requisita ad participandam talem distributionem, vel dotationem: tu precibus obtines, ut eum, vel eam omittat, & bonum illud, vel dotationem det alteri: teneris ne ad restitutionem?

XXXIII. Respondendum est sub distinctione. Nam vel electio illius, cui tale bonum est distribuendum, pendebat solùm ex voluntate distributoris: & in hoc casu, si absque vi, & fraude im-

impedias, vel civem particularem à consecutione bonorum, ex ærario distribuendorum, vel puellam à consecutione dotis; ad nullam restitutionem teneris: quia nullum jus habebant ad donum illud, quod solùm debebatur Civi, aut virgini pauperi à distributore spontè eligendę.

Si verò fundatio illa pia (idem dic de ærario) esset distribuenda inter tales puellas hujus familiæ, vel habentes tales qualitates; & tu aliquam illarum impedias, etiam absque fraude, ac dolo, vel vi, ut detur alteri easdem qualitatis non habenti; ad compensationem teneris, imò & ipse distributor; quia talia bona tenetur inter illas distribuere ex justitia, nedum distributivâ, sed & commutativâ: cùm singulæ habentes requisita jus habeant ad talia bona, ex voluntate testatoris. Sicut pauper, suppositâ voluntate domini, habet jus ad eleemosynam, sic, ut si distributor eam illi non daret, teneretur restituere.

DUBIUM IV.

De Eo, qui Læsit aliquem in Bonis Corporis, vel eum Occidendo, vel Mutilando.

§. I.

An Teneatur ad Restitutionem pro Læsione Personali?

I. DUo mala considerari possunt in hujusmodi læsionibus, seu duo damna: unum personale, estque ipsa ablatio vitæ, seu abscissio membri à persona, quæ læditur: alterum, quod consequitur ex ipsa læsione, puta, damnum filiis, & ejus familiæ, ex ejus morte, expensæ faciendæ in curatione, lucrum cessans, damnum emergens ei, vel hæredibus. Hic quærimus: an læsor teneatur satisfacere pro primo damno; acturi postea, an teneatur pro secundo.

II. Certum est, privatum hominem auferendo vitam, vel membrum ab alio homine, peccare contra justitiam commutativam: quia homo habet jus, ne sibi auferatur vita, vel in aliquo corporis sui membro lædatur. Licèt enim non sit dominus vitæ suæ, ac membrorum; est tamen dominus usus suæ vitæ, & membrorum: ideoque qui tali usu eum privat, gravem ei facit injuriam, & peccat contra justitiam commutativam. Sed hìc insurgit difficultas. Cùm enim vita semel erepta, aut membrum semel recisum, non possit in se restitui, dubitatur: an occidens, vel mutilans, teneatur aliâ viâ ipsum ex justitia compensare.

III. Scotus sentit, legitimam satisfactionem pro homicidio esse pœnam à Judice infligendam. Quod si hoc non contingerit (Non enim tenetur occisor spontè se Judici plectendum tradere) debet ipse occisor exponenere se periculo mortis in bello justo, pro Ecclesię pace contra Infideles: quod si hoc non fuerit possibile, tenebitur Sacrificiis, & orationibus juvare animam defuncti; satisfactionem verò pro mutilatione, ait, esse faciendam pecuniis. Quid autem sentiamus, sequentibus exponemus.

IV. Dico primò. Quando occisor, vel mutilator justam à Judice pœnam luit, nulla est alia restitutio, vel compensatio facienda pro damno personali, sive in exteriori, sive in interiori conscientiæ foro. Probatur. Nam pœna judicialis non solùm imponitur, ut satisfiat Reipublicæ, sed ut etiam proximo pro injuria illatâ; & ideo mitiùs agunt judices cum illis reis, quibus ab adversa parte injuria est condonata.

V. Confirmatur. Si ultra pœnam à judice inflictam pro damno personali, alia satisfactio superesset; deberet hæc à Judice reo intimari, ut per illam satisfaceret etiam parti læsæ: sicut quia fur per pœnam solùm satisfacit Reipublicæ, non parti læsæ; ultra pœnam inflictam à Judice, obligatur etiam restituere bona, quæ furatus est, & declarare, ubi sint illa bona, ut restituantur. Cùm ergo homicida, vel muti-

mutilator, etiamsi post pœnam dimittatur, non injungatur ei obligatio ad resarciendam injuriam pro læsione personali; dici debet, ad eam non teneri: quia sententia Judicis confert jus in conscientia, sive ligando, sive absolvendo. Et ratio etiam est. Nam factâ solutione in simili, vel æquivalenti, homicida pro damnis personalibus plenè satisfecit. An verò etiam post pœnam damna realia sint compensanda, dicetur infra.

Sed quid dicendum, si occisor, vel mutilator nullam à Judice pœnam subeat? Tenebitur ne injuriam personalem in alio genere compensare? Duplex est opinio, & utraque probabilis, ac in conscientia secura: negativa nimirum, & affirmativa. Tutiorem tamen, & veriorem censeo affirmativam, &

VI. Dico secundò. Occisor, aut mutilator, qui pœnâ à Judice inflictâ non satisfecit, tenetur ex justitia ad aliquam satisfactionem, vel compensationem pro injuria personali. Ita sentit S. Tho. tùm *in 4. dist. 15. q. 1. a 5. quæstiunc. 2.* dicens: *Si aliqua sunt ablata, quæ omnino restitui non possunt, sufficit voluntas restituendi cum tanta restitutione, quanta possibilis est, secundùm conditionem utriusque, ad arbitrium bonorum.* Et cùm sibi objecisset damna in personam commissa, puta, ablationem virginitatis, vel abscisionem membri; respondet, ibi ad 2. *In his, quæ objectio tangit, quæ non possunt ad simile bonum restitui, debet fieri restitutio, quantum possibilis est, scilicet, ad arbitrium bonorum.* Tùm hâc *q. 62. a. 2. ad 1.* his verbis: *Quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta, cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ, secundùm arbitrium boni viri.* Loqui autem S. Doctorem de debito strictæ justitiæ, ex eo constat; quia in eo art. agit de eo, quod quis debet facere, tanquam sibi necessarium ad salutem. Neque loquitur de damno consequente, ut expensis, lucro cessante &c. sed de damno personali; nempe, de recompensando id, quod ablatum est, puta, membrum, vel vitam, eo quòd non possit, vel ipsum, vel ei æquale restitui.

VII. Cum S. Tho. sentiunt Hadrianus *Qu. ultimâ, de Rest.* Richardus in *4. dist. 15.* Soto, *l. 4. de Just. & jure q. 6. a. 3.* Salon, Valentia, & alii. Idemque videtur sensisse S. Anselmus, *l. 1. cur Deus homo c. 11.* his verbis: *Sicut qui lædit salutem alterius, non sufficit, si salutem restituit, nisi pro illata doloris injuriâ recompenset aliquid: ita qui honorem alicujus violat, non sufficit honorem reddere, si non secundùm exhonorationis factam molestiam, aliquid, quod placeat illi, quem exhonoravit, restituat.* Ex quo infert, quòd qui peccando Deum exhonoravit, debet secundùm exhonorationis modum Deo satisfacere.

VIII. Nec desunt rationes. Primò. Nam corpus æstimatur vilius post mutilationem, vel deformationem, quàm ante; ergo, ut ad aliquam æqualitatem veniatur, facienda est aliqua compensatio. — Secundò. Circumscriptis omnibus damnis realibus, is, qui injustè occidit, aut mutilat, lædit justitiam commutativam; ergo de necessitate salutis est, ut, quantum possibile est, restituat. — Tertiò. Quantò plus aliquem damnificavit, tantò magis tenetur ad restitutionem: sed bona corporis excedunt bona externa; ergo si qui læsit in bonis externis, tenetur restituere, & si non possit idem, vel æquale, saltem quantum potest: aliàs plus teneretur qui ovem alterius, quàm qui alterius vitam occidisset; ergo &c.

IX. Sed dices primò. Restitutio est facienda domino rei: atqui homo non est dominus vitæ suæ, aut membrorum, sed Deus; ergo &c.

Respondeo, neg. maj. Nec enim restitutio soli domino facienda est, sed interdum etiam eius custodi, vel rei usum habenti, si injustè gravetur. Cùm ergo homo, etsi non habeat dominium vi-

ræ suæ, ac membrorum, habeat tamen custodiam, usum, & possessionem: ideo si injustè illa auferantur, sicut non fit injuria soli Deo, sed ipsi homini; ita non soli Deo facienda est compensatio, sed ipsi læso. Et sicut si alicui injustè eriperetur justus usus domus, deberet ei fieri restitutio usus; vel, si fieri non posset, saltem injuria compensari: ita in casu.

X. Dices secundò. Qui debet aliquam summam pecuniæ, nec habet unde reddat, jure naturæ manet liber ab obligatione restituendi, neque tenetur ad aliam compensationem faciendam: sed qui alium occidit, vel mutilavit, non post corporale damnum, quod intulit restituere; ergo jure naturæ &c.

Confirmatur. Parochus, qui injustè recusavit ministrare Sacramentum morienti, peccavit contra justitiam, quâ ex officio tenebatur, & quâ infirmus habebat jus exigendi: & tamen cùm non possit hujusmodi injuria per æquale compensari, nemo dicit, Parochum teneri compensare per alia bona inferioris ordinis, puta, pecuniam, orationes, Sacrificia; ergo &c.

XI. Respondeo, quòd pecunia ad hoc inventa est, ut sit mensura commutationum, & compensationum in rebus temporalibus: unde si quis non habeat pecuniam, nec aliquid pecuniâ æstimabile, ideo fiet ordinariè liber. At estò quis non possit reddere vitam, aut membrum; potest tamen habere alia, quibus possit aliqualem facere compensationem, ut docet S. Tho. laudatus. Addo: hanc instantiam nobis favere. Nam sicut si quis alium damnificaverit in multis centenis millibus florenorum, neque unquam sit futurus sufficiens ad eos, sive in æquivalenti refundendos: non erit propterea immunis à restitutione faciendâ, sed debet recompensare, secundùm quod erit ei possibile: ita in casu præsenti.

XII. Ad Confirm. vel dico, ministrationem Sacramenti injustè à Parocho negatam moribundo, non posse compensari, nec per æquale, nec per æquivalens; ideoque per accidens excusatur à compensatione. Vel dico, non esse improbabile, præfatum Parochum teneri ex justitia compensare injuriam orationibus, & Sacrificiis pro anima defuncti.

XIII. Dices tertiò. Hæres homicidæ tantùm tenetur ad compensationem damni realis, ut dicemus; ergo nec homicida ad amplius tenetur. Cùm enim obligatio transeat ad hæredes, si teneretur homicida, nec satisfecisset, tenerentur satisfacere hæredes.

Respondeo, neg. ant. Nam si homicida, neque remissionem obtinuerit, neque satisfecerit pro damno naturali personali, probabile est, hæredem ipsius obligari. Dici etiam fortè posset, obligationes reales transire ad hæredes, non autem obligationes merè personales; qualis est obligatio homicidæ compensandi damnum illatum personæ.

XIV. Dices quartò. Si occisor aliquam compensationem deberet facere, maximè deberet eam facere, per bona spiritualia, quę etiam prodesse possent occiso: sed ad hæc non tenetur; qui enim occidit Ethnicum, non tenetur sic compensare; ergo neque qui occidit Christianum: nam lex naturæ debet esse æqualis.

Respondeo, neg. maj. absolutè. Ea enim compensatio fieri potest in utroque genere bonorum, tàm spiritualium, quàm temporalium. Quare si occisus non sit capax bonorum spiritualium, quia mortuus in peccato; restitutio fieri potest, vel per bona temporalia, vel petendo à suis hæredibus veniam, & condonationem.

Ubi noto, quod cùm inter Christianos præsertim, qui condonare inimico in præcepto habent, plerumque occisori concedi soleat ejusmodi condonatio à filiis, vel consanguineis occisi; per hanc damnum personale sufficienter reparatum existimatur.

XV. Dico tertiò. Pro damno personali non tenetur homicida, vel mutilator se ad pœnam talionis offerre, vel ad bellum contra Turcas proficisci.

cisci. Tùm quia: nemo tenetur esse actor, & reus. Tùm quia: nulla est lex ad hoc obligans; leges enim pœnam talionis, præscribentes erant judiciales, & per legem gratiæ abrogatæ. Unde modus faciendæ compensationis, pro injuria personali, relinquendus est arbitrio, virorum prudentum; qui perpensâ qualitate lædentis, ac læsi, considerato etiam modo læsionis, an de industria, & per insidias, an per iram, & contentionem, judicent, quantum oporteat ex bonis, vel spiritualibus, vel temporalibus compensare: de temporalibus, si hæredes indigeant, occisus verò de spiritualibus benè sibi providerit: de spiritualibus verò, si hæredes non indigeant, occisus verò non providerit de spiritualibus: de utrisque verò, prout judicabitur esse necessitas, vel opportunitas, nisi hæredes injuriam occisione illatam gratiosè condonaverint.

§. I I.

An Teneatur Restituere pro Damno Reali?

QUærendum modò est de detrimentis, quæ læsionem corporalem sequuntur, vel in læso, vel in aliis, ex ejus morte; an scilicet hæc omnia debeant à lædente compensari.

XVI. Dico. Damna realia, quæ ex injustâ alicujus occisione, vel læsione corporali sunt consecuta, sunt à lædente compensanda. Nam lædens, præter injuriam, & damnum personale, injustè impedivit multa temporalia bona, & multa mala causavit & ipsi læso, & aliis; quæ à lædente, per bona temporalia, possunt ad æqualitatem compensari; ergo ex justitia qui, eum lædendo, posuit hanc inæqualitatem, tenetur restituendo, æqualitatem inducere. Sicut enim qui per vim, aut fraudem abstulisset ab operario, vel artifice instrumenta artis, quibus lucrabatur sibi, & suæ familiæ, ut amplius lucrari non posset; teneretur ille, qui ea abstulit, omnia damna ex illius otio secuta reparare: multo magis qui alteri abscidit manum, vel brachium, queis victum sibi comparare consueverat, vel abstulit vitam, quâ filios alebat, damna inde secuta tenebitur compensare.

XVII. Quæ verò damna sint compensanda, & quomodo facienda sit compensatio pro damnis secutis, sive pro lucro cessante ex mutilatione, vel occisione; omissis variis dicendi modis, censeo: damna præsentia, & certa ex injusta mutilatione, vel occisione secuta, esse ad æqualitatem reparanda, si lædens possit: alia verò ex eventibus futuris pendentia, arbitrio prudentum esse moderanda.

Hinc damnum ex expensis in curatione factis, ab eo, qui læsit, vel mutilavit, compensandum est ad æqualitatem. Hoc enim conforme est legi, *Exod.* 21. v. 18. & 19. confirmatæ, C. *Si rixati, de Injuriis, & damno dato*, his verbis: *Si rixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum, lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto: qui percusserit, operas ejus, & impensas in Medicos restituet.* Hinc si læsus erat artifex, compensari debet id, quod probabiliter eo temporè lucraturus erat; & multò magis si impotens factus fuit ad operandum toto tempore vitæ suæ; qui non aliunde, quàm ex opera suâ se, ac suos alebat. Compensationem autem debere fieri, non deductis laboribus, communiùs tenetur. Tùm quia: quòd ille non operetur, est ex injuria ejus, qui læsit, non ex ignavia. Tùm quia: si æstimatio laboris detrahatur, vix quidquam supererit; quia lucrum sæpè non est majus, quàm laboris æstimatio, ut patet in iis, qui laborant, ligna cædendo, secando, &c. Verumtamen si is, qui fuit læsus, obierit, in æstimatione lucri hæredibus compensandi meritò detrahi possunt ea, quæ solebat vivus consumere: quia quæ consumebat non sunt annumeranda lucris ad hæredes pertinentem-

nentibus. An verò occisor teneatur solvere expensas funeris, affirmat Navarrus. Quia tamen eædem impensæ erant faciendæ in morte naturali, veriùs alii negant; nisi fortè ex aliqua circumstantiâ majores sumtus faciendi essent, quàm si morte naturali obiisset.

Quoad damna verò pendentia ex futuro eventu, prudentum arbitrio standum erit: id enim, quod in spe est, non æquivalet ei, quod est in re. Unde non valet: mutilatus, vel occisus poterat pro sua familia lucrari decem; ergo decem compensanda sunt. Nam occisus poterat etiam cito mori, infirmari, & casu aliquo repentino impotens reddi. Quare prudentum arbitrio pensandum erit: an occisus firmæ valetudinis, & vegetioris ætatis esset, ut diu, & incolumen victurum sperari posset, an verò è converso: an utilis, an inutilis; si spes erat, ut ad magnam fortunam ascenderet, & plures divitias compararet: & alia, ex quibus regulari poteft, quid compensandum sit, plus nimirum, aut minus. Si enim magna spes erat, plus reddendum erit; si modica, minus.

Similiter si puella in facie deformata sit, ut inde ipsi damnum consequatur; quia scilicet matrimonium utile, aut nobile inire non possit; aut fortè ex defectu dotis innupta mansura sit: censent multi, huic etiam compensandum esse damnum, arbitrio prudentum. In compensatione etiam facienda attendi debet conditio offensoris: nam dives plus compensare debet, pauper verò minùs. Uno verbo: regula generalis, & certa statui nequit; sed pensatis circumstantiis à viris timoratis, & prudentibus, in casibus particularibus determinanda.

Huic obligationi damna realia compensandi adstringitur etiam ille, qui pro homicidio, aut mutilatione debitam pœnam luit. Nam, secluso omni damno reali, debita est homicidæ, vel mutilatori pœna; ergo illam perferendo non satisfacit pro damno illato. Deindè non remittitur peccatum, nisi restituatur injustè ablatum, si restitui potest. Cùm ergo is, qui injustè quempiam læsit, ei vel suis hæredibus auferat bona, in quibus damnificantur; consequens est, quòd restituere debeat, sive puniatur à Judice, sive non. Quia punitio est pœna, non autem compensatio damnorum, quæ ex injusta læsione secuta sunt.

XVIII. Adverto tamen primò: quòd si is, qui occisus est, aut læsus provocavit alium, vel si duo invicem se provocent, & pari consensu in certamen descendant; ille, qui occidit, aut lędit, nullam tenetur alteri, vel ejus hæredibus restitutionem facere: quia in priori casu provocans, in posteriori uterque censetur renuntiasse juri, quod alioquin habuisset ad petendam damnorum compensationem. Unde neuter potest conqueri, quòd alter ei fecerit injuriam; quandoquidem uterque fuit sciens, & volens.

XIX. Adverto secundò: quòd qui alium petentem, ac volentem interficit, graviter quidem peccat; non tenetur tamen ad compensationem hæredibus faciendam. Quia is, qui occisus est, poterat disponere de bonis fortunæ, quæ per ejus industriam, aut aliter deventura erant ad hæredes; atque adeo poterat illa condonare ei, qui ea impediret: condonasse autem censetur suo occisori, hoc ipso, quòd sponte, ac liberè consensit, ut eum occideret; cùm scienti, & volenti nulla fiat injuria. Unde infert Salon ad q. 58. a. 3. eum, qui consentientem mutilat, in nullo teneri ei compensare; & qui consentientem occidit, nihil viduæ relictæ, aut filiis debere satisfacere,

XX. Adverto tertiò: quòd invasus, qui alium occidit, debitum modum defensionis ita excedens, ut mortaliter peccet; estò non in totum, in parte tamen excusatur à restitutione damnorum: nisi ille invasus fuerit causa cur invaderetur. Nam præterquam

quam quòd leviùs peccat is, qui ad sui defensionem alium occidit, licèt debitum modum excedat; ille, qui aggreditur, causa quodammodo fit suæ interfectionis, ideoque jus petendi dispensationem amittit ex parte: & per consequens occisor non ad tantam tenetur compensationem, ad quantam teneretur, si non fuisset iniquè invasus. Quantam porro facere debeat, prudentum judicio definiendum est: in casibus particularibus habitâ ratione quantitatis excessus, injuriæ invasoris, aliarumque circumstantiarum.

§. III.

Cui facienda sit Restitutio Damnorum ex Homicidio provenientium.

XXI. DIco. Restitutio, seu compensatio ob damna illata, & lucra cessantia, per occisionem, facienda est hæredibus necessariis, non autem hæredibus liberis. Explico. Quis occidit patrem, vel læsit, ex quo secutum est damnum, vel lucrum cessans; tenebitur alere filios, & uxorem juxta rationem conditionis status ipsorum, ad arbitrium boni viri. Si verò quis occidit artificem, qui suâ arte alebat aliquem, quem voluntariè hæredem instituit; illi homini nulla compensatio facienda est, si nullas expensas fecerit in curatione occisi.

Prima pars Asserti intelligenda est, quando filii, & uxor minus habent ad sustentationem suam, quàm habebant vivente patrefamilias. Nam æqualitas ponenda per compensationem est, quòd filii, & uxor non habeant minus ad honorem, & decentiam sui status; quàm haberent vivente viro, & patre, includendo etiam familiam necessariam, attento eorum statu. Cæterum si contingat, quòd filii, & uxor non egeant tantâ familiâ post mortem patris, & viri; ad æqualitatem restitutionis non requiritur, quòd occisor alat totam familiam, quæ vivente occiso alebatur: sed illam, quæ necessaria est decenti sustentationi uxoris, & filiorum pro ea parte, in qua damnum passi sunt.

XXII. Hæc prior pars sic explicata probatur. Hæredes necessarii, & legitimi, læso jure illius, cujus sunt hæredes necessarii, læduntur in bonis propriis: sed restitutio debet reparare læsionem factam in bonis propriis proximi; ergo talibus facienda est restitutio. Ma. declaratur. Pater respectu filii est veluti quoddam totum, cujus filius est pars; vir etiam, & uxor sunt veluti una caro: & ipso jure naturæ filii jus habent, ut alantur à parentibus, & uxor à viro; ergo læsio facta patri, est læsio in bonis propriis, & violatio juris filiorum, & uxoris erga patrem, & maritum. Rursus: homo est quoddam bonum, non suum tantùm, sed filiorum, & uxoris, & parentum; ergo qui hominem sustulit gladio, sustulit illis. Sicut ergo omnes debitores defuncti ea, quæ defuncto debebant ex emptione, commodato, & mutuo, tenentur solvere hæredibus necessariis ejus: ita & hoc debitum, quod ex læsione corporali ipsius provenit.

Id ipsum dicendum esse, ait Bannez, de fama: quæ si injustè ablata fuit patri occiso, restituenda est filiis, & hæredibus necessariis; quoniam una, eademque censetur fama ipsorum, & defuncti. Imò, quod attinet ad famam, etsi defunctus non habeat hæredes necessarios; locum habet restitutio facienda ipsi defuncto: cujus anima, cùm sit immortalis, adhuc jus retinet, ne sinistrè à viventibus de illa judicetur.

XXIII. Posterior pars Asserti probatur. Nam hæredes non necessarii, ex eo quòd fuit læsus testator, non censentur læsi in bonis propriis: nam neque sunt partes testatoris, neque testator tenebatur jure naturæ illos alere; quales sunt fratres, aliique inferiores cognati.

Cæterum potest dari casus, ut ex alia causâ debeatur à læsore aliqua etiam

etiam hæredibus non necessariis restitutio. Cùm enim hi etiam succedant in omne jus defuncto acquisitum; etiam succedunt in jus recipiendi sequentia debita.

Primum. Expensas, si quas fecit, in curando vulnere, si non fint ei viventi compensatæ.

Secundum. Si condemnatus sit homicida à Judice ad certam pecuniæ summam præsolvendamm: hæc hæredibus etiam non necessariis est solvenda.

Tertium. Si facta fuerit conventio inter lædentem, & læsum de pecunia, quæ viventi non fuerit læso numerata.

Quartum. Si vulneratus erat artifex, & accepto vulnere vixerit ad annum, nec potuerit exercere artem suam: percussor lucrum cessans, & damnum emergens, quod tenebatur ipsi læso restituere, tenebitur, si non solvit, hæredibus etiam non necessariis compensare.

Tandem. Quia hæredes istjusmodi jus habent agendi de injuria, possunt pecuniam petere, ut actioni cedant, & injuriam remittant.

XXIV. Sed contra primam partem dices primò. Qui percussus fuit, vel occisus, non tenebatur ex justitia alere filios, aut uxorem, sed tantùm ex pietate, & caritate; ergo multò minùs tenetur ex justitia id facere, qui eum occidit.

Respondeo, neg. conf. Verum quidem est, quòd pater non tenetur alere filios ex motivo justitiæ, sed ex vinculo caritatis, & pietatis, quod fortius est; sed etiam verum est, quod filii habent jus, ut à parentibus sustententur: cùm ergo qui iniquè occidit patrem, injustè impediat hoc jus filiorum, & iniquè illis inferat damnum; ideo occisor tenetur illis hoc damnum compensare. — Neque valet: pater non tenebatur ex justitia commutativà alere filios; ergo neque tenebitur is, qui iniquè impedivit jus filiorum, ad hujusmodi alimenta — Nam neque Petrus tenetur, nisi misericordià, dare eleemosynam pauperi: & tamen, qui injustè impedivit, ne pauper illam recipiat, tenetur illi pauperi totam illam eleemosynam compensare; ergo qui occidit patrem, tenetur ex justita compensare filiis alimenta &c. licèt pater ex justitia ad hoc non teneretur.

XXV. Instabis. Si ipse pater provocasset percussorem ad certamen, in quo fuit, vel mutilatus, vel occisus; adhuc injustè impeditur jus filiorum ad alimenta per occisionem, vel mutilationem patris, quia percussor licèt provocatus, iniquè eum occidit: & tamen in hoc casu percussor non tenetur compensare damna filiis, ut dictum est; ergo &c. — Si respondeas, in hoc casu non teneri, quia pater provocans renuntiavit juri suo. — Contra est. Estò pater potuerit renuntiare juri suo, non tamen potuit renuntiare juri filiorum, ut à patre alantur.

XXVI. Respondeo, totum jus filiorum, ut alantur à parentibus, pendere nihilominus ex jure, quod habet pater, ut filii teneantur erga ipsum officia pietatis exhibere. Et ideo quando pater isti suo juri renuntiat, quod facere censetur, quando occumbit per mortem, cujus periculo spontè se exposuit; perit consequenter jus filiorum contra percusorem: quia percussor ideo tenebatur filiis, quatenus tenebatur ipsi patri, eo quòd erant aliquid patris. Unde pater licèt huic juri renuntiando, ac se morti exponendo peccaverit contra pietatem; potuit tamen renuntiare etiam juri filiorum, quatenus erant aliquid sui.

XXVII. Dices secundò. Qui estraxit Monachum à Monasterio, non tenetur ad restitutionem Monasterio faciendam de illa utilitate, quam Monachus præstiturus erat: quia Monachus non erat obligatus ex justitia impendere suas operas in utilitatem Monasterii, sed tantùm ex religione, & obedientia; ergo similiter qui filios privavit patre,

non

non tenebitur ex justitia eos alere, quia pater tantùm ex pietate, non ex justitia, filios alere tenebatur.

Respondeo, dist. ant. Qui extraxit Monachum suasione, & consequenter volentem, co. ant. Vi, aut fraude, nego ant. Hinc objectio pro nobis est. Sicut enim qui per vim, & fraudem, & ideo injustè, abduxit Monachum, tenetur compensare damna Monasterio: ita qui per vim, & injustè abstulit patrem filiis, debet iis compensare damna. Et sicut qui Monachum volentem abduxit, non tenetur compensare Monasterio: sic qui abstulit filiis patrem volentem, seu voluntariè se exponentem periculo mortis, non tenetur iis aliquod restituere.

XXVIII. Dices tertiò. Si quis occidat hominem ære alieno gravatum, non tenetur compensare creditoribus, si per ejus mortem minus habeant, quàm habuissent, si superstes fuisset; ergo neque tenetur compensare filiis, si minus habeant. Conf. prob. à fortiori. Nam Defunctus tenebatur debita illa solvere ex justitia; alere verò filios tantùm ex pietate.

Respondeo, co. ant. neg. conf. Non enim eadem ratio est de jure creditorum, ac de jure filiorum, ut alantur. Hoc enim ex natura rei inductum est, & debet eis esse tutum, quia in natura fundatur: at jus creditoris ita libero contrahentium consensu acquiritur, ut maneat pendens à periculis vitæ, & bonorum ipsius debitoris. Quare creditor non acquirit jus, ne debitor sibi eripiatur, sicut habent filii, ne sibi eripiatur pater, à quo alantur. Ex quo fit etiam, quòd damnum obveniens creditoribus, fit per accidens respectu voluntatis occisoris: at damna obvenientia filiis, ex occisione patris, ab homicidio præscindi non possunt.

§. IV.

De Compensatione facienda ab Hæredibus Percussoris.

Hactenus dictum est de restitutione facienda hæredibus occisi, vel læsi. Nunc agendum est de restitutione facienda ab hæredibus percussoris, vel occisoris.

XXIX. Dico. Si homicida, vel qui damnum dedit, antequam compenset damnum, moriatur; ejus hæredes, quicumque sint, tenentur ad compensanda damna realia, inquantùm fert hęreditas, quam adeunt. Probatur. Illa enim bona, in quibus succedit hæres, sunt obligata ex justitia ad reparanda damna realia, quæ dominus intulerat, injuriosè lædendo. Hereditas autem transit cum onere; & hęredes succedunt in locum defuncti, atque adeo in bona, & obligationes. Nam, ut ait Bonifacius VIII. de reg. Jur. In 6. reg. 77. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui succedit in honore*: & reg. 55. *Qui sentit commodum, debet sentire incommodum.*

XXX. Nec dicas. Lib. 48. Digestorum, tit. 2. Leg. *Ex judiciorum* statuitur, pœnam ademtionis bonorum non transire ad hęredes, si lis non est contestata, nec sententia secuta; ergo hæredes nec tenentur in conscientia ad compensationem damnorum — Nego enim conf. Quia lex illa non disponit de bonis restituendis; sed de pœnis propriè dictis, quæ nec ab homicida, nec ab hęredibus debentur ante sententiam. Verba sunt: *Ex judiciorum publicorum admissis non aliàs transeunt adversùs hæredes pœna bonorum ademptionis, quàm si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta.*

XXXI. Dixi, hęredes teneri ad compensanda *damna realia.* Nam etsi, ut diximus, pro damno, & injuriâ personali, seu læsione ipsâ in se teneatur compensare ipse percussor, vel homicida; si tamen iste non satisfecisset, hæredes illius ad istam

ffiam restitutionem non tenerentur: ficut neque hæres, etsi filius, teneretur compensare infamiam, cujus causa fuit pater. Quia utriusque damni reparatio debetur ratione criminis personalis, non realis: culpa autem patris, vel testatoris non transit ad hæredem, licèt ad illum transeant bona fortunæ.

XXXII. Adverto tamen: quòd licèt pater sit hæres necessarius sui filii; non tenetur restituere damna, quę consecuta sunt ex eo, quòd filius percusserit aliquem. Et ratio est (ait Bannez) quia regulariter filius non habet bona, quæ pater ex eo acquirat, & in quibus succedat, per ejus mortem. Si verò filius haberet bona castrensia, & foret emancipatus; teneretur pater restituere de illis bonis, ficut & alii hæredes.

DUBIUM V.

De Eo, qui Vitiavit Virginem.

§. I.

De Vitiante Consentientem.

POtest virgo à viro vitiari, vel ita ut ipsa consentiat, aut virum inducat, ac præveniat, vel etiam amatoriis verbis à viro alliciatur: aut fraude, dolo, sive etiam violentià. Quoad primum

I. Dico. Si virgo vitiata fuit omnino voluntariè, vel inducens ipsa virum, vel ultrò se offerens ad stuprum, aut levibus blanditiis illecta consensit; non tenetur stuprator in conscientia ad restitutionem faciendam, aut stupratæ, aut Patri ejus. Quod non teneatur virgini vitiatæ, probo. Tùm quia: scienti, & volenti non fit injuria; cùm ergo illa voluntariè consenserit, non fuit passa injuriam. Tùm etiam: quia mulier est domina usus suorum membrorum: sed usus membri servientis generationi, sinè violatione virginitatis esse non potest; ergo non peccabit contra justitiam, si amittat virginitatem volens.

Confirmatur. Si alicui scienti, & volenti abscindatur manus, non tenetur qui abscidit ad aliquam compensationem ei faciendam: sed homo non est magis dominus usus suæ manus, quàm mulier integritatis sui corporis; ergo &c. Imò magis: nam ad abscissionem manus consentit quidem voluntate personę, sed dissentit voluntate naturæ: at in voluntaria amissione virginitatis consentit mulier, & voluntate personæ, & voluntate naturæ.

II. Quòd verò non teneatur restituere patri, probatur. Virgo ipsa vitiata non tenetur aliquid restituere patri; ergo neque stuprator. Si enim virgo, quę suâ voluntate fuit causa magis principalis suę violationis, non tenetur quidquam reddere patri; multò minus stuprator, qui fuit causa minus principalis, quia dependens ab ipsa — Confirmatur. Cùm mulier sit domina sui corporis quoad usum, non autem parentes, nulli injuriam facit, cùm volens jacturam sui pudoris facit. Et si contra parentum voluntatem, etiamsi indegnè nubat, valet matrimonium; nec ipsa, neque vir illius tenentur quidquam rependere patri: sic neque qui stuprum cum illa volente admisit: quia nec ipsa, nec stuprator peccant contra justitiam, sed contra castitatem. Ita sentiunt Sotus, *l. 4. de Just. q. 7. a. 2. ad. 2.* Bannez ad hunc *art. 2. dub. 7.* Salon., *Controv. 5.* Toletus, *l. 5. c. 2.* Sanchez, *de Matrim. l. 7. disp. 24.* Azorius, Navarrus &c.

III. Sed dices. Est regula: *Si tuâ culpâ damnum datum est, illud compensare debes*; sed culpâ stupratoris multa damna dantur tàm patri, quàm virgini. Quamdiu enim est sub cura, & custodiâ parentum, fit illis injuria, si corrumpatur, ipsis non scientibus. Tum quia: præcipua puellæ dos est virginitas; quâ amissâ egebit majori dote, ut possit nubere secundùm statum suum: si enim sic corrupta tradatur viro ignoranti eam esse vitiatam, eamque vitiatam deprehenderit, malè tractabitur, imò periculo vitæ exponetur. Tùm quia: infamia, quæ ex stupro nascitur, tùm virgini, tùm parentibus, tùm

toti

toti familiæ, grave damnum est. Cùm ergo omnium horum stuprator causa fuerit, videtur teneri omnia ista compensare — Unde S. Tho. 2. 2. q. 154. a. 6. ad 3. stuprum, docet, duplicem injustitiam continere: unam respectu virginis, aliam respectu patris.

IV. Respondeo, omnia præfata damna, quæ consequuntur stuprum virginis, quę liberè consensit in stuprum, fore sibi imputanda. Nullam enim fecit injuriam parentibus; cùm ipsa, quæ domina est usus sui corporis, consensit. Eâdem ratione, quia libens consensit, se fecit indignam, ut nuberet viro sibi compari. Nec pater damnum necessariò patitur; sive quia filia potest manere innupta; sive quia pater ad eam majorem dotem non obligatur. Quòd si pater voluerit eam honorificè collocare, & propterea teneatur adjicere dotem; filiæ imputet, non stupratori. Quòd si nubens viro ignoranti eam esse vitiatam, exponatur vitæ periculo; sibi imputet, quæ tale vitium passa, illud occultavit. Idem dico de infamia in virgine secutâ, quam ipsa lubens voluit.

V. Quoad infamiam verò, quæ in parentes redundat, dico. Vel ista per accidens secuta est, & præter voluntatem stupratoris: vel ex voluntate, & malitiâ ipsius, quia scilicet de tali actu gloriatus est, vel incautè retulit. Si primo modo contingat, nimirum absque culpa stupratoris; censent aliqui, non teneri stupratorem ullam satisfactionem, nec veniam petendo, nec honorem præstando, exhibere. Tùm quia: dicunt, hoc non esse in usu. Tum quia: ipsa virgo potuit pati hoc detrimentum, absque obligatione restitutionis, non obstante infamiâ parentibus secutâ. Sicut nec qui aliquo delicto suam infamat familiam, tenetur quidquam compensare; cùm non teneatur ex justitia benè vivere, ut honorem familiæ servet incolumem. Quòd si non tenetur virgo, neque tenebitur corruptor ex justitia: eo vel maximè, quia talis infamia ex copula illâ per se non est secuta; sed ex aliorum malitiâ, vel divulgatione, cui corruptor causam non dedit.

Alii autem, & fortè veriùs, affirmant. Quando enim defloratio contingit, patre nolente, videtur ei non parva injuria fieri. Cùm enim ipse sit custos, & conservator virginitatis suæ filiæ, & in magnum ipsius dedecus cedat talis violatio; si ipso nolente jus custodiæ, & decoris violetur, non sinè injuriâ fit; sicut non sinè injuriâ aufertur id, quod aliquis habet in sua custodiâ, ipso invito. Quapropter & filia patrem injuriâ afficit, & is, qui ipsam violat: ideoque secundùm rigorem uterque obbligatur ad aliquam satisfactionem patri præstandam; puta, per æquivalentem honorationem, aut veniæ petitionem, vel aliis modis, quibus honor ablatus restitui solet (nisi fortè pater remittat) non tamen in bonis fortunæ faciendam.

At si ex stupratoris malitiâ, vel jactantiâ talis infamia evulgata fuit; procul dubio tenebitur, nedum satisfacere parentibus, sed etiam fæminæ: vel eam ducendo, vel dotando, vel saltem dotem augendo, ut possit æquè benè nubere, ac si hic defectus evulgatus non esset. Et ratio est: quia contra fæminæ voluntatem est causa damni, ex sua injustâ propalatione fæminæ secuti.

VI. Ad id, quod additur ex S. Thoma, dico, eum loqui de eo, qui virginem seducit. Ait enim: *Quam etsi non vi corrumpat, tamen eam seducit*; & sic tenetur ei satisfacere: quod ostendit ex c. 22. *Exodi*; & eâdem ratione tenetur patri satisfacere, ut habetur, *Deuter.* 22. In hoc enim casu dicimus teneri satisfacere. Non autem loqui de eo, qui prorsus volentem corrumpit. Imò in Supplem. 3. p. q. 46. a. 2. ad 4. indicat, quòd quando præsumi probabiliter potest, quòd puella non fuerit decepta, sed decipi se finxerit; sponsus, qui eam defloraverat, non teneatur ei providere de nuptiis.

VII. Nota tamen Primò. Quòd cùm dixi-

diximus, defloratorem virginis consentientis non teneri ad aliquam realem compensationem &c. locuti sumus in foro conscientiæ. In foro namque exteriori tenebitur eam ducere, & dotari, vel saltem unum de duobus exhibere; quia ipsam decepisse præsumitur. Imò in tali foro virgo semper præsumitur, licèt non sit, nisi oppositum probetur. Verùm, ait Lugo, si falsa sit præsumtio, non tenebitur in conscientia violator stare sententiæ Judicis; nec poterit mulier licitè contra illum agere in foro externo: sed tenebitur, si interrogetur, veritatem dicere, vel à prætensione desistere: imò etiam restituere damna stupratori obvenientia, si se virginem, aut deceptam fingens, cogat illum aliquid parentibus dare; ac sumtus in prosecutione litis factas restituere.

VIII. Nota Secundò, cum. PP. Salmant. C. 3. *de Restit. puncto* 1. §. 1. *num.* 6. & aliis. Quòd si deflorator sit valdè dives, & fœmina pauper, tenebitur aliquam partem dotis ei conferre, licèt eam dare non promiserit. Quia tunc quoddam pactum implicitum intervenire censetur; & præsumitur, sub hac spe puellam in sui detrimentum consensisse: quia frequenter pauperes puellæ credunt, hàc viâ sibi de opportuno subsidio provideri. Cùm enim videant, in foro externo virginum violatores ad hoc obligari; judicant, semper sub tali obligatione ab ipsis crimen committi. Quod advertere debent Confessarii, nec stupratores divites dimittere absque pœna aliquâ pecuniariâ ipsis impositâ, virgini defloratæ solvendâ, si hæc erat pauper, & inferioris fortunæ ad defloratorem.

§. II.

De Vitiante per Vim, Fraudem, aut Minas, &c.

IX. Dico. Qui vi, fraudibus, minis, aut alio aliquo modo virginem seduxit, tenetur compensare omnia damna honoris, & fortunæ ipsi, & parentibus inde provenientia; quia illorum injusta causa fuit: & propterea debet ea resarcire, eâ ratione, quâ supra diximus teneri, qui læsit aliquem in bonis corporis. Idem dicendum de eo, qui priùs repugnantem, impudicis tactibus eam provocavit, quo factum fuit, ut tandem in stuprum consentiret. Idem de eo, qui importunis precibus, vehementibus blanditiis, & persuasionibus eam induxit: quia hæc, judicio prudentum graves valde solicitationes sunt; quibus puella victa, & si non sit simpliciter invita, est tamen aliquomodo coacta, vel seducta. Ita sentiunt Navarrus, Bannez, Salon, Toletus, Valentia. Si tamen preces, vel blanditiæ, aut persuasiones non fuerint admodum graves; censetur puella sponte consensisse, & nullo modo seductas ideoque non tenebitur stuprator compensare, ut superiùs dictum est.

X. Porro qui aliquo ex dictis modis virginem seductam, vel non plenè consentientem violavit; in foro conscientiæ non tenetur, eam simul ducere, & dotare, sed unum ex his exhibere. Nec determinatè tenetur ad unum, nimirum, ad eam ducendam, sed satisfacit augendo dotem; ita ut benè nubat, ac si tale damnum passa non esset: dummodò tamen expressè, vel tacitè eam ducere non promisisset. Quare etsi fæmina corrupta velit matrimonium, non erit obligatus eam ducere; dummodo aliunde damnum illatum compenset, & etiam pro injuria satisfaciat, nisi remissionem ejus obtinuerit. Si tamen in pœnam criminis, per sententiam Judicis, compellatur, ut eam ducat, ad id etiam in conscientia tenebitur; quia sententia pœnalis justa obligat etiam in conscientia: nisi virgo violata sponte cedat matrimonio, & aliâ compensatione contenta sit, & cum ea parentes,

XI. Verùm quid dicendum, si qui fraude violavit virginem dicendo, se esse

esse nobilem, aut divitem, cùm non esset, velit tamen eam ducere; & ipsa nolit, vel parentes ejus eam illi tradere recusarent? — Crederem fœminam non teneri (si dispar sit conditio, aut etiam si par, supposità tamen fraude) tale oblatum matrimonium acceptare: sed teneri violatorem, pecuniis illatum damnum, quod per injuriam passa est, compensare. Nec enim cogenda est cum violatore, & deceptore contrahere, & ultra damnum, privanda jure ad eligendum sibi virum, quem voluerit.

XII. Iterum. Quid dicendum, si oppressor virginis adhuc dubitat, eam virginem esse?

Dicendum, teneri modo dicto omnia damna compensare: quia semper præsumitur virgo, dum certò non constat de opposito. Imò etiamsi certò reperiat, eam non esse virginem; dum tamen reputabatur talis, & suo injusto concubitu eam diffamavit, tenebitur eam ducere, vel dotem augere, vel de nuptiis competentibus ei providere: quia intulit illi damnum contra justitiam, accedens ad eam fraude, aut vi, & eam injustè exturbans ab opinione virginitatis. Idem dicendum de eo, qui fraude, aut vi cognovit viduam honestæ famæ; si ex tali copulâ illi provenit infamia. Si verò infamia secuta non sit, tenebitur adhuc compensare injuriam fraudis, & doli, seu violentiæ adhibitæ; & damna etiam fortunæ, si quæ secuta sint, aut virgini existimatæ, aut viduæ.

XIII. Tertiò. Quid dicendum, si virgo vi, aut fraude violata, postea æque benè nubat, ac si vitiata non fuisset; vel in religione spontè profiteatur: tenebitur ne deflorator aliquid ipsi, vel parentibus restituere, præciso damno diffamationis?

Dico, adhuc teneri compensare injuriam personalem, quam ei irrogavit, vi, aut fraude eripiendo ei virginitatem; ut diximus de eo, qui abscinderet alicui membrum corporis. Cæterum si antequam contraheret, aut in religione profiteretur, vel sententiâ judicis, vel pacto non erat ei adjudicata dos à stupratore solvenda, non crederem ad aliud teneri: non enim violatæ ullum reale damnum secutum est, ut casus supponit. Pro periculo autem, in quo eam constituit non inveniendi nuptias sibi commodas, non tenetur. Nam periculum non obligat, nisi secuto damno; vel nisi antequam constaret de damno non secuturo, initum fuisset pactum de aliquo emolumento solvendo pro eo, quòd se constituerit in tali periculo: quod in casu non supponitur — Si tamen desponsata, agnito vitio à marito, malè tractaretur, vel dimitteretur; teneretur tunc deflorator talia damna compensare, arbitrio prudentum.

XIV. Idem dico, si virgo corrupta moriatur ante tempus nubendi; & ante obitum non fuit initum de pretio pro periculo damni, cui se exposuit. Tunc enim nihil tenebitur deflorator hæredibus compensare; eo quòd damnum secutum reverâ non sit. Si verò ante mortem puellæ pactus esset cum illa de dote, vel per sententiam judicis ei adjudicata fuisset; tunc teneretur hæredibus eam solvere; quia hi succedunt in omnibus juribus illius, & eis competunt omnia debita realia, quæ defunctæ ante mortem debebantur. Si verò post pactum de dote puellæ dandâ, vel etiam ante tale pactum puella condonasset injuriam, & omne debitum stupratori (hanc enim condonationem facere potest, quia non parentibus, sed ipsi immediatè talis satisfactio debebatur) violator remaneret adæquatè ab omni obligatione absolutus.

XV. Si quæras: quandonam censeatur deflorator vi, minis, aut fraude virginem corrupisse?

Respondeo, quòd vim, seu violentiam physicam omnes norunt. Puta, si deflorator puellam vi comprimeret, & reluctantem vitiaret: minas etiam ex-

expressas; ut si districto gladio mortem illi, vel parentibus, aut aliis minaretur, nisi ipsi consentiret: fraudes pariter; ut si cum deceptione ad illam accederet, ita ut deceptio esset tota causa, cur virgo consentiret — Alii tamen casus sunt, in quibus præsumitur, violentiam saltem moralem inferri virgini; ut non omnino voluntariè, & liberè censeatur consensisse. Primò. Si stuprator esset illius dominus, superior, aut tantæ auctoritatis, ut ipsa non audeat contradicere. — Secundò. Si quis nimiùm molestus extraordinariis diligentiis solicitaret virginem; & illa tandem victa succumberet, potiùs ut se ab illis liberaret: hoc tamen arbitrio prudentum esset pensandum; quia rarissimè contingere potest. Nam fæmina de facili potest, conceptâ irâ, & asperitate importunum solicitatorem à se avertere: quod si non facit, indicat, ejus molestiam sibi non displicere —Tertiò. Si ex industria procus adhiberet aliqua remedia, etiam venefica, quibus virgo excitaretur ad vehementes passiones luxuriæ, ut faciliùs consentiret in stuprum: quia licèt illæ passiones augeant voluntarium, diminuunt tamen liberum — Quartò. Si amplexibus, osculis &c. solicitetur, quamvis postea liberè consentiat: quia per similia posita fuit in tali periculo, ut ad resistendum virtute valde heroicâ eguisset. An vero dona, etiam maxima, censeantur moralem vim inferre: non arbitror, quia dona illa fæmina accipit ex cupiditate: neque censetur vim pati, sed potiùs illa voluntariè acceptando, ipsa sibi viam aperuit ad stuprum. Non desunt tamen, qui affirment. Sed rectum judicium ex circumstantiis formandum est.

XVI. Quid autem dicendum de eo, qui virgini matrimonium promisit, sive ex animo, sive fictè id faciens; & sub ea spe virgo passa est deflorari. Tenetur ne eam ducere? An satisfacit, eam dotando, vel ei de nuptiis providendo?

Respondeo, absolutè loquendo, teneri eam ducere. Primò. Quia talis promissio fuit quidam contractus: cùm ergo puella præstiterit, quod ex sua parte requirebatur; etiam vir præstare debet, quod requiritur ex sua. — Secundò. Quia si fictè promisit, decepit puellam; & quidem cum damno pudoris, & aliorum, quæ inde sequuntur: fraus autem nemini debet patrocinari, maximè cum damno alterius.

XVII. Ab hoc excipiuntur tamen aliqui casus, quibus is, qui sub promissione matrimonii corrupit virginem, non tenetur eam ducere. Primus est. Si is, qui promisit, habeat impedimentum dirimens; puta, si sit in sacris, si sit in aliqua religione professus, si sit alteri junctus matrimonio: &, ut probabiliter sentiunt multi, si habeat votum simplex continentiæ; cùm promissio facta Deo sit fortior promissione factâ homini, etiam juratâ. Tenetur tamen compensare damna — Secundus est. Si ex matrimonio secutura appareant magna scandala, inimicitiæ, & alia gravia mala; tunc enim aliâ viâ providere debebit — Tertius est. Si ex modo loquendi, vel aliis conjecturis, puella potuit deprehendere, virum non sincerè loqui: quia tunc non est decepta. Imò volunt aliqui, virum nec teneri ad compensanda damna — Quartus. Si puella fornicetur cum aliis: hoc enim posito, solvuntur quoque sponsalia, & vir manet ab omni onere solutus, quia deceptus fuit — Quintus. Si finxerit, se virginem, & à viro deprehensa fuerit corrupta; tunc enim ipsa virum decepit. Idem est, si ipsâ nihil dicente, vir putans esse virginem, eam deprehendit esse corruptam. Si tamen vir sciens, eam esse corruptam, nihilhominus eam ducere promittit, ut ejus corpore fruatur: si quidem verè promittit, non est dubium, quin obligetur; imò etiamsi fictè (ut veriùs multi putant) modò aliunde non sit impedimentum. Quia vir non est deceptus, & mulier ex parte suâ conditionem contractus implevit.

Sex-

Sextus est. Si ita sint in statu, & conditione dispares, ut vir quidem sit illustris, vel nobilis, aut officio, & dignitate conspicuus; fœmina verò sit vel rustici, vel opificis filia, aut ancilla. Hunc casum indicavit S. Thom. Supplem. 3. *p.q.* 46. *a.* 2. *ad* 4. Ubi postquam dixit, quòd stante promissione, vir *Tenetur eam ducere, si sint æqualis conditionis, vel si Sponsa sit melioris conditionis:* subdit tamen, multos dicere, non teneri. *Si sponsus sit multò melioris conditionis.* Et rationem dat. Quia fœmina non potest conqueri, se esse deceptam; cum facilè conjicere posset, eam promissionem, vel non ex animo fieri, vel si ex animo factam, non esse tamen implendam: unde ait S. D. *Præsumi probabiliter potest, quòd sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit.* Cæterum si bonâ fide puella ignoraverit illam disparitatem, aut vir ex animo promiserit, sciens eam longè imparem; obligatus videtur ad matrimonium, nisi ejus remissionem obtineat, vel propter mala inde secutura non expediat. Tum quia: promissio sincerè facta, & acceptata obligat. Tum quia: mulier verè alioquin est decepta. Videantur Azorius, Navarrus, Toletus &c.

DUBIUM VI.

De Eo, qui Adulterium commisit

§. I.

Prior Resolutio.

I. NOto, adulterium (sic dictum quasi accessus ad alterum torum) esse copulam cùm persona conjugatâ: & si tàm vir, quàm fœmina tales fuerint, datur in tali crimine, præter malitiam fornicationis, duplex numero malitia moralis contra justitiam. Unde S. Thomas 1. 2. *q.* 73. *a.* 7. loquens de circumstantiis peccatorum: *Peccatum* (inquit) *fornicationis consistit in hoc, quòd homo accedit ad non suam: si autem addatur hæc circumstantia, ut illa, ad quam accedit, sit alterius uxor; transfertur jam in aliud genus peccati, scilicet, in injustitiam: inquantum homo usurpat rem alterius.* Et q. 73. a 5. ad 1. ait, quòd *Adulterium non solùm pertinet ad peccatum luxuriæ, sed etiam pertinet ad peccatum injustitiæ .... & tunc gravius est adulterium, quàm furtum, quantò homini carior est uxor, quàm res possessa.* Nec refert, quòd mulier consentiat. Nam, ut docet 2. 2. q. 65. a 4. ad 3. *Per hoc, quòd uxor voluntariè consentit in adulterium, minoratur quidem peccatum, & injuria ex parte ipsius mulieris; gravius enim esset, si adulter violenter eam opprimeret: non tamen propter hoc tollitur injuria ex parte viri: quia* uxor non habet potestatem sui corporis, sed vir, *ut dicitur* 1. *ad Cor.* 7. Et insuper fit injuria ipsi matrimonio, cujus insolubile vinculum sic vitiatur, fitque carnis divisio, quâ unio sanctitate Sacramenti confirmata deturpatur. Sicut etsi Clericus consentiat, se à Judice laico comprehendi, & judicari; ipse quidem injuriam personalem non patitur: eam tamen patitur ipse status, cujus juribus, ac privilegiis ipse renuntiare non potest. Ideoque Innocentius XI. hanc propositionem, *num.* 50. damnavit: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.* Quia verò in adulterio duplex considerari potest injuria: una ratione ipsius adulterii, alia ratione prolis ex adulterio progenitæ: ideo

II. Dico Primo. Si ex adulterio non sequatur proles; neque adulter, neque adultera tenetur ad compensationem damnorum realium, quia nulla sunt secuta: tenentur tamen satisfacere marito pro injuria, si ipse resciverit adulterium. Si verò non resciverit, non tenentur: quia hæc satisfactio non est facienda, nisi per signa doloris, veniæ petitionem, hu-

miliationem, aliosque similes modos, qui locum non habent, quando maritus ignorat. Hæc Assertio communis est. Imò leges civiles vetant, ne maritus pro adulterio uxoris exigat satisfactionem pecuniariam, *lib.* 48. *Digest. tit.* 5. *Lege: Miles*, ac rursum: *Lege: Marito*. Lib. 2. Codicis, tit. 4. *Lege: Transfigere*. Et *lib.* 9. *tit.* 9. *Lege: De crimine*. His tamen non obstantibus, Lessius, *lib.* 2. *Cap.* 10. *Dub.* 5. & Malderus, *Tract.* 3. *c.* 4. *Dub.* 8. existimant, non peccaturum maritum, si sine scandalo aliquid ab adultero, pro injuria sibi irrogatâ, secretò reciperet, vel cum eo transfigeret. Quia leges illæ solùm negant actionem in foro contentioso; idque ob præsumtionem lenocinii; ne scilicet videretur maritus esse leno uxoris, si propter ejus adulterium pecuniam jure exposceret.

III. Assertio tamen hæc intelligenda est, seclusâ vi, & fraude. Nam etiamsi ex adulterio non sit secuta proles; si tamen adulter vim, fraudem, aut minas adhibuit, tenetur pro tali injuriâ, ad arbitrium prudentis viri, satisfacere.

Quare difficultas reducitur ad casum, quo ex adulterio genita sit proles. Ex hoc enim sequuntur plura damna. Primò. Quòd proles adultera educetur ex bonis patris putativi. Secundò. Quòd si fœmina sit, accipiat dotem. Tertiò. Quòd accipiat hæreditatem, ac si esset proles legitima ex quo proles legitima, vel in ejus defectu hæredes legitimi damnificentur.

§. II.

Aliæ Resolutiones.

IV. Dico secundò. Si adulter sit moraliter certus, prolem ex adulterio natam, esse suam; tenetur, tàm ipse, quàm adultera compensare damna realia patri putativo, ejus legitimæ proli, aut hæredibus legitimis irrogata: uterque quidem pro rata: alterutro autem deficiente, quivis in solidum; sive adulter suaserit adulteræ, ut filium spurium pro legitimo supponat, sive non. Et ratio est. Nam quando duo efficaciter concurrunt ad damnum injustè inferendum; singuli pro rata, & alio deficiente, qui superest, in solidum tenetur reparare damnum: sed sic est in hoc casu; ergo &c. Min. de adultera patet: de adultero verò etiam non suadente suppositionem, probatur. Nam eo ipso, quòd is ex suo semine, & alienâ uxore faciat nasci prolem, quam maritus ex errore putat suam, eam illi censetur supponere. Tùm etiam: quia dum adulter videt hanc prolem, quam scit esse suam, sustentari in aliena domo, mediis alienis, quam ipse tenetur alere, & tacet; eo ipso est causa per se, saltem indirecta, deceptionis, & damni secuti. Unde PP. Salmanticenses addunt, mulierem teneri, saltem ad tertium annum, alere puerum; virum autem à tertio anno usque ad ætatem, quâ possit sibi propriis actibus victum procurare.

Imò etsi spurius exponatur hospitali alendus, censent communiter Auctores, teneri adhuc parentes ex justitia solvere expensas pro alimentis, si divites sint, & commodè possent illum alere: alioquin defraudaretur intentio fundatorum, quæ pro solis pauperibus hujusmodi pia loca erexerunt. Quamvis non improbabilis sententia sit, eos non teneri ex justitia, si tamen consuetum pretium solverint.

Quod dixi, utrumque teneri, intelligendum est, si uterque adulter & adultera communi consensu in adulterium convenerunt. Quod si adulter adulteram provocavit, ac induxit ad adulterium, ipse in solidum obligabitur ad omnia damna: eo quòd sit causa principalis, & eam inducendo videatur in se suscepisse omnia damna. Ipso tamen deficiente, adultera tene-

tenetur in solidum, quia voluntariè cooperata est ad damnificationem.

V. Dico tertiò. Si adulter non sit moraliter certus, sed rationabiliter credat, prolem non esse suam; eo quòd mulier putet esse sui mariti, vel aliàs ipsa soleat rem habere cum pluribus; non tenetur ad dictam damnorum compensationem: quod etiam verum est, si muliere asserente, prolem illam esse suam; motus tamen verosimilibus conjecturis credat, eam mentiri, ad ipsum obligandum. Ratio est, primò. Quia possessio stat pro matrimonio, etsi aliquæ conjecturæ in oppositum sint: unde filius judicatur ex legitimo toro natus, si durante matrimonio habeatur, nisi constet de opposito. — Secundò. Quia in dubio melior est conditio possidentis: unde filius jure legitimitatis non debet privari, nisi constet, eum esse spurium. Quare si eo tempore, quo adultera concepit, maritus cum ea habitaret; non teneretur adulter credere esse suam prolem, etiamsi in facie imaginem suam referre videatur: quia hæc sunt signa fallaccia, vel etiamsi mulier juret esse suum. Semper enim, non obstantibus probabilibus conjecturis, à legibus, & Doctoribus proles præsumitur esse mariti, & possessio stat pro matrimonio; nisi constet certò de opposito: puta, si vir tunc non habitaret cum uxore, quando concepta est proles; aut ita ægrotaret, ut ineptus esset ad usum matrimonii.

VI At Quid si adultera eodem tempore cum duobus converfetur, & non sint signa manifesta, quòd proles potiùs sit unius, quàm alterius; remanebit ne uterque liber ab onere alendi filium, & resarciendi damna: ita ut soli matri incumbat filium alere, ac si maritus esset mortuus?

VII. Videtur probabilius, neutrum teneri talem prolem recognoscere, ut suam, aut eam alere, & resarcire damna; quia uterque dubius est de sua obligatione; & licèt malâ fide accesserit ad mulierem, attamen bonâ fide possidet bona sua: in dubiis autem, secundùm regulam juris, melior est conditio possidentis. Sicut enim in foro externo, re non probatâ, reus absolvitur: sic in casu nostro, dum res manet dubia, & in utroque foro non probata, neuter obligatur ad alimenta, & multò minùs ad alia damna. Sicut si occisus in via reperiatur, & probari non possit, an occisus fuerit à Petro, an à Francisco; iniquum erit utrumque punire, etiamsi certum sit, unum ex illis reum criminis fuisse: & hoc, ne innocens injustè puniatur: sic in casu.

VIII. Sed dices pro adversa sententiâ. Iniquum videri, filium in isto casu subsidio parentum manere destitutum; ergo cùm certum sit esse eorum filium, licèt ignoretur cujus eorum sit, tenebuntur singuli pro rata illum alere.

Respondeo, neg. ant. in casu. Nam etiam iniquum est, ut aliquis cogatur ex parte cognoscere, & alere, ut filium, quem non scit esse suum, & fortè suus non est. Suo ergo infortunio debet filius imputare, quòd ob incertitudinem patrem non agnoscat, à quo subsidia paterna petere possit. Et ob hoc inconveniens, nempe, carentiam debitæ educationis, incerto patre, damnatur naturæ lege concubitus inter solutos; & nullâ, etiam barbararum Gentium lege permissum fuit, ut una mulier duos habere viros: quamvis in lege divinâ veteri, & aliis Gentium legibus permissum sit, unum virum duas, vel plures uxores habere.

IX. An verò adulter certò sciens, enatam prolem esse suam, teneatur etiam resarcire damna aliis filiis legitimis obvenientia, ob particionem hereditatis: vel successionem filii spurii in hæreditatem, si non sint alii filii legitimi, in præjudicium heredum — Censent aliqui, quod si adulter auctor fuit adulteræ, ut spurium pro legitimo supponeret, teneatur resar-

cire omnia dicta damna filiis legitimis, vel hæredibus: secus autem quando nec procuravit, nec suasit.

X. Veriùs tamen dicendum, quòd sive suaserit, ut spurius supponatur pro legitimo, sive non, tenebitur compensare damna prædicta. Quia licèt non suaserit suppositionem, fuit tamen causa suo injusto actu, ut filius ille spurius credatur filius esse mariti; & hoc per se, cùm regulariter, & semper contingat: is enim semper creditur filius mariti, qui ex ejus uxore nascitur; ergo cùm per se sit causa talis erroris, est etiam causa omnium damnorum, quæ ex tali errore sequuntur. — Tùm quia: ut adulter causa sit suppositionis, sufficit, ut filium ex aliena uxore susceperit: hoc enim ipso, absque alia fictione, supponit eum marito, ac si filius ejus esset: sicut & adultera, ut causa sit suppositionis, sat est, ut stante matrimonio, & cohabitatione cum viro, suscipiat filium ex alio viro. Adulter ergo, ut pro supposita prole damna legitimis mariti filiis compenset, tenetur non solùm ad alimenta impendenda; sed etiam damnum hæreditatis, si possit, legitimis filiis, vel hæredibus compensare.

§. III.

Quid de Adultera dicendum sit.

XI. Respondeo per sequentia. Primò. Adultera certò tenens, prolem natam non esse sui mariti, in conscientia (quantum sinè vitæ, & famæ dispendio potest) laborare tenetur, ne legitimis prolibus, ac hæredibus obveniat damnum, quia injusta causa illius fuit: nisi fortè adulter eam decepisset, vel provocasset: quia in hoc casu adulter teneretur in solidum, quia censeretur hoc onus in se suscepisse.

XII. Secundò. Modus talis compensationis esse potest. Si mulier habeat dona paraphernalia, seu liberę ejus dispositioni relicta, debet ea filiis illegitimis in compensationem dare. Vel extraordinariè laborare, & lucrum inde acceptum illis tradere, ornatum muliebrem minuere &c. Poterit etiam filio adulterino, si capax sit, statum Clericalem, vel Monachalem suadere, sic tamen, ne secum ferat hæreditatem. Vel agere, ut ab extraneo, vel à suo vero patre adoptetur; sicque honesto titulo, è familia, & hæreditate exeat. Vel demum agere, ut, occultâ causâ, minor ei portio assignetur hæreditatis.

Quòd si uno, vel pluribus ex his modis proli legitimæ totum damnum resarciatur, vel nullum damnum sequatur; potest mulier permittere, ut cum legitimis filiis æducetur, & succedat in bonis patris putativi: ut nimirum conservet famam, quæ altioris ordinis est, quàm bona fortunæ — estò autem illegitimi per leges inhabilitentur ad succesionem in hæreditate; hoc intelligitur, quando res est notoria, nec est periculum infamiæ, aut gravioris mali: vel nisi damnum aliter compensetur, ut in casu.

XIII. Tertiò. Si adultera nullo dictorum modorum possit damnum compensare, adhuc non tenetur proli, vel marito crimen suum revelare. Hoc probabilius censetur. Quia in dubio melior est conditio possidentis: sed mulier est in possessione suę famę, ut supponitur, & semper, vel quasi semper habet rationem dubitandi, an sua revelatio sit profutura; imò timendi, ne ultra infamiæ notam, alia graviora mala ipsi, & proli sequantur, & tandem quòd suæ assertioni non credatur: quia filius matri dicenti, se esse spurium, licèt hoc dicat in mortis articulo, & post sumtam Eucharistiam, non tenetur credere, ut docent Canonistæ: Quia secundùm Regulam Juris: *Alleganti suam turpitudinem cum alterius præjudicio* (quale est hìc, cùm filius in communi opinione sit legitimus) *nulla est habenda fides.*

XIV.

XIV. Quarè quantacumque sit hæreditas, mulier, si honestæ sit conditionis, & passim bonæ famæ, per se loquendo, non tenetur, cum famæ publicæ, aut vitæ periculo revelare crimen suum: imò etiamsi moraliter crederet, esse sibi fidem adhibendam, & damnum à legitimis hæredibus avertendum. Et colligitur ex Innoc. III. rescripto, *Cap. Officii*, *de Pœnit. & remiss.* Ubi generaliter dicit, absolvendam mulierem, quę, ignorante marito, de adulterio prolem suscepit, idque viro fateri timet; & competentem satisfactionem per discretum Sacerdotem esse ei injungendam. Ratio est. Tum quia: bonum famæ, per se loquendo, melius est bonis fortunæ. Tùm etiam: quia in casu extremæ necessitatis nemo tenetur restituere: qui autem non potest restituere sinè certo periculo famæ, & probabiliter etiam vitæ, in extrema necessitate censendus est.

XV. Quæ tamen dicta sunt, intelligenda erunt, si mulier sit bonæ famæ. Nam si mulieris fama, vel esset suspecta, & parvi momenti comparatè ad hæreditatem, & damnum prolis legitimæ; teneretur cum periculo famæ (si desit periculum corporis, & animæ) impedire, ne illegitimus hæreditatem capiat. — Debent etiam intelligi, per se loqendo. Nam per accidens teneri potest. Primò. Si hæreditas, puta, Principatus, aut etiam Regnum ex suo silentio deberet transire ad spurium; & prudentum judicio pluris æstimaretur hoc damnum, quàm damnum, quòd fœminæ immineret: nam in certis circumstantiis bonum inferioris ordinis potest in æstimatione bono superioris ordinis prævalere. — Secundò. Si periclitaretur bonum commune, teneretur mulier revelare, etiam cum periculo vitæ: puta, si spurius, qui deberet succedere in Regno, aut Principatu, velut primogenitus, esset hæresi infectus, aut pessimis imbutus moribus; adeout grave damnum communi bono fidei, & pacis timeretur; legitimus verò esset catholicus, & optimę spei.

XVI. Pro complemento hujus dubii statuo casum. Filius ille adulterinus, in opinione legitimus, vult contrahere matrimonium cum filia sui parentis veri, nempe adulteri; & consequenter cum sorore ex patre, quam ipse nescit, qnod est impeditum dirimens: quomodo se geret mater adultera? Tenebitur ne revelare, sive ante, sive post matrimonium contractum, etiam contra parenrum voluntatem?

Respondeo, certum esse imprimis, parentes id rescientes (nempe utrumque adulterum) omni possibili modo, adulterio non revelato, hoc matrimonium ipedire teneri. Quòd si aliter impedire non possent, teneri uni saltem eorum, nempe filio, vel, si aliter fieri nequit, etiam utrique, impedimentum revelare: ne tantum facinus, nempe, incestus fratris cum sorore sequatur.

QUÆSTIO III.

De Restitutione Famæ.

Specialem quæstionem de hoc instituimus, quia specialem affert difficultatem. Quare quæremus: quomodo fama lædatur: quis, quomodo læsionem hanc reparare debeat: aliaque pro plena conscientiarum instructione exponemus.

DUBIUM I.

Quot Modis Famæ, vel Honoris Læsio contingat.

§. I.

Quid sit Fama, & Honor.

I. Fama, & honor licèt vulgò pro eodem accipiantur, diversa tamen sunt. Nam honor habet pro materia propriâ alterius excellentiam, ut sapientiam, ingenium, nobili-

nobilitatem, divitias, dignitatem. Unde solet definiri cum S. Thoma, 2. 2. q. 103. a. 1. quòd sit: *Quadam protestatio de excellentia bonitatis alicujus.* Fama verò habet pro materia primariâ, & propriâ virtutem, & bonos mores alterius. Unde definiri solet: *Clara notitia, quam alii de nobis habent.* Vel bonæ, & inculpatæ vitæ existimatio, quàm alii de nobis habent. Unde consistit potissimùm in opinione virtutis, & sapientiæ, & bonarum actionum alterius: quamvis secundariò consistat etiam in opinione ingenii, eloquentiæ, nobilitatis, divitiarum, & aliorum, quæ inter homines magni æstimantur.

II. Hinc infertur primò: famam esse majus bonum, quàm honorem. Tùm quia: potior est æstimatio, quam alii habent de nostra probitate, quàm reverentia, quam homines sæpè vanè, imò & mendaciter exhibent. Tùm quia: fama consistit in interna opinione, honor in externa testificatione; actus autem interni præstantiores sunt externis. Tùm demum: quia intantùm honor æstimatur, inquantùm est testificatio famæ, seu bonæ existimationis, & inquantùm eam includit. Unde qui prudentes sunt, malunt, homines de se benè sentire, absque ulla exteriori protestatione; quàm si per honorem attestarentur, se bonam opinionem habere, cum haberent malam.

III. Infertur secundò ex his: famam, & honorem non ita inter se connecti, quin aliquando separentur. Multoties enim honorantur Magnates, ob excellentiam sanguinis; quorum mala habetur opinio, & morum sinistra existimatio. Et è contra viri sanctissimi in eremis latitantes solent honoribus privari; de quorum sanctitate, & virtute clara habetur notitia, & æstimatio. Quare potest peccari graviter contra honorem, & non contra famam: ut si alicui in occulto alapam dedisti, honorem, quem teneris compensare, læsisti, non famam: si alicujus honorem denigrasti, crimina falsa ei objiciendo coram personis, quæ ea non crediderunt, honorem vulnerasti, non famam. E contra verò si alicui absenti detrahens, defectus graves occultos prodendo, ejus bonam æstimationem coram aliquibus, qui eos crediderunt, denigrasti; contra famam egisti, & fortè non contra honorem: quia non semper est dehonoratio, saltem gravis, turpia de aliquo narrare. His notatis

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. FAma, & honor alterius possunt lędi facto, ut si ad januam uxorati appendantur cornua: et verbis, nimirum, vel detractione, vel contumeliâ, vel susurratione, vel derisione.

Detractio definitur à S. Thoma 2. 2. q. 73. a. 1. quòd sit: *Injusta Denigratio alienæ famæ, per occulta verba.* Dicitur primò *Injusta*. Unde non peccant, Judex justè, & legitimè damnans reum testes juridicè deponentes, revelans alterius crimen, ut damnum vitet proprium, vel alterius, servato ordine fraternæ caritatis. Dicitur *Aliena fama.* Hęc enim est detractionis objectum, sicut alienus honor est objectum contumeliæ. Dicitur etiam *Occulta*. Quia detractor loquitur occultè, contumeliosus autem manifestè, & palàm. Dicitur *per Verba*. Sive propriè dicta, sive per æquipollens, ut sunt nutus, gestus, scriptura, imò & aliquando etiam silentium.

V. Contumelia definiri potest, quòd sit. Injusta dehonoratio, quâ aliquis id, quod est contra honorem alterius, deducit in notitiam ejus, & aliorum. Contumelia etsi præcipuè consistat in verbis, potest tamen etiam irrogari facto: vel ut factum est proximo nocumentum afferens; ut si alterum fuste percutias, vel ei alapam infligas: vel ut factum habet rationem signi. Sic frangere imagines,

nes, vel insignia Principis, ut factum est, nullum nocumentum affert Principi: ut tamen signum est assumptum: ad ostendendum animum ipsum dehonorandi, eumque contemtu dignum ostendendi, contumelia est. Similiter alterius januam deturpare, ut ipsum quis vilipendat, contumelia est: eam autem frangere potest, & ad rapinam pertinere, si frangat, ut alienum rapiat; & ad contumeliam, si eodem actu velit eum dehonorare: unde utrumque foret in Confessione exprimendum. Verbis autem tripliciter contingere potest contumelia. Primò. Si quis alteri objiciat defectus verbis apertis. Secundò. Si scripto, vel famoso libello: & tunc vel nomen suum manifestat; & sic partim est contumeliosus, partim detractor: vel reticet, nec vult manifestari; & sic est propriè detractor, quia vult infamare cum quadam occultatione. De contumelia agit S. Tho. 2. 2. q. 72. ad quam Studiosum remitto.

Solùm observandam censeo ex eodem S. Doctore, laudatâ quæst. a. 1. ad 3. differentiam inter contumeliam, convitium, & improperium. Quòd contumelia propriè est dehonoratio per verba exprimentia malum culpæ: ut cum alicui, seu verè, seu falsò objicitur, quòd sit fur, mæchus, hæreticus, &c. Convitium est dehonoratio per verba objicientia generaliter repræsentantia defectum, sive culpæ, sive pœnæ: ut si alicui injuriosè dicas, eum esse spurium, cæcum, claudum, convitium dices. Improperium autem dicit inhonorationem per verba quandam minorationem, vel indigentiam importantia: ut cum quis injuriosè alteri objicitur beneficium ei in necessitate præstitum.

VI. Susurratio ex D. Thom. 2. 2. q. 74. a. 1. convenit cum detractione, & differt ab illa: *Susurro* (ait S. Thom.) *& detractor in materia conveniunt, & etiam in forma, sive in modo loquendi; quia uterque malum occultè de proximo dicit .... differunt autem in fine. Quia detractor intendit denigrare famam proximi: unde illa mala praecipuè de proximo proferet, ex quibus proximus infamari possit, vel saltem diminui ejus fama. Susurro autem intendit amicitiam separare..... Et ideo susurro talia mala profert de proximo, quæ possunt contra ipsum commovere animum audientis*. Quare susurratio describi potest, quòd sit: Secreta oblocutio, quæ malum occultè de proximo dicit, eo animo, ut inter aliquos amicitia dissolvatur. Hinc S. Thom. citatus, a. 2. infert, susurrationem gravius peccatum esse detractione. Nam *peccatum in proximum tantò est gravius, quantò per ipsum majus nocumentum proximo infertur; nocumentum autem tantò majus est, quantò majus est bonum, quod tollitur. Inter caetera verò exteriora bona praeminet amicus...... Unde dicitur Ecclesiastici*, 6. Amico fideli nulla est comparatio. *Fama autem ipsa, quæ per detractionem tollitur, ad hoc maximè necessaria est, ut homo idoneus ad amicitiam habeatur. Et ideo susurratio est majus peccatum, quàm detractio, & etiam quàm contumelia; quia amicus est melior, quàm honor, & amari, quàm honorari*. Addo: quòd ubi detractio solùm bonum famæ tollit; susurratio & bonum famæ, & amicitiæ dissipat.

VII. Derisio ex S. Thoma 2. 2. q. 75. a. 1. speciale peccatum est à supradictis distinctum. Et est: Quâ quis malum de proximo dicit, ut erubescat: *Sicut autem* (ait S. Thom.) *aliquis convitiando intendit convitiati honorem deprimere, & detrahendo diminuere famam, & susurrando tollere amicitiam: ita etiam irridendo aliquis intendit, quòd ille, qui irridetur, erubescat. Et quia hic finis est distinctus ab aliis; ideo etiam peccatum irrisionis distinguitur à praemissis peccatis*.

An vero irrisio sit peccatum mortale: dicit S. Thom. ibi a. 2. *Quòd irrisio non sit, nisi de aliquo malo, vel defectu. Malum autem si sit magnum,* non

non pro ludo accipitur, sed seriosè. Unde si in ludum, vel risum vertatur, ex quo irrisionis, vel illusionis nomen sumitur; hoc est, quia accipitur, ut parvum. Potest autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter. Uno modo, secundùm se: alio modo, ratione personæ. Cùm autem aliquis alterius personæ malum, vel defectum in ludum, vel risum ponit, quia secundùm se parvum malum est; est veniale, & leve peccatum secundùm genus suum. Cùm autem accipitur quasi parvum, ratione personæ, sicut defectus puerorum, & stultorum parum ponderare solemus: sic aliquem illudere, vel irridere, est eum omnino parvipendere, & eum tàm vilem æstimare; ut de ejus malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum. Et sic derisio est peccatum mortale, & gravius, quàm contumelia, quæ similiter est in manifesto: quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriosè, illusor autem in ludum: & ita videtur esse major contemtus, & dehonoratio. Et secundùm hoc illusio est grave peccatum; & tanto gravius, quantò major reverentia debetur personæ, quæ illuditur.

Ex quo infert S. Doct. quòd gravissimum est irridere Deum, & ea, quæ Dei sunt; huic enim blasphemia conjuncta est. Secundum locum tenet irrisio parentum. Tertium irrisio Justorum, quæ valde gravis est. Tùm quia: tollit honorem, qui est virtutis præmium. Tùm quia: valde nociva est, quia per hoc homines à bene agendo impediuntur.

Tradit insuper idem S. Thom. citatus, *a.* 1. *ad* 1. differentiam esse inter subsannationem, & irrisionem: quòd quamvis conveniant in fine, & per hoc specie non differant; irrisio tamen fit ore, idest, verbo, & cachinno; subsannatio autem naso rugato.

§. III.

An Detractio, & Contumelia sint Peccatum Mortale.

VIII. Circa detractionem, de qua præcipuè acturi sumus, notat S. Thom. *q.* 73. *a.* 2. eam esse ex suo genere peccatum mortale. Quia *Detractio, secundùm suam rationem, ordinatur ad denigrandam famam alicujus.... Auferre autem alicui famam valde grave est: quia inter res temporales fama videtur esse pretiosior, per cujus defectum impeditur homo à multis benè agendis*. Et *art.* 3. docet, & probat, detractionem esse ex suo genere gravius peccatum furto; minus tamen, quàm homicidium, & adulterium. Gravius quidem furto: quia inter exteriora bona, fama, quæ eripitur per detractionem, præeminet divitiis, quæ furto auferuntur; eo quòd facta propinquior est spiritualibus bonis. Minus grave homicidio, & adulterio: quia his læditur homo in bonis corporis. Homicidio enim tollitur vita corporis actu existens; adulterio autem tollitur debitus ordo generationis humanæ, per quam est introitus ad vitam: bona autem corporis potiora sunt bonis exterioribus, inter quæ est fama. Nisi fortè in singulari, ob circumstantias, sive majus, vel minus nocumentum, aliter esset discurrendum.

IX. Circa contumeliam, seu convitium docet S. Thom. *q.* 72. *a.* 2. esse & ipsam ex suo genere peccatum mortale, non minus, ac furtum, & rapinam. Unde Christus, *Matth.* 5. *v.* 22. ait: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Solum autem peccatum mortale facit reum gehennæ. Et reddit rationem: *Non enim homo minus amat suum honorem, quàm rem possessam*. In singulari tamen potest tàm detractio, quàm contumelia, & convitium non esse peccatum mortale. Detractio quidem.

Nam

Nam, ut docet q. 73. a. 2. *Contingit quandoque, quòd aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicujus; non hoc intendens, sed aliquid aliud: hoc autem non est detrahere, per se, & formaliter loquendo, sed solùm materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis; non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate, vel præter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale; nisi fortè verbum, quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat; & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis; & tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cujuslibet rei subtractæ.* Ita S. Thomas. Quæ in praxi valde sunt notanda.

Contumelia quoque. Nam, ut docet idem S. Doct. q. 72. a. 2. his verbis: *Si verò aliquis verbum convitii, vel contumeliæ alteri dixerit; non tamen animo dehonorandi, sed fortè propter correctionem, vel propter aliquid hujusmodi; non dicit convitium, vel contumeliam formaliter, & per se, sed per accidens, & materialiter: inquantùm dicit id, quod potest esse convitium, vel contumelia. Unde hoc potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque autem absque omni peccato.* Nam (ait ibi ad 2.) *Sicut licitum est, aliquem verberare, vel in rebus damnificare, causâ disciplinæ: ita etiam causâ disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dicere. Et hoc modo Dominus discipulos vocavit* Stultos (Lucæ 24. v. 25.) *Et Apostolus Galatas* Insensatos (Galat. 3. v. 1.) *Tamen sicut dicit Augustinus*, lib. 2. de Serm. Domini in monte, c. 19. *Raro, & ex magna necessitate objurgationes sunt adhibendæ; in quibus non nobis, sed ut Domino serviatur, instemus.*

Unde S. Doctor, ibi in Corp. prosequitur: *In quo tamen necessaria est discretio, ut moderatè homo talibus verbis utatur: quia posset esse ita grave convitium, quod per incautelam prolatum auferret honorem ejus, contra quem proferretur. Et tunc posset homo peccare mortaliter, etiamsi non intenderet dehonorationem alterius: sicut etiam si aliquis incautè alium ex ludo percutiens, graviter lædat, culpâ non caret.*

X. Susurrationem peccatum mortale esse, nemo dubitare potest. Cùm enim, ut dicebamus, tendat ad dissolvendam amicitiam inter duos; contrariatur non solùm justitiæ, sed etiam præcepto dilectionis proximi, juxta illud, Ecclesiastici 28. v. 15. *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Ac subinde describuntur mala, quæ ex susuratione sequuta sunt. Super quæ S. Thomas, q. 75. a. 1. ad 3. ait: *Bilinguis propriè dicitur susurro. Cùm enim amicitia sit inter duos, nititur susurro ex utraque parte amicitiam rumpere; & ideo duabus linguis utitur ad duos, uni dicens malum de alio. Propter quod dicitur, Ecclesiastici* 28. Susurro, & bilinguis maledictus &c.

XI. Quòd si quæras: Quodnam ex his gravius peccatum sit?

Respondeo, ex dictis §. præcedente, susurrationem gravius peccatum esse detractione, & contumeliâ. Quia susurratio directè intendit amicitiam inter duos dissolvere; quod majus bonum est, quàm honor, quod detractione, & contumeliâ tollitur: unde directè agit contra præceptum de dilectione proximi, & consequenter contra Deum, qui dilectio est. Quare, Ecclesiastici 5. v. 17. dicitur, *Super furem enim est confusio, & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* & Proverb. 6. v. 16. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus*, & hoc septimum ponit eum, *Qui seminat*

inter fratres discordias. Vide S. Thom. *q.* 74. *a.* 2. *ad.* 3.

XII. Quid autem gravius sit : Contumelia, an detractio?

Dico cum D. Thom. q. 73 a. 3. ad 2. *Quòd gravius peccatum est contumelia, quàm detractio; inquantùm habet majorem contemtum proximi: sicut & rapina est gravius peccatum, quàm furtum.* Contumelia enim in præsentia, & quasi vim inferendo, irrogatur; detractio autem tollit famam in absentia: sicut rapina in præsentia, furtum verò in absentia pecunias tollit. Ex quo sequitur, contumeliam esse acerbiorem; quia per eam quis patitur involuntarium per violentiam, sicut in rapina: & per detractionem solùm patitur involuntarium per ignorantiam, sicut in furto. *Magis autem est aliquid involuntarium per violentiam, quàm per ignorantiam; quia violentia directiùs opponitur voluntati, quàm ignorantia.* Ita S. Thom. 2. 2. q. 66. a 9.

DUBIUM II.

Quandonam Incurratur Obligatio Famam Restituendi, & Quando non?

§. I.

An Fama Ablata sit Restituenda?

I. Dico. Fama injustè ablata est restituenda. Est certum. Nam fama, & honor bona præstantiora sunt, quàm divitiæ, juxta illud, Prov. 22. v. 1. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*: atqui pecuniæ injustè ablatæ sunt necessariò restituendæ; ergo multò magis honor, & fama, si injustè auferantur: imò non tantùm ipsa restituenda sunt, sed omnia damna inde secuta. — Et Confirmatur. Nam, ut superiùs diximus, restituere quod injustè ablatum est, necessarium est ad salutem; ergo qui famam injustè abstulit, necessitate ad salutem tenetur restituere.

II. Dixi, quòd fama injustè ablata est restituenda. Nam fama potest auferri tripliciter, ex D. Th. 2. 2. *q.* 62. *a.* 2. *ad* 2. Primò. Verum dicendo, & justè: ut cùm, servato juris ordine, quis interrogatus in judicio verum crimen alterius manifestat. Sed hic non propriè infamat: nam licèt invito domino famam auferat, non tamen injustè. Sicut non omnis, qui aufert rem alienam, domino qualitercumque invito, dicitur furari; sed solus, qui aufert, domino rationabiliter invito, atque ita injustè. Et hic non tenetur ad restitutionem famæ. Secundò. Falsum dicendo, & injustè: & tunc tenetur restituere famam, confitendo, se falsum dixisse. Tertiò. Verum dicendo, sed injustè: puta, cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & is pariter tenetur restituere quantum potest. Sed de his infra.

§. II.

Resolutio Dubij.

III. Diminutio famæ, ex D. Tho. 2. 2 *q.* 73. *a.* 1. *ad* 3. contingere potest dupliciter. Vel directè, vel indirectè. Directè quatuor modis hoc versu significatis:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Imponens. Quando falsum imponit alteri. *Augens.* Quando peccatum adauget suis verbis. *Manifestans.* Quando occultum revelat. *In mala vertens.* Quando, id quod est bonum, dicit malâ intentione factum. — Indirectè verò fit etiam quatuor modis, hoc versu expressis:

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatur remissè.

Nimirum: *Qui negat.* Cum quis alterius præclarè gesta, aut dotes, vel merita negat. *Aut minuit.* Cum ea extenuat. *Reticet.* Cum ea tacet eo tempore, & loco, quo silentium præsumitur, aut vituperatio, aut narrati

rati criminis confirmatio. *Laudatur remissè*. Cum quis alium laudat frigidè, & simulatè. Ex dictis modis unus est altero notabiliter gravior; omnesque obligant ad restitutionem famæ, & damnorum, si quæ sequuntur.

IV. Dico. Obbligatio restituendi incurritur, quando fama est verè ablata, quando injustè, quando non est recuperata: quando infamatus non cessit suo juri, neque remisit obligationem restituendi. Primum constat. Quia si fama proximi non est ablata, seu denigrata, nulla est ei facta injustitia, & nullum damnum illatum. Sicut ergo fur, qui conatus est alteri pecuniam auferre, non tamen abstulit, non tenetur eam restituere: ita non tenetur restituere famam, qui licèt, vel detrahendo, vel aliter conatus sit proximo auferre famam, non abstulit tamen.

Quatuor autem modis contingit non lædi famam, quamvis ei detrahatur, sive cum veniali, sive cum peccato mortali. Primò. Si mala, quæ de aliquo dicuntur, non sint respectu ejus infamia: ut si de milite dicatur, quòd provocavit alium ad duellum: de homine vulgari, quòd fuerit ebrius in regione, in qua ebrietas non æstimatur pro infamia — Secundò. Quando aliquis de tali materia est publicè infamis: ut si de publico usurario dicatur, quòd contractum usurarium inivit: de meretrice, quòd fornicata sit. — Tertiò. Si sit materia, quæ in tali persona, ut levis habeatur, neque ejus æstimationem notabiliter lædat — Quartò. Quando non creditur diffamatori: quia nimirum homo levis est, nec fide dignus: vel quia existimatur joco, dixisse, quod dixit.

V. Secundum quoque certum est. Quia, ex supradictis, fama si justè auferatur, in nullo violatur justitia: cumque nullus alius appareat titulus, ex quo nasci possit obligatio restitutionis, quàm violata justitia; fit, quòd qui eam non violavit, restituere non teneatur. Quia restitutio supponit, per ablationem, inductam inæqualitatem; quatenus unus habet minus, quàm habere debebat, alter plus: qui autem justè famâ privatur, non habet minus, quàm habere debet; ideoque per justitiam non est facienda æqualitas. Addo: quòd nemo ex justitia tenetur restituere, aut etiam ex caritate, quando nihil alienum manet penes auferentem: atqui penes eum, qui justè, & licitè famam alterius aufert, nihil manet alienum, cùm faciat actum justitiæ; ergo &c. Hinc ad restitutionem non tenentur, qui juridicè malefactores accusant, vel puniunt: qui, juxta præceptum correctionis fraternæ unum, vel duos testes secum adhibent ad corripiendum fratrem: qui amico consulentes, ei detegunt infidelitatem servi, aut ne eum admittat, aut ne ei nimiùm fidat: qui aperiunt improbos mores alterius, ne honesta filia ipsum accipiat in matrimonium.

VI. Tertium non minus est certum. Nam si fama injustè ablata non est recuperata; is, à quo fuit ablata semper habet jus adversùs ablatorem eam repetendi. Si verò aliâ viâ eam recuperavit; vel per evidentiam rei, vel per integritatem vitæ, vel per testium inductionem, vel per sententiam Judicis, aut alio modo: non tenetur qui ei famam abstulit, restituere: quia jam cessat damnum, & inæqualitas per detractionem inducta. Sicut si Petrus pecuniam, sibi furto ablatam, per se ipsum accipiat, non tenetur fur eam restituere. Advertendum tamen: quòd si occasione, & causâ infamationis infamatus aliqua damna, sive in recuperanda famâ, sive aliter passus sit, vel sumtus fecerit; tenebitur infamator hæc omnia compensare. Quin etiam pro ipsa infamia, quam tanto tempore sustinuit, antequam famam recuperaret, aliquid erit arbitrio viri prudentis restituendum, per signa honoris, & doloris,

per veniæ petitionem, aut laudem, vel aliis modis.

VII. Petes: Si illi, coram quibus aliquis detraxit de proximo, penitus obliti sint; censendus ne est proximus ita recuperasse famam, ut alter non teneatur ad ejus restitutionem? — Respondeo affirmativè. Quia proximus nihil infamiæ habet apud illos, qui penitus obliti sunt criminis: debebit tamen damna, si quæ à tempore infamiæ usque ad oblivionem secuta sunt, compensare.

VIII. Sed quid si post multos demum annos, ut quindecim, viginti, triginta meminerit quis, se notabiliter detraxisse in juventute; revelando, nempe, occultam alicujus honestæ puellæ fornicationem? Tenebitur ne tunc famam ablatam restituere; aut petere ab illis, apud quos detraxit, an recordentur alicujus peccati, quod de tali persona olim narraverit?

IX. Respondeo, prudenter hìc agendum: & tùm ex modo, quo cum persona infamata conversantur; aut, quo de illa loquuntur ii, apud quos detraxit, observandum: num aliqua in eis memoria remanserit peccati à tanto tempore narrati, vel sinistra propter illud opinio. Si sic: restitutio erit omnino facienda. Quia tunc periculum est, ne tantò firmiùs credant, quantò narrationem à tot annis factam, multis interea Confessionibus, & Communionibus interpositis, revocare non curat. Si nihil possit advertere, non oppportet ullam restitutionem facere: nisi fortè, datâ occasione, benè de illa personâ loqui, & omnem perversæ cogitationis ansam auferre.

Petere verò, num recordentur alicujus criminis jam olim narrati, non existimarem necessarium, imò nec consultum: ne contingeret, ut illud, quod nunc fortasse obliti sunt, eis in memoriam revocaretur, & difficiliùs deleretur. Longè ergo satius est, nullam omnino criminis illius memoriam haberi; eo quòd diuturnitas temporis, adhibitâ, quam supra diximus, cautelâ, sufficiens conjectura est, ad probabiliter credendum, eos jam esse oblitos: nisi contrarium saltem ex probabilibus argumentis appareat.

X. Quartum, nempe, detractorem, cui infamatus non cesserit juri suo, adhuc manere obligatum ad restitutionem, certum est. Sicut enim qui rem alienam abstulit, semper manet obligatus ad restitutionem, donec ille, à quo est ablata, obligationem restituendi non condonaverit: idem dicendum de eo, qui famam abstulit.

Adverte tamen: quòd tacere, aut patienter infamiam ferre, non est condonare, nec liberat infamatorem à debito restitutionis. Sicut enim estò Martyres patienter tolerarent mortem, nihilominus tyranni peccabant contra justitiam: ita etsi infamatus patienter infamiam toleret, & eam propter Deum non curet; adhuc infamator ad restitutionem tenetur, nisi expressè illam, ejusque restitutionem condonet.

An vero sufficiat, si infamatus remittat offensam in genere, quæcumque illa sit; an vero requiratur, ut eam in specie exprimat: aliqui dubitant. Crediderim tamen, quòd sit satis: nam qui totum condonat, nihil reservat, aut excludit.

An verò infamatus, licitè possit condonare obligationem restituendi, dicetur infra.

§. III.

Illata ex Dictis §. Praecedente.

XI. Ex dictis infertur, quando detractor excusetur à restitutione, nimirum, primò. Quando fama non verè est ablata. Secundò. Quando est quidem ablata, sed justè. Tertiò. Quando fama est recuperata. Quartò. Quando qui infamiam passus est, condonat debitum eam restituendi.

XII. Quibus adjungi possunt alii casus,

asus, quibus detractor excusandus videtur à debito restitutionis. Primò. Si, ut supra dicebamus, proferens verba contra famam, non intenderit eam denigrare, sed aliquid aliud; nisi tamen secutum sit damnum. — Secundò. Si ex animi levitate id protulerit; si tamen damnum secutum non fit. — Tertiò. Si protulit propter bonum aliquod necessarium, vel ad avertendum grave damnum. Unde licet prodere defectus occultos illius, qui cum detrimento publico præficiendus esset cuipiam officio: monere aliquos, ut sibi cautant ab eo, quem nosti esse furem: & ut declinent ejus consortium, quo prudenter times fore corrumpendos. — Quartò. Si culpa, quæ proditur sit venialis; vel etsi in se gravis, respectu tamen personæ, de qua dicitur, est infamia levis: ut si de meretrice dicatur, quòd fornicata est. — Quintò. Si detrahenti non credatur; vel quia reputatur homo levis, vel indignus fide, vel creditur ex joco dicere — Sextò. Si proerat in circumstantia, ex qua non sequatur infamia: ut si de aliquo non noto, nec unquam cognoscendo. — Septimò. Si narretur crimen, quod jam est, vel proximè certè fiet notorium — Octavo. Si narretur crimen, quod est cum crimine principali jam noto connexum. Et ratio horum est. Quia in prædictis casibus, vel non sequitur læsio famæ per se, aut nullo modo; vel ad summum levis, ut ponderanti patebit.

XIII. Excusare quoque potest necessitas. Ut si quis injustè infametur, & infamiam aliter non possit avertere, nisi prodendo occultum ejus crimen: is enim non teneretur ad restitutionem; quia esset sicut ille, qui aliter non valens vitam ab aggressore tueri, aggressorem interficeret.

XIV. Excusare potest etiam à restitutione compensatio. Ut si duo equaliter se infamaverint, & conveniant inter se, ut uterque maneat cum sua infamiâ; nisi tamen oriatur scandalum. Nota tamen, non licere compensare sibi infamiam, reciprocè alterum infamando: quia non licet, malum pro malo reddere. Si tamen id factum sit, modò infamia sit æqualis, & personæ se infamantes æqualis dignitatis; non tenetur unus restituere, nisi alter restituat. Quamvis enim non reparetur damnum: tollitur tamen debitum illius damni restituendi, si alius nolit resarcire damnum, quod tibi intulit. Sicut si Petrus tuas segetes incendit, & postea tu incendas tantumdem segetem ipsius, non reparatur quidem damnum: tollitur tamen debitum restituendi, si is, qui prior incendit, non restituat.

XV. Excusat etiam impotentia moralis. Ut si quis restituere nequeat, absque amissione propriæ famæ, quæ longè præstantior sit: puta, si infamatus sit persona vilis, infamans verò celebris, & necessaria. Tunc enim fat esset, vel laudare infamatum in in eo genere, in quo eum diffamavit; aut damnum pecuniâ, aliove modo redimere. Pariter si absque periculo vitæ, ordinariè non possit; quia vita altioris ordinis est, quàm fama: nemo autem tenetur restituere bona inferioris ordinis cum jactura bonorum ordinis superioris. Si tamen ex circumstantiis fama alterius esset majus bonum, quàm vita detractoris; ut si ex hoc immineret bellum intestinum, vel civile, vel publicum; vel si privatus familiam valde illustrem, cujus famæ integritas omnino est necessaria, vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ, infamavit de hæresi, nec possit ea macula abstergi, nisi retractet id, quod dixit: tunc probabile est, eum teneri etiam cum periculo propriæ vitæ restituere. Idem dicendum videtur de eo, qui infamasset aliquem de falso crimine, ob quod esset occidendus: teneretur enim infamator exponere se periculo mortis, ut ejus famam, & vitam repararet.

XVI. Sed quid dicendum: si ille innocens sit occidendus, puta, propter homi-

homicidium commissum à Petro, falsò illi impositum, non à Petro, sed ab alio: tenebitur ne Petrus seipsum prodere, ut ipsum liberet? --- Respondeo, non teneri, si se prodendo mors ei immineat: quia non est causa infamiæ, vel periculi innocentis. Si tamen ex caritate vellet se prodere, benè faceret: cùm ex caritate liceat exponere vitam propriam pro vita proximi, maximè quando injustè periculo exponitur.

XVII. Non excusatur tamen à restitutione infamato, estò cum crimine narret etiam ejus pœnitentiam; nisi pœnitentiæ relatio spectet ad Dei gloriam: qualis est narratio peccati, & pœnitentiæ Magdalenæ, Petri, Pauli &c. Ratio est. Quia licèt pœnitentia sit eximium bonum, & audientes ædificet; non aufert tamen sinistram opinionem de crimine, sed confirmat potiùs.

XVIII. Non excusatur pariter à restitutione qui alium diffamat dicens, eum per hypocrisim sibi comparasse famam: quia talis habet jus suæ famæ; & per hypocrisim alteri non nocet, sed sibi soli. Quòd si hypocrisis alteri noceret, qui hoc revelaret, esset liber à restitutione: maximè si id ex zelo, & ad avertendum damnum hoc faceret. Et ratio est: quia talis non habet jus retinendi suam famam, præsertim in errore fundatam, cum damno, vel incommodo aliorum. Hinc si quis verè pauper simulet se sanctum, & pium, ut eleemosynas accipiat, non potes ejus peccata occulta detegere: cùm enim sit pauper, & eleemosynæ capax, ejus ficta sanctitas nemini nocet. At si qui non est pauper, simularet se talem, ut eleemosynas acciperet; servatis iis, quæ secundùm ordinem fraternæ correctionis adhibenda sunt, posset ejus simulatio detegi iis, quorum est impedire: ne propter eum veri pauperes frustrarentur.

XIX Non excusatur à debito restituendi, qui cùm famæ proximi detraxerit in uno genere, eam auxerit in alio genere; quia per hoc non redditur æqualitas: puta, si quem diffamasti ob adulterium, laudes ob liberalitatem. Si tamen in hoc genere ita auxeris famam ejus; ut prudentum judicio sinistra de eo impressio in alio genere deleta credatur: tunc facta erit compensatio. Adverte tamen: quòd si quis familiari modo loquendi diceret: Petrus est liberalis, misericors, justus, omni pietate ornatus: *Sed est damnum, quòd sit fornicarius, quòd sit ebriosus*; ita ut ex una parte famam ejus extolleret, ex alia deprimeret: iste perniciosè loqueretur, ac in eo, quod ei detraxit, restituere teneretur.

XX Nec à restitutione deobligatur, qui injuriam sibi factam (occultam tamen) puta, tori sui violationem, amico suo narraret cum animo detrahendi, & se vindicandi: quia sic deturbaret à possessione famæ, in qua erant, apud amicum adulteri. Sunt enim multi, qui cùm non audeant apertè contumeliam pro injuria sibi illatâ reddere; eo quòd metuant eum, qui ipsos læsit: occultè conantur ulcisci proditione acceptæ injuriæ, denigrando ejus famam, & bonam opinionem, quam alii de ipso habent. Si verò quis malum sibi illatum amico referat, solo animo leniendi dolorem; aut auxilii, seu consilii capiendi, sinè nimiâ exaggeratione, & personâ non nominatâ; nisi fortè quantum suum solatium, & necessitas consilii postulat, non peccat: quia utitur jure suo; dum non vindictam, sed consolationem quærit, ac suæ indemnitati consulit: quòd verò qui intulit injuriam infametur apud consolatorem, imputet sibi. Nimis enim durum esset, si qui injuriam passus est, cogeretur injurias solus ferre; nec posset ab amico solamen, & auxilium pro sua indemnitate quærere; ut indemnitati famæ sui injusti offensoris consuleret, & sartam tectam servaret.

§. IV.

§. IV.

Aliqua Quæsita Proposita, & Soluta.

XXI. QUæres Primò: An ad restitutionem teneatur, qui sinè ullà assertione refert crimen, quod de altero audivit?

Familiare est hominibus audita, sive vera, sive falsa proximi crimina referre; ita tamen, ut non ausint affirmare, ita esse: imò potiùs dicant, se non posse credere. In hoc ergo casu procedit quæsitum.

Certum est Primò: quòd si ista relatio fiat animo lædendi famam proximi, & eam notabiliter lædat, est peccatum mortale obligans ad restitutionem; quia est formalis, & vera detractio. Si autem fiat quidem animo lædendi, non tamen lædat, est quidem peccatum mortale; sed non obligat ad restitutionem, quia famæ ablatio non est secuta.

Certum est Secundò: talem relationem, etsi non factam animo diffamandi, sed solùm ex quadam loquacitate procedentem, non carere peccato, saltem veniali, contra caritatem. Tum quia: illa loquacitas continet sermonem superfluum. Tum quia: est contra præceptum juris naturæ, Tobiæ 4. v. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias.* Quod etiam Christus, *Matth. 7. v. 12.* inculcat, dicens: *Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* An verò obliget ad restitutionem, etiamsi referatur sinè animo lædendi, sequatur tamen apud audientes proximi læsio, Cajetanus, in 2. 2. q. 73. a. Sylvester, verbo *Detractio*, q. 4. Navarrus censent, non obligari ad restitutionem: quia etsi audientes credant, id non est ex vi narrantis, sed ex audientium facili credulitate.

XXII. Attamen Soto, Bannez, Sylvius, censent oppositum. Et ratio est. Nam qui crimina de altero audita narrat, absque animo lædendi ejus famam, & sinè ullà assertione, quòd vera sint; si alter exinde infamatur, sua narratione fit causa infamiæ: talis enim narratio nata est, ut minimum, generare suspicionem. Si enim quis referat, se audivisse, quòd suus vicinus sit adulter, vel hæreticus, aut patriæ proditor; quamvis dicat, se non credere, sermo ipsius natus est ingenerare apud audientes (qui & proniores sunt ad credendum mala, quàm bona) malam aliquam suspicionem, quod saltem non fit sinè fundamento, quâ fama proximi apud eos læditur, cujus causa est narrator: qui etsi nil mali intenderit, advertere tamen debuit, auditores aliquid malæ suspicionis formaturos: ideoque illius damni causa moralis censetur, & obligatus ad reparationem. Docet enim S. Tho. 2. 2. q. 73. a. 2. quòd si quis *Proferat ex animi levitate, vel propter causam non necessariam, non est peccatum mortale; nisi fortè verbum, quod dicitur, sit adeo grave, quòd notabiliter famam alicujus lædat; & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et ideo tenetur ad restitutionem famæ.* Non ergo ex levitate audientium, ut putant Auctores oppositi; sed ex ipso genere narrationis, sequitur famæ læsio, fitque narranti culpabilis.

XXIII. Quæres secundò: An qui diffamatum in uno loco diffamat in alio, peccet, & teneatur ad restitutionem?

Respondeo cum distinctione. Vel enim diffamatum in uno loco diffamat in alio, ad quem verisimile est infamiæ notitiam cito perventuram; sive propter loci vicinitatem, sive propter mutua incolarum commercia, sive ob alias causas: vel diffamat in alio, ad quem ejusmodi infamia, vel non fuisset perventura, vel saltem nisi post longum tempus.

XXIV. Igitur, si priori modo diffa-

famat, nec tenetur ad restitutionem, nec peccat, saltem mortaliter, si absit prava intentio. Ita Banez, Salon, Navarrus &c. Quia talis propriè non diffamat alium, neque ipsi aufert famam: cùm ille jam antea eam in uno loco palam, ac publicè amiserit; & propter divulgationem, mox futuram, perinde est, ac si perdidisset etiam in alio. Addo: quòd qui in uno loco sic est diffamatus, ut ejus crimen jure sit publicum; amisit jus famæ, ut nemo teneatur priorem de ipso bonam existimationem habere — Quod ex eo confirmo: nempe, quia usus, & consuetudo hominum etiam piorum habet, ut quæ fiunt publicè, omnibus narrentur; & in publicis novalibus etiam ad absentes, absque ulla peccati conscientiâ, transmittantur.

XXV. Si verò secundo modo diffamet, & non adsit rationabilis causa, peccat, saltem contra caritatem; quia facit illi, quod sibi non vellet fieri. Nam estò publicè diffamatus non habeat jus ad famam; ipsum tamen famâ spoliare in illo loco, in quo eam possidebat, & diu possessurus erat, contra caritatem est. Si tamen utilitati publicæ expediret, ut ad omnes notitia perveniret, nullum esset peccatum. Qua ratione excusantur, qui enormia crimina, Judicis auctoritate punita, eorumque patratorem absentibus nota faciunt; imò & posteris scripta relinquunt.

XXVI. Nec dicas primò, contra priorem partem. Non licet auferre pecuniam Petro, etiamsi scias, eam cito fore illi auferendam per alium; ergo neque licet auferre famam, quamvis sciatur, brevi auferendam per publicam divulgationem.

Respondeo enim, neg. conf. Disparitas enim est. Nam alter non amisit jus ad pecuniam: & ideo si ei tolleretur, auferretur alienum, domino rationabiliter invito, & committeretur furtum. At in casu, publicè diffamatus perdidit jus famæ.

XXVII. Nec dicas secundò. Nemo amittit jus suum per injuriam: sed contingere potest, aliquem publicè in uno loco diffamari injustè, seu per injuriam; ergo non amittit jus famæ: ideoque injustum erit, si diffametur in alio loco.

Respondeo, dist. conf. Non amittit jus famæ, per injuriam, con. conf. per evulgationem, nego conf. Eo enim ipso, quòd quis publicè, estò injustè, diffamatus est, amisit jus famæ; non per ipsam injuriam præcisè, quasi injuria spoliaverit eum jure suo: sed per notorietatem criminis, quod, etsi per injuriam, innotuit tamen. Ideoque non peccaret contra justitiam, qui eum in alio loco diffamaret; sed potiùs contra caritatem, si absque rationabili causâ id faceret. Imò qui sciret, proximum suum falsò crimine ei imposito, esse diffamatum; & alibi, vel crimen, vel de crimine infamiam narraret, nihil dicens de falsitate; fortè à mortali peccato excusandus non esset: quia nimis, & notabiliter ageret contra juris naturæ præceptum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

XXVIII. Quæres tertiò: An qui grave crimen occultum aperit uni, aut duobus viris prudentibus, & silentium servaturis, graviter peccet, & restitutioni obnoxius sit.

Respondeo, quòd si id petat, vel utilitas Reipublicè, aut ipsius peccantis, ut fiat ei correctio, vel utilitas tertii, nullum erit peccatum. Hinc ordinariè excusantur conjuges mutuo invicem revelantes crimina filiorum; & filii referentes patrifamilias peccata domesticorum. Cavendum tamen est, ne ea narrentur pluribus, quàm oporteat ad emendationem peccantis; aut ad malum avertendum, vel à familia, vel à tertio.

Si verò id fiat, vel animo detrahendi, vel absque ullo ex præfatis motivis, verius est, esse peccatum mortale, & obligans ad restitutionem. Hoc enim videtur sensisse D. Thom. 2. 2. q. 73. a. 1. ad 2. dicens: *Quam-*

Quamvis etiam si uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto, sed in parte. Et *art.* 2. docet, quòd verbum ex levitate, vel sine necessitate prolatum; si sit grave, ut notabiliter famam alicujus lædat; ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis, & obligat ad restitutionem.

Nec excusat, quòd viro prudenti narretur: imò potiùs gravat. Nam judicio viri sapientis plus damnificatur, qui famam amittit apud personam gravem, & prudentem, quàm apud plures viros plebejos. Tùm quia: bona fama apud unum virum gravem potest esse magnum bonum; unde ejus ablatio est magnum damnum. Tùm quia: apud illam personam erat in possessione suæ famæ; ergo qui illam eripit, narrando crimen occultum, injustè, ac injuriosè eam eripit.

XXIX. Si dicas. Fama est notitia publica; ergo nemo infamatur ex eo, quòd ejus crimen sciatur ab uno, vel altero — Respondeo, quòd licèt non infametur juridicè, & in toto; infamatur tamen in parte, ut ex S. Th. dicebamus: & quamvis talis infamatio extensivè sit levis, est tamen intensivè gravis. Sic judicium temerarium est mortale, licèt maneat internum, & apud solum judicantem tollat famam: & qui libenter audit detrahentem, licèt solus audiat, mortaliter peccat.

XXX. Quæres quartò: An qui detrahit mortuo, æquè peccet, ac qui detrahit vivo?

Respondeo affirmativè. Quia fama bonum quoddam est, quod etiam perseverat post mortem: ut enim præclarum nomen suum conservent, & augeant, etiam post mortem, præclara facinora homines aggrediuntur: cùmque defuncti anima perseveret, & in ea voluntas, & jus ad famam (hoc enim jus convenit homini ratione animæ, non ratione corporis) ideo patitur gravem injuriam, si eâ injustè privetur. — Cui verò facienda sit restitutio, dico: tutiùs faciendam esse defuncto, si defunctus est diffamatus; quia est capax famæ, etiam post mortem, & ut illi, si fuerit ablata, restituatur. Et quamvis ex detractione contra defunctum fuisset denigrata familia; dum restituitur suæ famæ defunctus, familia etiam restituta censetur.

XXXI. At quid si defunctus esset certò damnatus, puta, quia mortuus in paganismo, vel hæresi?

Judico probabilius, fore etiam grave peccatum gravissima crimina ipsi impingere, vel occulta propalare. Quia ratione humanæ naturæ adhuc proximus noster est, & quoad hæc erat in justa possessione bonæ famæ; licèt in alio genere sit diffamatus. Per hoc autem, quòd unus sit diffamatus in uno genere, non potest licitè in alio genere diffamari: quia per infamiam unius generis non perdidit jus ad famam in alio genere virtutis. Quare per hoc, quod Lucretia Romana fuerit pagana, non perdidit jus ad famam suæ honestatis: ita ut qui eam assereret meretricem, injuriam illi faceret. Non diffiteor tamen, minus grave peccatum fore, quàm si detraheretur ei, qui probabiliter salvus esse censetur.

XXXII. Ex his infero: graviter peccare Historicos, qui occulta defunctorum crimina publici juris in suis historiis faciunt: quia eorum famam injustè deturpant, imò & splendori familiæ detrahunt. Si tamen ea crimina non essent prorsus occulta, & communi bono profuturum, si ea scriberent, judicarent; quia posteri plurimùm instruuntur ex historia in consiliis capiendis; & sicut ad præclarè gesta, Majorum exemplis spe honoris accenduntur; ita timore infamiæ à turpibus retrahuntur: licitè scriberent. Quare quidquam plus concedendum videtur Historicis scribentibus, quàm aliis loquentibus. Observare tamen deberent Historici, cum occulta crimina defunctorum pro-

produnt; an bonum, quod publicè ex illorum notitia obveniet, præstet damno, quod ex tali infamiâ proveniet prosapiæ: nisi enim præstet, hujusmodi propalare erit illicitum.

XXXIII. De scribentibus verò, non historias, sed libellos infamatorios, certò certius est, eos esse inter detractores annumerandos, & restitutioni declarandos obnoxios. Nam per hos graviter læditur fama, imò graviùs, quàm per detractionem particularem: quia crimen, quod erat occultum, publicum fit, & ad omnium notitiam transit. Quare tenentur publicè famam læsam reparare, si publicè per libellum quempiam diffamarunt; ut sic ponatur æqualitas. Modus autem id faciendi prudentis Confessarii judicio relinquendum est.

XXXIV. Hìc dubitari solet: an qui audit, vel tolerat detrahentem, peccet mortaliter. Qui tenent, revelare uni tantùm, vel duobus crimen occultum proximi, ut supra, non esse peccatum mortale, nec contra justitiam, nec contra caritatem; consequenter dicunt, nec audientem, nec tolerantem peccare mortaliter.

Sed nos, qui contrarium statuimus, dicimus cum S. Tho. 2. 2. q. 73. a 4. in Corp. *Dicendum, quòd secundùm Apostolum, ad Rom.* 1. Digni sunt morte, non solùm qui peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata consentiunt. *Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo directè; quando scilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum. Alio modo indirectè; scilicet quando non resistit, cùm resistere possit: & hoc contingit quandoque, non quia peccatum placet, sed propter aliquem humanum timorem.*

Dicendum est ergo, quòd si aliquis detractiones audiat, absque resistentia, videtur detractori consentire; unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio, propter odium ejus, cui detrahitur; non minus peccat, quàm detrahens, & quandoque magis. Unde Bernardus dicit (Lib. 2. de consider. c. 13.) Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim.

Si verò non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundiâ quâdam omittat repellere; peccat quidem, sed multò minus, quàm detrahens, & plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale; vel propter hoc, quòd alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere; vel propter aliquod periculum consequens; vel propter radicem, quâ timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale. Hæc S. Th. quibus nihil addendum judicamus. Quomodo autem timor humanus *ex radice* possit aliquando esse peccatum mortale, explicaverat S. Doctor 2. 2. *q.* 19. *a.* 3. Cùm enim timor humanus, seu mundanus procedat ex nimio amore mundanarum rerum, quas amittere timet; cùm secundùm August. *Lib. Octuaginta trium quæstionum, Qu.* 33. illud timeat amittere homo, quod amat: si ita homo res mundanas amaret, ut, ne eas amittteret, paratus esset potius à justitia recedere; ex hâc parva radice peccatum mortale esset timor mundanus, seu humanus.

XXXV. Nec dicas. Potest aliquis suos detractores patienter tolerare absque peccato; ergo etiam detrahentes aliis. — Nego enim conf. cum S. Tho. citatâ *q.* 73. *a.* 4. *ad* 1. Nam *Detractiones suas nullus audit: quia scilicet mala, quæ dicuntur de aliquo, eo audiente, non sunt detractiones, propriè loquendo, sed contumelia, ut dictum est. Possunt tamen ad notitiam alicujus detractiones contra ipsum factæ, aliorum relationibus, pervenire: & tunc sui arbitrii est, detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum.... Et ideo in hoc potest commendari ejus patientia, quòd patienter proprias detractiones sustineat. Non autem est sui arbitrii, quòd patiatur detrimentum famæ* alte-

alterius. Et ideo in culpam ei vertitur, si non resistit, cùm possit resistere.

XXXVI. Dices adhuc. Detractor aliquando dicit verba veritatis: sed verbis veritatis non debemus resistere; ergo &c.

Respondeo cum eodem S. Th. ad 2. *Quòd non semper aliquis debet resistere detractori, arguendo eum de falsitate: & maximè si sciat verum esse, quod dicitur: sed debet eum verbis redarguere de hoc, quòd peccat fratri detrahendo: vel saltem ostendere, quòd ei detractio displiceat, per tristitiam faciei: Quia, ut dicitur, Prov. 25.* Ventus Aquilo dissipiat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.

DUBIUM III.

De Modo Restituendi Famam.

§. I.

Deo Eo, qui Detraxit, Falsum dicendo.

I. Nil facilius, quàm famam proximo detrahendo eripere: sed nil difficilius, quàm in possessione famæ illum reponere. Quia verò, ait S. Tho. 2. 2. *q. 62. a. 2. ad. 2.* famæ alicujus detrahi potest dupliciter: vel injustè, falsum dicendo: vel verum dicendo, sed injustè, puta, cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: de modo reparandi famam priori modo ereptam, §. presenti agemus: de modo autem eam reparandi, ereptam posteriori modo, agemus §. sequenti.

II. Dico. Qui dicendo falsum, nempe falsum crimen alicui imponendo, famam proximo eripuit, tenetur restituere, retractando quod dixit, *Confitendo se falsum dixisse*. Ita S. Tho. mox relatus. Quòd si simplici retractationi alios non credituros timeat, debet juramentum addere: quia ex justitia tenetur remedia necessaria, & sibi possibilia adhibere, ut maculam proximo impressam deleat, ac proinde juramentum, quo uti solemus, ut fidem nostris dictis conciliemus. Imò si nec sufficeret juramentum, censent multi, teneri testes veritatis, si invenerit, adducere: quia tenetur omni viâ sibi possibili hominem in possessione suæ famæ, à qua eum injustè deturbavit, statuere. Alii tamen censent, testes non esse necessariò vocandos; quia si juramento credere nolunt, illorum malitiæ tribui debet: & ex tunc illa infamia incipit provenire, ex mala voluntate auditorum, non amplius ex dicto detractoris. Huic opinioni assentior: maximè quia S. Thomas relatus solùm dixit, detractorem debere confiteri, se falsum dixisse, testium verò non meminit.

III. Sed est difficultas: An infamator suam retractationem facere debeat coram illis solis, apud quos detraxit; an etiam coram aliis, quibus isti narraverunt?

Respondeo, quòd si, aut fuerat conventum de silentio, aut prudenter existimabat, eos non relaturos aliis; sufficet retractatio coram illis solis, apud quos detraxit; quia tunc non est causa infamiæ apud alios delatæ: cùm ad eos pervenerit partim ipso invito, partim respectu ejus casu fortuito. Si verò apud eos detraxit, quos sciebat, vel scire poterat, ac debebat, verisimiliter non servaturos silentium; iis non restituentibus, debet apud omnes, ad quos noverit infamiam devenisse, se retractare, & conari, ut sinistram opinionem ab eorum animis tollat; quia ipse fuit causa totius hujus infamiæ: quatenus eventus, qui ex nostra actione sequuntur, si prævisi sunt, nobis imputantur. De hoc videatur S. Thom. 1. 2. *q.* 20. *a.* 5. Quòd si hi, apud quos detraxit, solâ ejus auctoritate moti, ulteriùs rumorem sparserunt; ipse tanquam causa principalis tenebitur apud omnes restituere.

IV. Dices. Si ita est, tenebitur detractor, ut famam alteris resarciat,

pati suæ famæ detrimentum, apud omnes se calumniatorem prodendo: sed nemo cum æquali suo damno tenetur damnum alterius resarcire; ergo &c.

Respondeo, neg. min. quando agitur de resarciendo damno, quod quis injustè intulit. Quamvis enim nostræ famæ prospicere debeamus accuratiùs, quàm alienæ, quando id sinè cujusquam injuriâ fieri potest; nemini tamen licet suæ famæ consulere cum injuria alterius, sicut nec ditari cum alterius damno. Quemadmodum ergo in bonis fortunæ oportet restituere, etsi æquale damnum restituendo patiatur: ita in bonis famæ oportet pati æquale detrimentum propriæ, ut restituatur aliena. — Nec refert, quòd ex alterius infamia nihil utilitatis provenerit detractori. Nam & comburenti alienas domos, aut segetes nihil emolumenti venit: & tamen tenetur pati suorum bonorum detrimentum, ut resarciat damnum, quod intulit. De quo, Dub. sequenti. Excipe tamen, si fama ejus, qui detraxit, longè esset præstantior famâ ejus, cui detraxit: puta, si is, qui diffamavit, esset persona valde celebris, & Reipublicæ necessaria; quæ autem fuit diffamata, valde obscura, & vilis. Tunc enim, stante inæqualitate, non teneretur restituere cum majori suæ famæ detrimento, dicendo, se falsum dixisse; sed satis esset, personam læsam laudare, vel ejus infamiam pecuniâ compensare; aut remissionem restitutionis pecuniâ impetrare.

§. II.

De Eo, qui Detraxit, Verum dicens, sed Injustè.

V. Dico. Circa restitutionem famæ faciendam ab eo, qui grave crimen proximi, verum quidem, sed occultum, contra juris ordinem revelavit, ex quo secuta est infamia; sequentes statuuntur regulæ, seu modi id faciendi. Primus est, quem tradit S. Tho. citatâ *q. 62. a. 2. ad 2.* nempe, quòd restituat, *Quantum potest, sinè mendacio tamen: utpote quòd dicat, se malè dixisse, vel quod injustè eum diffamaverit.* Quod docet etiam in 4. dist. 15. q. 1. a. 5. quæst. 2. ad 1. *Quia* (inquit) *non debet alterius famam cum mendacio restituere.* Ideoque posset his terminis uti: non credatis, Petrum esse talem, qualem nuper dixi, quia graviter errabam ista dicendo; & sicut erravi dicendo, ita errant alii, malè de ipso opinando. Quo sermone nullum profertur mendacium: quia detractor non solùm malè, & injustè fuit loquutus; sed graviter erravit, evulgando id, quod silere oportuit: ipsi etiam auditores errant, habendo pravam opinionem de illo, quia tenentur illam deponere. Cæterum etsi hic modus apud rusticos, aliosque simplices sufficere possit, ut pravam opinionem deponant; tamen apud ingeniosos, & cautelarum famæ restituendæ peritos, ordinariè non sufficit: qui fortassis colligerent, hæc ad famam restituendam dici, atque ita apud eos infamia proximi potiùs confirmaretur. Idcirco

VI. Secundum modum tradit Cajetanus, in prefatum *art. 2. quæstionis 62.* quem, omnes ut aptissimum, amplectuntur. Et est: nullam facere mentionem illius criminis; sed oblatâ occasione, eum, cui detraxisti, laudare, honorare; de eo præclarè loqui etiam in eo genere, in quo eum læsisti: aliisque exterioribus signis ostendere, te habere ipsum, ut virum probum, & curare, ut ab aliis, talis habeatur.

VII. Tertius modus ab aliquibus statutus, est. Si detractor dicat, se deceptum fuisse, se falsum protulisse, sub hac, vel simili formâ: quando tale crimen de tali dixi, putabam illud esse verum; sed postquam diligenter expendi, deprehendi, me dixisse falsum, seu me deceptum fuisse. Hoc enim modo infamato restituit famam, nec tamen infamat se ipsum: nulla enim infamia est dicere, se de alio dixi-

dixisse aliquid falsum inculpabiliter, existimando esse verum; homines enim deceptioni subjecti sunt. Nec mentitur sic dicendo: nam quando illud dixit, verum erat, quòd ita crederet. Nec etiam falsò dicit, invenisse se deceptum, aut falsum dixisse; quia invenit, se id dicendo peccasse, & consequenter se practicè deceptum, & practicè falsum se dixisse, quia contra rectæ rationis ordinem: omne autem peccatum falsitas est, deceptio est, error est, secundum phrasim Sacrarum Scripturarum. Ita sentire videntur Bannez, Medina, & alii.

VIII. Sed huic modo dicendi obstat S. Thomas, qui, tum hàc 2. 2. tum in 4. *sent.* citatis locis inculcat, eum, qui detraxit, verum dicendo, debere restituere famam sine mendacio: dicendo autem se deceptum, aut falsum dixisse, mendacium proferret; quia dum hoc dixit, nec deceptus fuit, nec falsum dixit. Nec salvat, quòd sic proferens intendat, se deceptum fuisse, & falsum dixisse practicè. Quia, juxta communem modum loquendi, falsus, & verus sermo, non intelligitur de veritate, aut falsitate practicâ, seu per ordinem ad rectam rationem, vel non rectam; sed per ordinem ad rem, juxta illud: *Ex eo, quòd res est, vel non est, oratio dicitur vera, aut falsa*. Neque est simile de variis locutionibus, quæ etiam in Sacra Scripturâ leguntur. Nam ex circumstantiis, in quibus proferuntur, auditores, si advertant, sensum verum à proferente intentum facilè percipere possunt. Sermo autem detractoris sic volentis restituere, non continet veritatem ex circumstantiis: quia non solet ita intelligi, sicut ipse per clausulas, quas fortè mente concipit, cupit intelligi, sed ut verba sonant. Alioquin aperiretur via restrictionibus mentalibus, æquivocationibus; à quibus, vel abstinendum est, vel saltem eis cautè utendum, ut dixi, *Tom. praeced. Qu.* 4. de actu externo fidei — Addo: nam sic proferens, vel vult, ut audientes intelligant locutionem illam in eo sensu, quo ipse intendit: vel non. Si non; ergo ipsos vult decipere. Si sic; ergo non vult famam restituere, sed potiùs famam ablatam confirmare. Nam si auditor penetrans sensum ab eo intentum respondeat: invenisti te dixisse falsum, seu mentitum, aut deceptum practicè, quia contra rectam rationem hoc dixisti: sed dixisti verum speculativè, quia quod dixisti verum est. Quid respondebis?

IX. Tutiùs ergo est, alterutro ex duobus prædictis modis uti: nempe, vel dicendo, se malè, aut injustè locutum; hoc enim secundùm sensum verborum verum est: quod si audientes non deponunt opinionem, sibi imputent. Vel nihil de crimine prodito loquendo, eum, cui detraxit, cautè, & in debitis circumstantiis laudare.

X. Hæc tamen, quæ de fama restituendâ diximus, intelligenda sunt. Primò. Si infamatus famam suam non recuperavit. Quòd si famam, quacumque viâ, sive per se ipsum, sive in judicio publico recuperavit; puta, si infamatus, inductis testibus, probavit falsum esse testimonium, quod contra se dictum est: nulla remanet infamatori obligatio restituendi. Idem dico, si infamia propter temporis diuturnitatem oblivioni data est; in casu tamen dubii declinandum est ad favorem innocentis. Et Probatur. Nam restitutio fieri debet ad reparandam per justitiam commutativam læsionem: sed quoties aliâ viâ reparata fuit infamia, cessat læsio: sicut si res furto ablata, aliâ viâ fuit à domino recuperata, cessat læsio, & in fure obligatio restituendi; ergo &c.

XI. Intelligenda sunt Secundò. Si postquàm proximus fuit privatim infamatus, non fuerit diffamatus publicè. Si enim aliquis infamat privatim Petrum de uno crimine; & postea de eodem crimine aliâ viâ diffametur publicè: non tenebitur qui eum primò infamavit, amplius famam restitu-

stituere, cujus jam in possessione non est: nisi fortè, medio illo tempore ante publicam infamationem, damnum aliquod passus sit; hoc enim, qui primò illum infamavit, resarcire tenetur. Quod tamen intelligendum est, si publica infamia ex priori infamatione ortum non habuit, sed causaliter accidit: si enim ortum radicalem habuisset ex priori infamatione, teneretur infamator etiam publicam infamiam resarcire; nisi fortè impossibilitas id faciendi ipsum excuset.

DUBIUM IV.

Aliqua Quæsita pro Complemento.

§. I.

An Infamator cum Detrimento propriæ Famæ teneatur Restituere.

I. Dico Primò. Absolutè loquendo teneri. Et ratio est. Quia in omnibus ferè modis famam restituendi cùm includatur retractatio dicti, aliquod detrimentum famæ ipsius restituentis involvitur: cùm ergo aliquis ex illis modis necessarius sit ad restitutionem; sit, ut infamator cum aliquo suæ famæ detrimento teneatur restituere. Eo simili modo, quo restitutio pecuniæ facienda est, etiam cum detrimento sui proprii census, ut patet in eo, qui fuit causa incendii domus alienæ.

Hinc sequitur, restitutionem faciendam esse, etiam cum detrimento proprii census. Si enim ad famam restituendam necesse sit advocare testes, & hoc petat expensam, hanc subire debet infamator: quia res inferioris ordinis servire debent rebus ordinis superioris. Sicut qui læsit aliquem in aliqua parte corporis, tenetur expendere pecunias necessarias ad ejus curationem.

II. Dico Secundo. Si infamator ex modo restitutionis incurrat magnum honoris sui detrimentum, non tenetur restituere famam, quæ non erat magni momenti. Explicatur. Vir in Republica illustris infamavit plebejum, tenetur restituere. At si fama hæc, quæ est minoris momenti, omnibus pensatis, restitui non possit, quin vir illustris plurimum honoris amittat in Republica, dispensatur ab onere restitutionis; & infamatus irrationabiliter est invitus, si velit, cum tanto dispendio fieri sibi restitutionem: quia irrationabiliter vult aliquis, ut proximus subeat magnum incommodum, & detrimentum, propter parvum commodum suum. Sicut irrationabilis esset, qui vellet, ut proximus restitueret sibi parvam quantitatem pecuniæ cum magno detrimento sui, & familiæ. Quemadmodum ergo hic excusatur, saltem pro tunc; ita & in casu: quia sic se habet parva pecunia ad multam, ut parum famæ, & honoris ad plurimum.

Quare S. Augustinus in Regula alloquens Prælatos: *Si etiam* (inquit) *modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut à vobis subditis veniam postuletis: ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimiùm servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Sicut ergo excusatur Prælatus à petenda veniâ à subdito, ne tali humiliatione regendi frangatur auctoritas: ita ne frangatur honoris integritas, excusabitur vir illustris à restitutione famæ plebejo; si hæc sinè gravi honoris sui dispendio fieri non possit. Si ergo non in omni casu, quo æqualis tenetur ab offenso veniam petere, hanc tenetur Prælatus petere à sibi subdito: nec in omni casu, quo æqualis tenetur reddere famam, tenebitur vir illustris eam reddere plebejo.

III. Hoc tamen dico, si secutura esset gravis læsio honoris in vero illustri: quòd si secutura esset læsio tantùm levis, tenebitur reddere, sicut alter. Rursus: si tanta esset infamia hominis plebei ex infamatione, ut æquipararetur læsioni honoris orituræ ex restitutione; puta, si fuisset infamatus

matus de crimine læsæ majestatis, vel hæresis: tunc quamtumlibet infamator sit vir illustris, tenebitur etiam cum gravi propriæ famæ detrimento restituere.

Noto etiam: quòd hæc obligatio in viro illustri cessare potest, vel in perpetuum, vel solùm ad tempus. Si enim nullo tempore possit restituere, absque gravi læsione suæ famæ; excusabitur in perpetuum à facienda restitutione, quamvis ex radice injuriæ factæ teneretur restituere: sicut qui nullo tempore potest debitum solvere, excusatur à solutione. Et in hoc casu satis erit personam laudare, aut pecuniâ infamiam compensare; vel etiam remissionem restitutionis pecuniâ redimere. Si verò speretur futurum tempus, quo illustris vir possit, absque gravi suæ famæ detrimento, restituere; tunc non excusabitur in perpetuum à restitutione famæ. Sicut qui licèt nunc non possit solvere debitum, poterit tamen postea, non excusatur à solutione; sed solùm prorogatur tempus, sicut solvendi, ita & restituendi. Si tamen ex hac infamia homo plebejus pertulit damnum; ad illud reparandum virum illustrem teneri, ut certum existimo.

§. II.

An si Restitutio Famæ sit Impossibilis, teneatur Infamator Damnum in Fama illatum Pecuniâ Compensare?

IV. SUpponunt omnes, quòd si per sententiam Judicis imposita sit aliqua pœna pecuniaria, vel infamatus cum eo transigeret de aliqua pecuniâ solvendâ; teneretur infamator ex justitia illam solvere. Quia & judex potest illam justè imponere, sicut aliam pœnam exilii, aut carceris; & justæ sententiæ Judicis, quæ in alterius commodum cedit, tenetur quilibet ex justitia obtemperare: & cùm infamatus jus habeat ad petendam suæ infamiæ satisfactionem; ut justam querelam deponat, potest cum eo pacisci de aliqua pecuniâ solvendâ: & cùm pactum si justum, obligat ex justitia illud servare.

V. Rursus: absque sententia, & pacto teneri ex æquitate infamatorem, si dives sit, & infamatus pauper; & credat illi gratum fore, famam ablatam, quam nequit restituere, aliquâ pecuniæ quantitate compensare, omnes asserunt. Difficultas est: an præciso pacto, & sententiâ Judicis teneatur infamator, si non possit famam restituere, ex justitia, famæ læsionem pecuniis compensare.

VI. Censent aliqui, infamatorem non teneri ex justitia ad hoc modo restituendum; propterea quòd fama sit bonum superioris ordinis, ideoque non æstimabile pecuniâ. Non pauciores tamen affirmant. Quia sicut aurum nobilius est argento, vel plumbo; magna tamen argenti, vel plumbi copia prævalet parvæ quantitati auri: ita fama præstantius quiddam est, quàm pecunia; magna tamen pecuniæ summa potest alicui famæ æquivalere, aut etiam præponderare, secundùm humanam, & moralem æstimationem. Quomodo & libertas hominis, licèt sit altioris ordinis, potest pecuniâ compensari: ut cum homo vendit seipsum.

VII. His assentior. Et sicut superiùs dixi, eum, qui non potest pro vita ablatâ, aut membro mutilato satisfacere, teneri pecuniis, non solùm damna inde secuta, sed & ipsam injuriam occisionis, vel mutilationis, & hoc ex justitia compensare: ita qui famam ablatam restituere nequit, censeo probabiliùs, ex justitia teneri pecuniâ; vel alio genere bonorum temporalium compensare. Quamvis enim non possit reddi æquivalens; non ideo infamator debet esse liber ab omni restitutione, sive compensatione. Quia sicut D. Thomas loquitur 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. *Quando id, quod est ablatum non est restituibile per aliquid æquale,* debet

debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta, cùm aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore. Et ad 2. *Si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut & in aliis dictum est*, nempe, supra ad 2.

Et Tunc maximè obligatur infamator, quando infamatus talis conditionis sit, ut receptis ab eo pecuniis honorabilior fiat in populo: quia pecuniæ, in isto casu, considerantur velut instrumenta, & media ad recuperandam famam in proprio genere. Cum enim ex S. Thoma debeat restitui fama omni modo possibili; si hoc possit facere per pecuniam, hoc debet facere.

§. III.

An Infamatus possit Condonare Restitutionem?

VIII. Quæsitum hoc procedit suppositâ sententiâ, cui supra adhæsimus, nempe, quòd homo sit propriæ famæ dominus. Quo supposito petit: an ita possit de sua famâ disponere, ut queat absque ullo peccato, saltem mortali, sine ullâ rationabili causâ, eam ablatam condonare, jus restitutionis abdicando: an verò id facere, sit quasi peccatum prodigalitatis: sicut quando homo facit de suo, quod vult, absque rationabili causâ.

IX. Rursus noto, quosdam esse, qui habent propriam famam ex officio, & ex justitia alteri obligatam, quales sunt Prælati respectu subditorum, & Prædicatores respectu eorum, quibus prædicant; sicut etiam Religiosi respectu Communitatis: alii verò non habent famam propriam obligatam alteri, saltem ex justitia, quales sunt homines privati.

X. Tandem noto: crimina, quæ infamant homines, esse in duplici differentia. Quædam enim non infamant solam personam, puta Prælati, sed etiam ipsos subitos personaliter; qualia sunt ea, in quibus subditi solent Prælatos imitari, cujusmodi est crimen hæresis: etenim subditi sequi solent Prælatorum doctrinam. Quare dum Prælatus notatur de hæresi, notantur quoque de eodem crimine subditi. Alia sunt, quæ infamant solam personam Prælati, ex quo non sequitur alia infamia in subditis, nisi quod habent Prælatum malæ famæ, quale est peccatum avaritiæ, superbiæ, & similium. His notatis

XI. Dico Primò. Prælatus infamatus tali infamiâ, quâ infamentur subditi, tenetur ex justitia exigere restitutionem; ita ut eam condonare non queat: & si condonet, non solùm peccat, sed condonatio nihil valet. Ratio est. Quia Prælatus non potest cedere juri subditorum, imò potiùs ex officio, & justitia tenetur illud tueri: sed quando subditi notantur de crimine infamiæ, ob infamationem Prælati, habent jus ad famam Prælati, ut ad propriam; ergo non potest &c.

XII. Dico Secundò. Licèt ex infamia Prælati non sequatur infamia personalis subditorum; adhuc tamen tenetur Prælatus, non solum caritatis, sed justitiæ titulo non condonare suæ famæ restitutionem, si modò vult in officio perseverare. Et in hoc differt hæc Assertio à prima: quia in casu primæ, sive perseveret in officio, sive non, tenetur ex justitia non remittere restitutionem, sed eam exigere. Probatur autem sic. Prælatus tenetur ex officio strictiori vinculo caritatis, quàm alii erga subditos. Rursus tenetur ex justitia ducere subditos, ac se se bonum eis exemplum præbere, fraternâ admonitione eos corripere: atqui hæc officia commodè præstare non posset Prælatus de aliquo crimine diffamatus: ut enim ait Gregorius: *Necesse est, ut cujus vita despicitur, doctrina quoque & prædicatio contemnatur*; ergo Prælatus, si velit in officio perseverare, non potest infamis per-

permanere, & condonare restitutiotionem. Quare in his casibus infamator non manet tutus in conscientia, etiamsi infamatus dicat, se condonare restitutionem suæ famæ; sed ad hoc tenebitur ex justitia restituere.

XIII. Sed contra hoc est. Si pater læsus in bonis corporis remittat percusori non solùm injuriam, sed etiam damna consecuta; non tenetur percussor restituere quidquam filiis, aut hæredibus, neque titulo alimentorum, ad quæ filii habebant jus; ergo similiter si Prælatus condonet restitutionem propriæ famæ, non tenebitur infamator restituere famam subditis. Quia sicut Prælatus tenetur procurare suam famam pro gubernandis subditis, qui sunt ejus filii spirituales: ita pater carnalis tenetur, & seipsum, & bona sua conservare pro sustentatione filiorum naturalium.

XIV. Respondeo, longè disparem esse rationem de patre carnali, ac de Prælato. Pater enim carnalis est totalis dominus bonorum suorum. Quòd si filii habent jus ad illa bona, ut sustententur à patre; illud tamen jus fundatur, non in justitia commutativâ, quâ obligetur pater alere filios, sed in pietate, quâ tenetur eos sustentare. Et ideo remittente patre restitutionem, factum tenet, quamvis ipse peccet contra pietatem: atque ideo non tenebitur percussor patris ex justitia quidquam filiis restituere. At Prælatus tenetur ex justitia commutativâ defendere famam subditorum; & propriam famam habet obligatam ex justitia ad bonum regimen illorum. Unde si ex infamia Prælati sequatur infamia subditorum, & damnum in gubernio eorum, tenebitur infamator famam restituere: quia etsi condonaverit Prælatus, quod ad se attinet, condonare tamen nequit, quod attinet ad subditos: unde condonatio non tenet, & restitutioni infamator manet obnoxius, maximè in casu primæ Assertionis: in casu enim secundæ, solùm tenebitur, si Prælatus velit in officio perseverare.

Hinc sequitur, quòd nec Prælato liceat infamare seipsum. Quòd si se infamaverit, tenebitur ex justitia famam suam reparare, ob rationem primæ, & secundæ Assertionis. Quæ tamen justitia non consideratur in Prælato per ordinem ad se, sed per ordinem ad subditos; quibus ex justitia tenetur suam famam custodire.

XV. Dico tertiò. Persona particularis condonans propriæ famæ restitutionem, non peccat contra justitiam: imò, *per se* loquendo, neque contra caritatem. Prior pars prob. Quia ipse est dominus suæ famæ, nec habet illam alteri obligatam ex justitia; ergo infamator talis personæ, obtentâ condonatione, non tenebitur nec illi, nec alteri restituere.

Posterior verò pars explicanda est. Nam *per se*, nimirum, ex natura rei, & ex objecto non esse peccatum mortale, probatur. Qui enim sinè rationabili causâ propriam pecuniam prodigit, non peccat mortaliter, quantum est ex parte objecti: solùm enim peccat peccato prodigalitatis, quod juxta omnes est veniale ex objecto (de quo S. Thom. 2. 2. *q.* 119. *a.* 2.) ergo similiter persona privata, quæ sinè rationabili causâ propriam famam quasi prodigit, condonando restitutionem, quantum est ex objecto, solùm venialiter peccabit.

At ex circumstantiis aliquando potest esse peccatum mortale. Et probo. Quia bona fama, ut plurimùm necessaria est, ad continendum hominem in officio virtutis: experimur enim homines infamatos, vel de bono nomine non curantes, statim præcipites ruere in vitia; unde S. Thom. 2. 2. *q.* 33. *a.* 7. ait: *Præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur, unde quando se infamatos conspiciunt, irrefrenatè peccant;* ergo absque rationabili causâ velle in infamia permanere, condonando famæ restitutionem, ex hac circumstantiâ peccatum mortale esse poterit contra caritatem sui. Et propterea *Ecclesiastici* 41. *v.* 15. monemur:

mur: *Curam habe de bono nomine* — Alia etiam circumstantia reddere poterit gravem culpam, remittere propriæ famæ restitutionem; nempe, scandalum proximi, dum videt eum parvipendere culpam. Alia etiam esse poterit infamia, quæ cedit amicis, filiis, consanguineis; dum infamatus quasi non curans, infamis redditur, & infamat familiam. Quare in casu præsenti idem est, non curare de famæ restitutione, ac crimen sibi impositum fateri.

XVI. In his ergo circumstantiis, si infamatus expresse famæ redintegrationem condonet; tenebitur adhuc infamator, saltem ex caritate, famam restituere: & si patienter injuriam ferat, ostendens se non curare, ut sibi fama redintegretur, tenebitur etiam ex justitia; ita ut si non faciat, contra justitiam peccet. Sicut estò Martyres patienter, imò & voluntariè contumelias ferrent; imò exultarent, quoniam digni habiti fuerint pro nomine Jesu contumelias pati: adhuc tamen Tyrani contra justitiam peccabant. Et propterea non est idem expresse restitutionem famæ condonare, & illam non curare. Nam in præfatis casibus expresse remittenti non tenetur infamator restituere, nisi ex caritate ad summum: at non curanti, seu patienter toleranti, restituere etiam ex justitia tenetur.

XVII. Dico Quarto. Condonare restitutionem famæ, seu de illa non curare ex causa rationabili, secundùm leges prudentiæ, & caritatis, & ex amore virtutis; non solùm nullum est peccatum, sed est opus valde meritorium. Hoc probat exemplum Christi, qui non curavit crimina, quæ illi à Scribis, & Pharisæis objiciebantur: falsos testes ipsum infamantes contemsit, improperatus non aperuit os suum. Unde coram Pilato ipsum urgente, ut responderet ad ea, quæ sibi objiciebantur, tacebat, *Matt.* 27. *v.* 12. *Marci* 15. *v.* 4. *&c.* Cujus exemplum Sancti viri secuti, dum falsa crimina imponerentur eis, sæpè tacuerunt. Et ratio est. Quia licèt fama, & honor sint bonorum temporalium maximum; ordinantur tamen ad majus bonum vel Communitatis, vel virtutis, vel Dei gloriæ: unde propter hujusmodi majora bona prudenter exponitur fama, sicut & vita, quamvis pretiosissima.

XVIII. Quæri tandem potest: An si diffamator, non factâ, nec sibi condonatâ famæ restitutione, è vivis decesserit; teneantur ejus hæredes ad famam restituendam loco infamatoris: & an mortuo infamato, nec restitutione famæ sibi factâ, teneatur adhuc infamator, vel ejus hæredes famam restituere.

Respondeo ad primam partem, probabile esse, hæredes infamatoris mortui antequam ullam fecerit restitutionem famæ, teneri ejus loco restituere non solùm damna ex infamia secuta (quod certum est) sed etiam famam: non quidem revocando, quod infamator dixerat; sed laudando, vel honorando infamatum, vel pecuniâ injuriam compensando. Nam fama injustè ablata, si aliter fieri non possit, saltem per pecuniam est compensanda, ut supra diximus. Ita sentiunt Hadrianus, Navarrus, Molina, *Tract.* 4. *disp.* 46.

Ad Secundam partem probabiliter dico: quòd etsi is, qui fuerat infamatus, moriatur; non propterea, vel infamator, vel ejus hæredes sunt liberi à restitutione: quia hæredes infamati succedunt in ipsius jura, multumque interest eorum, ne ille maneat infamatus; maximè si hæredes sint necessarii, ut filii &c.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quid, & Cui Restituendum sit.

DE restitutione famæ actum est: nunc de restitutione rei ablatæ prosequimur. Duo in præsenti quæstione examinabimus, nempe, quid restituendum sit: an solùm id, quod est ablatum: & cui sit restituendum.

DUBIUM I.

An Aliquando debeat Quis Restituere Plus, quàm Abstulit?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. HOc tractat S. Th. 2. 2. *q.* 62. *a.* 3. ubi docet, duo in ablatione rei alienæ esse consideranda. Unum est substantia ipsa ablationis, ex qua inæqualitas resultat; ut minus ille habeat, à quo res est ablata, plus autem ille, qui abstulit: & hoc commune est tàm justis ablationibus, quàm injustis. Nam sive rem mutuo, sive furto accipias, sive credito emas; tantò alter minus habet, quantò plus tu. Secundum, quod in ablationibus consideratur, est modus ipse auferendi: puta, si quis fraude, aut vi quidpiam, vel aufert, vel auferre conatur. Et hoc undique habet adjunctam injustitiam, sive revera rem auferat, sive non; quia scilicet conatu suo prævalere non potuit, ut auferret.

II. Advertendum etiam est: quòd in omni ablatione injustâ, & læditur pars, contra quam exercetur injustitia, & violatur lex, contra quam peccatur: & per consequens peccatur contra Legislatorem, ministros, & Judices, qui sunt legum Custodes. Hinc qui furatur, lædit proximum, cui furatur, & violat legem vetantem furtum. His prænotatis

§. II.

Resolutiones Dubii.

III. DIco Primò. Attentâ naturâ restitutionis relatæ ad personam læsam, per rei suæ ablationem, & detentionem, sufficit in universum restituere illud simplum, quod sustulisti; sive per fas, sive per nefas id feceris. Ratio est. Quia restitutio est actus justitiæ commutativæ, quæ solùm intendit tollere inæqualitatem, & æqualitatem statuere: ideoque nihil ad illam refert, an justa fuerit ablatio, an injusta. Quare si accepisti quatuor, sive per mutuum, sive per furtum, totidem debes reddere viâ restitutionis; & sic justitiæ commutativæ satisfecisti. Conatus es furto rem auferre, nihil tamen potuisti surripere; viâ restitutionis nihil debes. Quo fit, ut restitutionis obligatio, & reparatio personę læsæ, quando debitum certum est, nullam expectet Judicis sententiam, sed ex lege ipsâ justitiæ oriatur.

Nota tamen: hanc Assertionem esse intelligendam, quando res ablata non est fructifera. Si enim res ablata sit fructifera, non satis erit reddere rem ablatam; sed ulteriùs fructus talis rei, quos percepisti, sunt domino compensandi, deductis tamen expensis.

IV. Dico secundò. Ex parte injustitiæ contra legem, quam violavit injustus raptor, non sufficit restituere simplum, seu id, quod injustè abstulit: sed ulteriùs tenetur restituere per pœnam à lege, vel Judice pro tali injuria constitutam. Et ratio est. Quia per restitutionem simpli, seu rei ablatæ, tantùm satisfit personæ læsæ: cùm vero per injustam ablationem læsa fuerit etiam justitia, & violata lex, contra quam fuit peccatum; huic etiam satisfieri debet, sustinendo pœnam constitutam.

V. Dico tertiò. Ad restitutionem

per pœnam debitam ratione injustæ acceptionis nemo tenetur, antequam à Judice latâ sententiâ condemnetur. Hinc patet discrimen inter debitum restitutionis faciendæ personæ læsæ; & debitum restitutionis per pœnam solvendæ legi. Nam primum nullâ expectatâ sententiâ solvendum est: istud verò non nisi post latam à Judice condemnationis sententiam. Sit exemplum: justitia dictat, quòd qui furatus est bovem, vel valorem bovis domino restituat. Rursus: lex pœnalis erat apud Judeos, Exod. 22. v. 1. *Si quis furatus est bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove.* In tali casu qui furatus erat bovem, vel ovem, tenebatur statim ex justitia commutativâ bovem, vel ovem, aut valorem ejus restituere, quia hoc lex naturalis dictât: quintuplum vero, vel quadruplum ex lege judiciali reddere non tenebatur, nisi fuisset sententialiter condemnatus.

VI. Ratio autem hujus est, primò. Quia nemo debet esse minister, & executor pœnæ in se ipsum latæ: aliàs cùm pœnam subiens sit patiens; pœnam verò exequens sit agens; sequeretur, quòd idem esset agens, & patiens, quod est contra ordinem naturæ; ergo lex, quæ derivatur à natura, ut vidimus, non potest velle, ut reus per seipsum in se pœnam exequatur; sed vult, ut executionem pœnæ subeat à ministris ad hoc deputatis: & sic antequam per istos illi sententialiter intimetur pœna, non tenetur eam subire. — Explicatur sic. Lex, quæ est regula unanimis nostrorum actuum, per justitiæ ministros applicanda est subditis; ergo ad istos pertinet suos subditos ad observantiam legis cogere; cùm ergo per inflictionem pœnæ coactio fiat, hoc ad Judicem pertinet, quia contra naturam esset, quòd aliquis cogeret seipsum.

VII. Hinc ait Soto, *l. 1. de Just. & Jure, q. 6. a. 6.* quòd lex pœnalis ad duos loquitur. Cùm enim jubet, ne quis quid faciat, alloquitur subditos: cùm verò addit, quòd contrafaciens dominium rerum amittat, vel tantam pecuniam solvat: non tàm subditos alloquitur, quàm justitiæ ministros, quibus talem imperat animadversionem. Ideoque licèt lex pœnalis dicat *ipso facto*, vel *ipso jure* qui talia fecerit, amittat dominium rei suæ, aut tantam pecuniæ quantitatem solvat; non obligat ad hanc pœnam ante sententiam à Judice latam. Unde reus non tenetur in conscientia bona sua, statim commissâ culpâ, à se abdicare.

VIII. Nam quantumcumque lex pœnam comminetur (& est secunda ratio) æquissimum tamen jus naturæ servat, quod est, ut delinquens audiatur; juxta illud Greg. IX. De causa possess. c. Susceptis: *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire:* naturâ scilicet id vetante. Cùm enim lex in communi feratur, neque singulares circumstantias potuerit prospicere; munus hoc delegatum est Judici, ut eisdem perspectis sententiam ferat. Potest siquidem reus allegare, vel ignorantiam, vel infirmitatem, vel vehementissimam occasionem, vel quod non tam graviter in legem impegerit; ut dignus sit totius legis acerbitate. Quare etiam in crimine hæresis, quod omnium impiissimum est, auditur hæreticus; daturque ei locus, quomodocumque voluerit, crimen suum excusandi. Quod etiam in crimine læsæ majestatis servatur. Cùm ergo lex dicit: *ipso facto*, idem est, quod *ex natura, & genere facti*. Cui non obstat, quò minus de quantitate, & modo facti sit expendendum; ut justè infligatur pœna, quemadmodum fieret ab ipso Legislatore, si præsens esset. Et inde quoque alia lex sanctissima dimanavit, ut nemo, nisi vel confessus condemnetur, vel convictus, Can. *Nos in quemquam*, & Can. *Judex* 2. *q.* 7. aliàs nimis duræ, & asperæ essent leges. Imò contra naturale axioma: *Nemo tenetur prodere seipsum:* tene-

teneretur autem prodere seipsum, si statim culpâ commissâ, teneretur pœnam subire.

IX. Excipe tamen leges pœnales Ecclesiasticas, continentes latam sententiam de aliqua censura Ecclesiasticâ: hæ enim statim ligant ipso facto, in foro interno, ante Judicis sententiam.— Neque dicas. Quòd sicut Judex Ecclesiasticus habet facultatem privandi hominem bonis spiritualibus: sic Legislator potestatem habet transferendi dominium bonorum temporalium, quando expedierit bono communi; ergo eadem ratio est de lege Ecclesiasticâ, ac de aliis.

X. Nam respondeo, rationem, quare Ecclesia excommunicare potest ipso facto, & homo obligatus censetur, etiam absque causæ cognitione, & Judicis sententiâ, esse: quia dum privat hominem suis suffragiis, aut susceptione Sacramentorum, non privat eum bonis suis propriis, quæ jure peculiari possideat; sed communibus, quorum ipsa est dispensatrix, ac si diceret: qui talem admiserit culpam, non sit meorum bonorum particeps, aut ministrator; veluti si pater familias diceret: quicumque me odio prosequetur, non vescetur meo pane, vel domi meæ non manebit. Verùm per alias leges pœnales transfertur dominium rerum, quas quis cum proprietate possidet tanquam dominus. Estò autem Legislator potestatem habeat transferendi dominia rerum per legem justam, quando expedierit bono communi: tamen nunquam præsumendus est, id velle facere ante Judicis sentententiam, qui cognoscat de crimine perpetrato, & applicet pœnam legis, spoliando hominem bonis suis. Ad suavitatem namque legis pertinet, ne obliget criminosum hominem, ut sit executor suæ pœnæ, & privet se bonis, quorum possessionem habet: hoc enim esset nimis durum, & vix reperiretur, qui in hac parte obediret legi.

XI. Dico quartò. Post sententiam Judicis tenetur reus in conscientia parere: ita ut, qui fraude, vel dolo, aut vi impediret, ne sententia executioni mandetur; teneretur bona, in quibus damnatus est, ante aliam sententiam, vel parti læsæ, vel fisco, prout judicatum fuerit, restituere. Ratio autem est. Quia quicumque detinet rem non suam, debet illam vero domino restituere: sed per sententiam Judicis auferetur dominium à reo, & transfertur in fiscum, vel alium; ergo tenetur illa reddere.

Non oportet tamen, ut reus condemnatus propriis manibus ea bona restituat; nisi fortè expresse per sententiam ita facere juberetur: sed sat est, ut permittat illa à se auferri, neque occultet, sed sincerè manifestet interroganti. Et ratio eadem est, ut supra. Quia sententia Judicis non obligat reum, ut ipse sit executor illius: sed transferr dominium in fiscum, eâ conditione, ut fiscus eam exequatur. Quare si fiscus negligeret ea bona exigere, fortè condemnatus posset præscribere intra tempus à legibus definitum: nisi sit aliqua lex Ecclesiastica, quæ impediat hujusmodi præscriptionem in pœnam hæreticorum. De his recolantur dicta, *Tom. 2. in 1. 2. Tract. de Legibus, Q. 6. de Lege humanâ, Dub. 2. §. 3.*

DUBIUM II.

An Aliquando Teneatur Quis Restituere Quod non Abstulit?

§. I.

De Restitutione ex Damno Dato.

I. Suppono ex D. Thoma laudato q. 62. a. 4. unumquemque teneri, damnum, quod alteri dedit, ad justum restituere: damnum enim alteri dare idem est, ac quidpiam ab illo auferre, sive pecunia sit, sive quodlibet aliud pecuniâ æstimabile. Nam damnum accipere, ut ait

ait Arist. 5. *Ethic. c.* 4. est minus habere, quàm habere debuit: qui autem in causa fuit, ut minus haberet, ex justitia cogitur tantumdem reddere.

II. Ex hoc infertur, quòd, ut qui damnum dedit, restituere teneatur, requiratur aliqua culpa: qui enim sinè culpâ damnum dedit, ad nullam restitutionem tenebitur in foro conscientiæ. Tùm ex illa communi regula: *Si tuâ culpâ damnum datum est &c.* quæ necessariò supponit culpam. Tùm quia: duplex est titulus obligans ad restitutionem. Alter ex re acceptâ, alter ex injusta acceptione: neutra autem est, ubi nulla est culpa; ergo &c. — Dixi tamen in foro conscientiæ: quia in foro exteriori contingit sæpè, aliquem obligari ad reparationem damni, in quo nullam habuit culpam coram Deo; quia præsumitur habuisse.

III. Pro cujus intelligentia recolo celebrem divisionem culpæ in theologicam, & juridicam. Theologica est, quam considerat Theologus, & coincidit cum peccato mortali, seu veniali. Culpa verò juridica non respicit, quòd id, quod exercetur, sit peccatum, vel non: sed quod omittatur aliqua diligentia debita, ex cujus omissione sequatur damnum alterius — Hæc autem culpa juridica, alia est latissima, ut dolus manifestus: alia latior, ut dolus præsumtus; alia lata: & est omissio illius diligentiæ, quam homines illius status communiter adhibere solent. Alia est culpa levis; & est omissio illius solicitudinis, quam diligentiores, & prudentiores adhibent. Alia levissima; & est omissio diligentiæ, quam prudentissimi, & vigilantissimi solent adhibere.

IV. Hæc ergo culpa juridica, etsi frequenter coincidat cum culpa theologicâ, potest tamen ab illa secerni. Unde si quis non adhiberet omnem diligentiam, quam solent homines communiter in tali negotio adhibere, erit culpa lata juridica: si tamen ex oblivione, aut inconsideratione inculpabili hoc faciat, nulla erit culpa theologica. Id clariùs apparet in culpa juridica levi, & levissimâ. Quia cùm quis adhibuit omnem diligentiam, quam communiter solent homines adhibere in aliquo negotio; in nulla culpâ theologicâ est, etiam levi, aut levissimâ damni secuti; quia coram Deo non tenetur ad ampliùs faciendum: erit tamen in culpa levi, aut levissimâ juridicâ, si non adhibet curam, quam diligentiores, vel diligentissimi solent in tali negotio adhibere.

V. Si ergo nulla ex præfatis culpis committatur, regulariter non datur obligatio restitutionis ob secutum damnum alterius: quia obligatio non potest oriri ex re acceptâ, ut supponimus, neque ex injusta actione: quia ubi nulla est culpa, ibi nulla potest esse injusta actio, quia nihil ibi est voluntarium, ut ex D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *a.* 8. Et habetur, C. *Finali, De injuriis*. Ideoque si puteum apertum reliquisti, in quo non solent homines periclitari, & casualiter aliquis in eo periclitetur; nulli obnoxius es restitutioni, quia nullius culpæ es reus. Si laqueum parasti ad capiendam feram in loco remotissimo, per quem nec homines, nec animalia mansueta transire solent: si homo, vel equus ejus laqueo illo suspendatur, quia in nulla culpa es, nihil debes. Idem dic, si sagittam projeceris, quò homines non solent accedere; si casu hominem læsisti, nihil debes. Si verò cum culpa latâ sive juridicâ, sive theologicâ damnum alteri irrogasti; puta, si ignem accendisti prope segetes alterius, non adhibens sufficientem diligentiam, ne damnum alterius sequatur: etis in culpa latâ, & plenâ advertentiâ, teneberis earumdamnum resarcire. Ut C. *Finali, De injuriis*, ibi. Nec ignorantia te excusat, si scire deberes, ex facto tuo verosimiliter posse contingere.

VI.

VI. Tres tamen dantur casus in jure, quibus absque culpa quis ad restitutionem obligatur. Primus. Si animal tuum animal alterius occidit, vel alterius segetes conculcavit, aut devoravit, vel hominem quoquo modo læsit. Tunc etsi id sinè tuâ culpâ factum sit, teneris vel animal tradere, vel damnum factum reparare: nisi fortè tuum animal invasum sit ab alio: si enim illud occidit, ad nihil teneris. Sicut nec si latro domum, vel hortum tuum ad furandum intret, & à canibus tuis lædatur: vel si aliquis incautus ad feram tuam, quam ligatam tenes, accedat, & ab illa damnificetur.

VII. Secundus casus est. Si absque tua culpâ mancipium tuum alterum culpabiliter lædat, vel in bonis, vel in persona; teneris vel mancipium tradere, vel damna restituere.

VIII. Tertius casus est. Quando ex domo tua aliquid effunditur, vel projicitur in viam publicam, vel privatam, & nocuit transeuntibus, vel ibi commorantibus. Nam & si sinè tuâ culpâ factum sit, si non fuit proclamatum, ut transeuntes illud damnum vitare possent; teneris tu, si es caput illius domus, vel familiæ: & si nocuit capiti, vel alteri corporis parti teneris ad expensas curationis, & ad damna eâ causâ contracta. Item si aliquid ex domo tua appensum est, quod decidens nocere potest, & de facto nocuit: si verò de facto non decidit, non nocuit, is, qui apposuit illud, debet solvere decem aureos propter periculum; & paterfamilias alios decem, si vidit, aut scivit, quòd appensum est, nec prohibuit. Hæc autem supradicta non obligant in conscientia, nisi post Judicis sententiam: quia tales leges sunt usu receptæ.

IX. Extra verò prædictos tres casus ad nullam restitutionem tenetur ille, apud quem res aliena periit ex casu fortuito; quia casus fortuiti non possunt per humanam prudentiam prævideri, & præcaveri. Ut si domum locatam habeas, & casu fortuito igne, aut tempestate destruatur: si equum conductum ad iter agendum, vel mutuatum accipias, & casu fortuito suffocetur, moriatur, aut à latronibus eripiatur: nisi fortè in pactum deduxeris, te velle obligari ad omnes casus, etiam fortuitos.

X. Similiter: si dans operam rei illicitæ fuit causa damni, nec intenti, nec prævisi, neque ex sua injustâ actione secuti. Ut si fur intraret domum ad furandum, & casu fortuito domum incenderet, non teneretur in conscientia ad satisfaciendum; quia damnum per accidens sequutum, non imputatur ad culpam; ergo nec ad pœnam, vel quasi pœnam restitionis: maximè, quia respectu illius damni non est voluntaria actio, ac proinde, nec culpabilis, aut injusta. Si tamen damnificatus ageret in judicio contra eum, qui damnum intulit; poterit id, quod sibi per sententiam fuerit adjudicatum, tutâ conscientiâ retinere.

XI. Insuper: non solùm ignorantia antecedens, quæ dat causam actui, sed etiam concomitans, quæ non est causa læsionis (quia sinè illâ opus exerceretur) sed illam dumtaxat comitatur, excusat à restitutione. Unde si projicias sagittam adhibens omnem diligentiam, ne alteri damnum inferas; esses tamen ita affectus, ut si scires, hominem eâ lædi, adhuc projiceres: si casu homo tunc transiit, quem læsisti, ad nil restituendum teneris. Et ratio est. Quia actio, quæ non est injusta causa mali alieni, non inducit obligationem restitutionis; ut si gauderem de malo alieno, nihil tamen influens in illud: sed in casu dicto actio illa non est causa læsionis, ut talis, quia hæc petit causam voluntariam. Licèt autem in hoc casu læsio illa non sit contra voluntatem, non tamen est à voluntate cum cognitione: & sic non est voluntaria, nec involuntaria, sed non voluntaria, ut diximus, *Tom. 1. in 1. 2. Tract. de Act. hum. Q. 1. de Voluntario, Dub. 7. §. 2.*

XII.

XII. Suppono rursus, ex eodem S. Thom. quòd bifariam contingit, aliquem ab altero culpabiliter damnificari: vel in eo, quod actu habebat, vel in eo, quod solùm habebat in potentia. Hìc certum est, quòd qui alterum damnificavit in eo, quod actu habebat, tenetur ad æqualitatem damnum recompensare. Ut si domum damnificavit, tenetur de justo pretio damni: si honorem, & famam læsit, tenetur secundùm facultatem suam reficere. Controversia est de damno, quod quis non habet actu, sed in spe, vel in potentia tantùm. Contingit autem, aliquid ab aliquo haberi in spe, seu in potentia proximiori, vel in potentia remotiori. Rursus: qui damnificavit, vel id fecit voluntariè quidem, non tamen directè volens damnum alterius, sed indirectè solùm: vel licèt voluerit directè damnum; non tamen voluit illud per se primò, sed per se secundò. Vel voluit directè, & per se primò damnum alterius. Exemplum primi est in eo, qui per ignorantiam culpabilem occidit puerum, mancipium alterius, vel alterius segetes conculcavit in herba. Exemplum secundi est in eo, qui sciens, & prævidens, quòd damnificat proximum, transeundo per agrum alienum; nihilominus videns, sequi damnum, adhuc vult transire: non ut damnificet, sed ut per illud medium perveniat ad locum intentum citiùs, & faciliùs. Exemplum tertii in eo est, qui directè, & per se primò intendit damnum alteri dare: puta, qui transit per agrum inimici sui, conculcatque messem illius, ut illum damnificet. His consideratis

§. II.

Resolutiones Dubii.

XIII. Dico primò. Quicumque alteri damnum dat in eo, quod non habet adhuc in actu, sed solùm in spe, & potentiâ, non tenetur illud ad æqualitatem compensare, ac si illud actu habuisset; sed ad æqualitatem spei, & potentiæ, scilicet, an esset proxima, an remotior. Explico. Si sata alterius tuis equis conculcasti, & semina effodisti; pensandum est, an sata illa essent propinqua, an remota fructui ferendo: & quantò propinquiora sunt fructui, tantò plus dare debes; quantò remotiora, tantò minus. Quare si segetes jam albescentes dissipasti, plus dare debes; quia fructui propinquiores erant. Et ratio est. Quia id, quod nondum actu est, sed solùm in via, & virtute, non tanti æstimatur, quanti, si esset actu: & ille, qui habet aliquid in actu, plus habet, quàm ille, qui habet solùm in virtute; potest enim multipliciter impediri, ut docet S. Thom. hâc *q.* 62. *a.* 4. ergo si qui abstulit aliquid, quod alter habebat in potentia, deberet restituere tantum, ac si habuisset in actu; deberet restituere ultra id, quod abstulit: quod est contra rationem justitiæ commutativæ, cui sat est, ut restituatur simplum. Ita ex S. Thom. citato.

XIV. Dico Secundò. Qui voluntariè quidem, sed solùm indirectè, & interpretativè, modo supra explicato, damnum intulit alteri, tenetur quidem compensare; sed non est obligandus ad solutionem prætii rigorosi, quo æstimaretur res illa, si venditioni exponeretur, sed minimi. Ratio est. Quia inter injustas actiones eæ reputatur minimæ culpæ, quæ alterum lædit per ignorantiam, aut negligentiam: quapropter non est voluntaria, nisi indirectè, & interpretativè; ergo qui ita damnificavit, debet restituere quidem pretium justum, sed minimum: quale crederet Mag. Banez, esse illud, quo æstimatur res, quæ ultrò exponitur venditioni, & quærit emtorem.

XV. Dico Tertiò. Qui voluntariè, & directè, non tamen per se primò, aliquem damnificavit, tenetur restituere habita, ratione futuri boni expecta-

pectati. Ratio est. Quia hujusmodi injusta actio, utpote directè voluntaria, magis culpabilis est; ergo obligabit damnificatorem non tantùm ad minimam compensationem, qualis est ea, quâ res ultrò exponitur venditioni; sed ad majorem, puta, quando emtor rogat dominum, ut vendat: tunc enim res pluris valet, ratione futuri commodi expectati.

XVI. Dico Quartò. Qui voluntariè directè, & per se primò intendit dare alteri damnum, obligabitur ad restitutionem cum summo rigore: ita ut teneatur simpliciter restuere æquale, habitâ ratione absoluti commodi expectati. Æquissimum enim est, ut qui ex animi nequitiâ intendit aliquem fraudare expectatione, quam habebat proventuum, & commodorum; cogatur restituere totum commodum, quod expectabatur. Undè si pars læsa hoc exigat, etiamsi reclamet damnificator, adhuc tenetur: & maximè quando aperto Marte intulit damnum; ut si Tyrannus vim inferens Reipublicæ depopuletur agros, vineas, oliveta &c. ex quo Provincia, vel Civitas grave damnum patiatur; tenetur enim compensare totum pretium fructus sperati agrorum &c. quos fuit depopulatus.

XVII. Sed dices primò contradicta. Ex D. Tho. a. 3. nemo tenetur restituere id, quod non abstulit: sed damnificator sæpe nihil aufert ex damno dato: qui enim alterius segetes incendit, vel conculcat, nihil sibi aufert, aut acquirit, ergo &c.

Respondeo, dist. maj. Nec sibi acquirendo, nec alteri auferendo, co. maj. Præcisè sibi non acquirendo, nego maj. In negotio enim restitutionis non est spectandum, an aliquid emolumenti acceperit is, qui damnum intulit; sed videndum, quid ibi damni alter patiatur: hoc enim ipso, quòd alter damnum injustè patitur, minus habet, quàm debet habere. Restitutio autem ad hoc ordinatur, ut illi, qui minus habet, suppleatur, & sic fiat æqualitas: in totum quidem, si damnum accepit in eo, quod habebat actu, vel jam firmatum erat, ut haberet; secundùm proportionem verò spei, si damnum accepit in eo, quod habebat solùm in spe, ut dictum est supra.

XVIII. Dices secundò. Qui mutuatum, aut debitum ultra præfixum tempus retineat, nihil aufert à domino: & tamen tenetur tàm de lucro cessante, quàm de damno dato; ergo non est verum, quòd non tenetur restituere, quod non abstulit.

Respondeo, neg. maj. Qui enim in mora est solvendi debitum, aut restituendi mutuum: vel est causa damni, vel præcisè est causa lucri cessantis. Si sit causa damni, ita ut creditori ex tali mora subtrahatur aliquid, quod actu habet; puta, qui agrum, vel domum cogitur vendere minori pretio, quàm valet, vel accipere peccuniam ad usuram: debitor, qui suâ morâ fuit causa talis damni, debet compensare ex æquo; quia suâ morâ causa fuit, ut creditor minus haberet, quàm habere debebat. Si verò præcisè fuit causa lucri cessantis, puta, quia creditor, utpote mercator, erat expositus negotiationi, & ex tali mora invitus cessavit: lucrum cessans tenetur debitor, ultra pecuniam, ei compensare à die, quâ creditore invito illam pecuniam detinuit: non tamen ex æquo, quia lucrum illud erat solùm in virtute, & poterat multipliciter impediri, ut ex S. Tho. dictum fuit.

XIX. Pro pleniori autem hujus rei notitiâ noto: quòd lucrum potest esse, vel lucrum rei, vel industriæ. Lucrum, seu fructus rei semper ad dominum rei pertinet; quia unaquæque res domino suo lucratur, & fructificat: ideoque lucrum, quod aliquis fecisset ex rei furto sublatæ locatione, domino rei esset restituendum. Et eâdem ratione quilibet possessor malæ fidei, tenetur restituere, non solùm rem alienam, quam habet; sed

etiam fructus, quos ex ea percepit, vel quos dominus percepisset, si rem suam habuisset, deductis tamen expensis. Lucrum verò, seu fructus industriæ, cùm non sint domini, sed ejus, qui industriam adhibuit, non sunt restituendi domino, sed manere possunt penes industrium. Unde si fur ex pecunia furto sublatâ (dummodo non esset exposita negotiationi) fructum, & lucrum percipiat; hoc ejus erit, non domini, à quo pecunia accepta est, quia est fructus non pecuniæ, sed industriæ. Noto tamen: quòd estò aliquis multum industriæ ponat; non semper sequitur, quòd fructus sequentes sint fructus industriæ, sed possunt esse fructus rei. Unde si quis agrum furtivum, qui antea solebat esse sterilis, diligenter excolat, indeque magnos fructus percipiat; isti fructus censendi sunt fructus rei, nempe agri: & proinde compensandi domino, deductâ tamen quanti valet ipsius cultoris industriâ.

DUBIUM III.

Quibus Facienda sit Restitutio.

§. I.

An Res sit Restituenda Ei, à quo est Ablata?

I. De hoc agit S. Tho. hâc *q. 62. a. 5.* ubi tria docet. Primum, in C. nempe, restituendam esse rem ablatam ei, à quo est ablata. Secundum, ibi ad 1. *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri; non ei debet tunc restitui..... Nec tamen debet ille, qui detinet rem alienam, sibi appropriare: sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alii tradere tutiori, conservandam.* Tertium, ibidem ad 3. est. *Si ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere, secundùm quod potest: scilicet, dando in eleemosynam pro salute ipsius (sive sit mortuus, sive sit vivus) præmissâ tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda. Si verò sit mortuus ille, cui est restitutio facienda, debet restitui heredi ejus, qui computatur quasi una persona cum ipso. Si verò ille sit multum distans, debet sibi transmitti, quod ei debetur: & præcipuè si sit res magni valoris, & possit commodè transmitti: alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, & domino significari.* Sequentes ergo Angelicum nostrum Præceptorem, hæc tria præsenti dubio successivè examinanda proponimus. Et primò: An semper facienda sit restitutio rei illi, à quo est ablata.

II. Dico ergo. Restitutio semper facienda est ei, à quo res est ablata. Ita S. Thomas. Et probat hac ratione. Restitutio est actus justitiæ commutativæ, per quam inæqualitas alterius ad æqualitatem reducitur: sed si non fieret restitutio ei, à quo res ablata, seu accepta est, non reduceretur ad æqualitatem inæqualitas inducta per ablationem: siquidem inæqualitas inducta est, quia ille, à quo res ablata est, minus habet, quàm debet habere: qui autem abstulit, plus habet, quàm debet; ergo ut tollatur inæqualitas, debet, qui habet plus, quàm debet, restituere ei, qui habet minus, & sic ei, à quo abstulit.

III. Assertio tamen ista cum quibusdam moderationibus est intelligenda. Prima est. Ut ille, à quo res est ablata, sit justus rei possessor. Si enim esset injustus, aut iniquus rei possessor; puta, quia rem illam furatus fuisset, vel malâ fide possideret, vel si bonâ fide accipisset, malæ fidei possessor factus fuisset: deberet rem illam, non ei, à quo accepit, sed suo vero domino restituere. Si enim latroni, à quo res fuit ablata, fieret restitutio; latro haberet plus, quàm eum habere oporteret, & verus dominus haberet minus: & consequenter

ter non poneretur æqualitas, quæ intenditur per restitutionem. — Intellige tamen, si tibi certum sit, eum, à quo rem accepisti, illam furatum fuisse, vel malâ fide accepisse, aut detinere. Quòd si solum dubites, teneris ei, à quo accepisti, restituere; quia in re dubiâ melior est conditio possidentis. Casu autem, quòd certus sis, rem illam te accepisse à fure; debes, eam vero domino restituendo, monere ipsum (si absque notabili incommodo possis) ne illam ab alio iterum petat; & etiam illum, à quo accepisti, ne ipse iterum restituat, aut, ne in peccato perseveret, putans, se adhuc rem alienam detinere cum animo eam detinendi.

Si verò rem illam à possessore bonæ fidei accepisti, qui revera nullum in rem illam jus habebat: vel eam accepisti contractu lucrativo, idest, nihil ei rependendo, puta, quia eam tibi donavit, legavit &c. vel contractu oneroso, rependendo illi pretium, quia nempe rem illam emisti. Si primo modo accepisti, teneris eam vero domino restituere; quia nec tu potes eam retinere, nec ille possessor bonæ fidei ullum jus habebat ad rem alienam; si tamen id facere possis, absque gravi tuo incommodo. Si enim hoc timeas, cùm non tenearis rem alienam cum gravi tuo incommodo curare; sufficit, si eam in eo statu in quo accepisti, reddas illi, à quo accepisti, monendo ipsum, rem illam non esse suam, sed alienam. — Si verò secundo modo accepisti, poteris possessori reddere, ut pretium tuum recuperes: non enim teneris cum jactura propriâ dominum indemnem servare. Quòd si possessor non compareat, vel non potes ab eo pretium datum redimere; eam domino tradere teneris, quia jus habet illam sibi vendicandi; quod tu elidere non potes, quamvis prætium amittas.

IV. Secunda moderatio est, ex S. Tho. relato. Si legitimus possessor, à quo rem accepit, non adsit; tenetur quì accepit, restituere illi, qui ejus personam gerit. Quare si mortuus fuerit, debet ejus hæredibus, qui in ejus personam succedunt, & in omnia ejus jura, restituere. Nec satisfaciet, eam pauperibus erogando, vel in pia opera pro ejus anima distribuendo; quia etsi defunctus non adsit, sunt tamen ejus hæredes, qui in dominium successerunt: ideoque si ita faceret, teneretur hæredibus restituere, quia facta fuisset restitutio ei, cui facienda non erat, nisi fortè id bonâ fide fecisset: quia in hoc casu nec ratione rei alienæ, nec ratione injustæ actionis obligationem iterum restituendi hæredibus haberet.

V. Tertia moderatio est. Si quis accepit rem ab eo, qui non erat dominus, qui tamen eam aliquo justo titulo possidebat; debet eam restituere illi, à quo accepit. Et ideo si rem accepit ab eo, cui tradita erat in depositum, commodatum, pignus, vel locationem; vel qui illius habebat administrationem, ut vir respectu bonorum uxoris, aut filiorum, tutor, vel curator respectu bonorum pupilli: non domino rei debet restituere, sed ei, à quo accepit, quia succedit in jura ejus: nisi fortè parum, aut nihil interesset, an potiùs uni, quàm alteri restitueret: vel nisi vehementem suspicionem haberet, ne res restituta ei, à quo accepit, esset detinenda, nec vero domino adjudicanda.

Si verò quis rem abstulit à filio familias, à Religioso, ab uxore &c. non satisfaciet, illis talia bona reddendo; sed debebit reddere ei, qui talium rerum dominium habet: qualis est Monasterium respectu Religiosi, vel administratior, ut pater, vir, tutor respectu bonorum filii, uxoris, & pupilli. Quòd si aliter fecerit, iterum restituere tenetur: nisi sciat, rem esse conversam in utilitatem, vel domini, vel administratoris: vel nisi bona, quæ abstulit, essent bona castrensia filii, aut paraphernalia uxoris: vel nisi res illa esset jam concessa ad

usum ejus, à quo est accepta: tunc enim poterit eidem, à quo abstulit, restituere. Quare qui tunicâ Religiosum spoliasset, non teneretur eam reddere Monasterio, sed Religioso spoliato: quia tunica, licèt sit Monasterii, concessa tamen est ab ipso ad usum Religiosi.

VI. Quarta moderatio est. Quando is, qui accepit rem, illam reddit alicui tertio, de quo certus est, quòd reddet vero domino; non tenetur amplius restituere. Ut si qui furatus est rem alienam à patrefamilias, reddat eam vel uxori, vel filio, vel amico; de quibus certus est, reddituros vero domino, vel expensuros in utilitatem ejus, secundùm ejus voluntatem, saltem interpretativam. Modus iste maximè consulit famæ illius, qui furatus est; ideoque restitutiones hoc modo fiunt regulariter per Confessarios: qui tamen non debent de facili hoc onus suscipere. Sed si id faciant, debebunt ab eo, cui restituit, recipere attestationem scripto, quòd tali die à Sacerdote tantam receperit pecuniam pro restitutione: ita tamen, ut nec in eâ nominetur principalis restituens, nec fiat eo loco, tempore, quo veniri possit in suspicionem principalis restituentis. Quòd si Confessarius ex oblivione, vel malitiâ id sibi retineret, quod restituendum suscepit; principalis debitor id resciens, non est liber à debito restitutionis: qui enim tenetur non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis; tenetur restituere, etiamsi res apud ipsum non maneat, teste S. Tho. hâc *q. 62. a. 6.* (nisi fortè creditor in hunc modum restitutionis expressè consensisset) debitor tamen haberet actionem contra Confessarium.

§. II.

An Res Restituenda sit Ei, à quo est Accepta, quando Prævidetur, ei fore Nocivam?

VII. Nocumentum, quod prævideri, & timeri potest ex restitutione facienda ei, à quo res est accepta, potest esse, vel corporale, vel spirituale.

Dico ergo primò. Si qui debet restituere prævideat, quòd reddendo rem ei, à quo eam accepit, secuturum sit damnum corporale illi, vel alteri; tenetur ex justitia restitutionem ad aliud tempus differre, etiamsi ille, à quo rem accepit, instet, ut sibi restituatur: ideoque qui alienum gladium, vel commodato, vel deposito habet, si prævideat, & probabiliter credat, eum à quo gladium accepit, esse abusurum ad damnificandum se, vel alterum, ei reddere non debet. Ita ex S. Tho. *q. 62. a. 5:* supra relato, *ad 1.* Quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui fit restitutio; ergo cùm prævidetur, restitutionem fore graviter nocivam ei, vel alteri, non debet ei tunc restitui res sua.

Intellige tamen, dummodo ex negatione restitutionis non sit secuturum grave malum ipsi debitori. Nam si ex negatione grave malum secuturum esset debitori neganti; tunc quamvis ex restitutione sequeretur grave damnum, vel petenti, vel tertiæ personæ, nullum esset peccatum rem illam petenti restituere. Verbi gratiâ: Si latro comminetur mihi mortem, nisi reddam ei gladium; possum illi reddere, quamvis videam, eum tali gladio illaturum esse necem alteri. Ratio est. Quia nemo tenetur vitare damnum alienum cum gravi damno suo. Nec in tali casu damnum illud mihi imputaretur: mihi enim non esset voluntarium, neque expressè; quia non intenderem tali restitutione

dam-

damnum alterius: neque interpretativè; quia voluntarium interpretativè est, quando quis tenetur impedire aliquod malum, & non impedit, pro tunc autem ego non teneor: non enim teneor succurrere proximo cum tanto meo periculo. — Excipe tamen, si persona illa, quam prævideres fore lædendam gladio à te reddito, esset persona publica; cujus vita, & salus foret Reipublicæ maximè necessaria: nam tunc tenereris tu pati detrimentum illud, ut illius salutem servares.

VIII. Quòd autem si prævideat, ex restitutione damnum secuturum, vel ei, cui fit restitutio, vel alteri; teneatur debitor ex justitia negare restitutionem, ita ut si restituat, & damnum prævisum sequatur; illi imputetur, & teneatur ad reparationem damni secuti (quæ est secunda pars Asserti) sic ostendo. Nam ex vulgari Regula, in Cap. *Final.* (*De Injuriis*, & *damno dato.*) *Si tuâ culpâ damnum datum est, aut injuria irrogata, aut irrogantibus opem fortasse tulisti, jure te super his satisfacere oportet:* sed debitor in casu proposito fert opem homicidæ, reddendo gladium ei parato ad occidendum; non minus, ac reddendo gladium amenti, furioso, & parato alium occidere: quia non minus concurrit cum isto ex parte sui, quàm cum amente; ergo tenebitur in utroque casu compensare damnum secutum. — Idem colligitur ex Leg. *Si pignore*, §. *Ferramentum*, ff. *de furtis*, ubi habetur: quòd qui ferramenta sciens, & prudens accomodaverit ad effringendum ostium, vel armarium, etiamsi nullum consilium dederit ad furtum faciendum, tenetur ad restitutionem furti; ergo & in casu. — Præterea: debitor, qui in casu nostro redderet petenti gladium, vel aliud, sic prævidens damnum secuturum; si secuto damno accusetur, in foro exteriori condemnabitur, & obligabitur ad restitutionem damni: sed sententia Judicis, quæ in falsa præsumtione non fundatur, non obbligat de novo ad restitutionem, ad quam in foro interno antea non teneretur; ergo &c.

IX. Sed contra primam partem Asserti dices primò. Dominus in eo, in quo verè dominus est, semper jus habet ad petendum rem suam; ergo debitor semper facit illi injuriam, quando eam petenti denegat: aliàs esset quasi bellum justum ex utraque parte.

Secundò. Debitoris partes sunt justitiam implere, reddendo alteri, quod suum est, non autem esse custodem aut tutorem creditoris; ergo ad ipsum non pertinet, nisi, ut faciat officium debitoris, reddendo: ad creditorem relinquendo, ut provideat sibi, an sit commodum sibi, ut tunc repetat debitum, an non.

X. Respondeo ad primum, negando ant. absolutè intellectum de jure actuali, & jure petendi. Nam etsi verus dominus habeat jus ad suum depositum, vel quodcumque aliud debitum; tamen non habet jus, ut pro tunc exigat, quando eo abusurus est in damnum suum, vel alterius. Nemo enim habet jus ad id, quod non est secundùm rectam rationem: cùm igitur non sit secundùm rectam rationem tunc recipere, ideo non habet jus, ut sibi tunc fiat restitutio.

Ad secundum similiter dico, partes debitoris esse justitiam implere, non merè materialiter; sed formaliter, & prout justitiæ actus secundùm rectam rationem fit. Nam licèt restitutio, ex dictis, secundùm specificam rationem justitiæ commutativæ non respiciat, nisi æqualitatem rei ad rem: quia tamen debet esse actus virtutis, oportet, ut fiat ubi, & quando secundùm rectam rationem expedierit. Cùm ergo tunc non expediat, imò noceat, & cum præcepto restituendi concurrat præceptum non occidendi, aut non lædendi; quod utpote purè negativum fortius est, & ad semper obligat; ideo restitutio non est facienda pro tunc. Et licèt debitor non sit custos, neque tutor creditoris,

ris; tenetur tamen, quantum potest, impedire, & non cooperari nocumento, & damno proximi à se prævifo.

XI. Dices contra secundam Asserti partem. Licèt persona publicè ex officio conducta, ut prospiciat saluti Civium, & impediat mala, peccet contra justitiam, si id negligat; non tamen persona privata, nisi ad summum contra caritatem: si enim me præsente, Petrus invadat Joannem, & ego potens Joannem eripere à periculo, non eripiam; non facio contra justitiam, sed solùm contra caritatem, quia ex officio non teneor: sed debitor est persona particularis, cui ex officio convenit quidem debitum solvere, sed non alterius salutem tueri; ergo &c.

Secundò. Debitor reddendo in illo casu, implet actum justitiæ: sed faciendo justitiam, non peccat contra justitiam; ergo &c.

Tertiò. Si, stante dicto casu, à Judice ad instantiam creditoris debitor compellatur reddere, debebit reddere, nec peccabit, si statim reddat, non obstante &c. ergo neque peccabit, si reddat ante sententiam Judicis; quia hæc non reddit licitum, quod ex sua naturâ illicitum erat.

Quartò. Si debitor detrimentum patiatur ex retentione debiti, potest reddere debitum non obstante, quod videat, inde secuturum damnum, ut supra dictum est; ergo redditio debiti in casu non est per se causa damni secuti, & illicita: alioquin si naturâ suâ esset illicita, non posset fieri licita ex detrimento sui, nempe, debitoris.

XII. Respondeo. Ad primum dico, aliud esse non defendere proximum, aliud illum offendere; apponendo aliquam actionem, vel instrumentum, unde noceatur proximo. Licèt autem non defendere proximum injustitia sit solùm in persona publicâ, quæ ad id tenetur ex officio: offendere tamen proximum, vel dare causam damno ejus, injustitia est in quacumque personâ etiam privatâ.

Ad secundum dico, quòd qui tunc redderet debitum, faceret quidem actum justitiæ materialiter; sed faceret actum injustitiæ formaliter: quia contra rectam rationem actum justitiæ ordinaret, ad faciendam injuriam proximo.

Ad tertium dico, in illo casu teneri debitorem monere Judicem de periculo, quod timet, si restituat gladium, vel depositum: quòd si nihilominus cogat eum, ut reddat, excusatur à culpa.

Ad quartum respondeo, quòd in casu proprii detrimenti debitor non est voluntarius respectu damni secuti; quia non tenetur pro tunc retinere depositum cum tanto suo periculo. At in casu, de quo agitur, damnum secutum ex redditione depositi fieret ipsi reddenti voluntarium: potuit enim, & debuit illud impedire, & noluit.

XIII. Dico secundò. Si damnum, quod timetur ex restitutione rei creditori petenti, sit spirituale ipsius creditoris; puta, quia petit pecuniam depositam ad scortandum cum meretrice: probabile est, non peccare debitorem sic restituentem. Si verò damnum spirituale, quod timetur, sit futurum spirituale detrimentum alicujus tertiæ personæ; puta, quia creditor petat debiti restitutionem, ad sollicitandam virginem innocentem: in hac circumstantiâ censeo, peccatum fore reddere debitum.

XIV. Prior pars Asserti probatur. Tùm quia: debitori non incumbit curare, quomodo ille, cui restituit, eam sit impensurus. — Tùm quia: illa retentio non videtur medium proportionatum ad vitandum damnum spirituale ipsius petentis; sicut est retentio gladii ad damnum corporale vitandum: quia sicut damnum corporale vitari debet per corporalia media; sic damnum spirituale per media spiritualia, puta, per correctionem, debet præcaveri — Tùm etiam: quia creditor suarum actionum spiritualium dominus

est,

est, & subinde damnum, quod per illas incurrit, subire illi liberum est: at non ita respectu damni corporalis; ergo licèt hoc tenear ex justitia præcavere, negando scilicet arma, vel alia media, non tamen istud. Sicut nec teneor, si damnum temporale sit in rebus familiaribus, quarum creditor est dominus. Puta, si petat rem suam, ad eam prodigè insumendam, vel dissipandam etiam contra rationem, non teneor eam illi denegare.

Si tamen timeat debitor, creditorem re suâ malè usurum ad peccandum; crederem teneri ex caritate, licèt non denegare illi rem suam, saltem tamen eum monere, & fraternè corrigere, ne re illâ in Dei offensam utatur.

XV. Posterior verò pars probatur. Homo ex caritate tenetur, quantum potest absque suo detrimento, evitare scandalum, & ruinam proximi spiritualem, juxta illud Ecclesiastici 17. v. 12. *Mandavit* (Deus) *unicuique de proximo suo*; ergo si absque sui detrimento, retinendo rem alienam, innocentis ruinam spiritualem, quam prævidet, potest impedire, ad hoc tenetur. Hoc tamen dico, si sit spes, talem detentionem profuturam ad damnum evitandum: nam si talis spes non adsit, nec teneor denegare debitum, ob damnum spirituale illius, qui petit, nec alterius, quam solicitabit.

XVI. Argues tamen contra primam partem, primò. Damnum spirituale multò gravius est, quàm corporale; ergo si tenetur debitor non reddere debitum, quando timet damnum corporale ipsi petenti; multò magis tenebitur non reddere, quando timet damnum spirituale.

Respondeo, duplex esse discrimen inter debitum vitandi damnum spirituale, & corporale. Primum, quòd retentio debiti est medium ex natura suâ ordinatum, & efficax, ut proximus malum illud corporale non incurrat: quare non mirum, si debitor ex justitia obligatur debitum illi retinere. At retentio debiti non est medium per se ordinatum, & efficax, ut non incurratur damnum spirituale: etenim medium ad hoc ordinatum est correctio fraterna. Unde ad summum sequitur, quòd debitor teneatur illum ex caritate monere, & corrigere, ne id malum faciat, non verò denegare. Nam etsi denegetur, jam creditor peccavit in corde suo; & fortè peccabit magis ex denegatione debiti, ob majorem appetitum ex privatione.

Secundum discrimen est, quod bonorum corporis, scilicet vitæ, & salutis, homo non est dominus: & proinde cum hæc periclitari videntur, tenetur quisque impedire, negando etiam proximo, quod suum est, etiam ipso domino repugnante, si ex redditione videat sequi periculum. At actionum spiritualium homo dominus est. Quare dum homo vult peccare, nemo tenetur cogere ipsum, impediendo; maximè quando nulla intervenit injuria tertiæ personæ: nisi fortè Judex, aut Prælatus sit, ad cujus officium pertineat impedire, per aliqua media determinata. Cujus exemplum clarum est. Nam si aliquis velit seipsum, vel alterum occidere; possum, imò teneor, si absque meo detrimento possim, quovis modo ipsum defendere, etiam ipsum ligando: at si pergat ad fornicandam, non est mihi licitum illum ligare, aut aliam vim facere, ne pergat; sed solùm ex caritate eum corrigere, & suadere ne pergat.

XVII. Secundò argues. Nemo habet jus peccandi; ergo quodcumque creditor petat ad peccandum, etiam citra injuriam alterius, est illi denegandum ex justitia.

Respondent aliqui, quòd si creditor petat pecuniam, ad dandam scorto, cum quo vult fornicari, vel jam fornicatus est, non petit eam ad peccandum; quia licèt illicitum sit fornicari, illicitum tamen non est dare scorto mercedem iniquitatis: ideoque

petit,

perit, ut utatur jure suo. — Et si urgeatur. Ergo si petat ad exercendam simoniam, puta, ut det pro emendo cardinalatu, illicitum erit ei dare. — Cajetanus concedit hanc consequentiam: dicit enim, non licere debitori reddere pecuniam creditori petenti illam, ad emendum cardinalatum; & multò magis non licere, pecuniam illi in tali casu mutuari — Sed ellò non sit licitum mutuari ei, qui petit mutuum ad malum finem; quia cùm mutuans non teneatur mutuare, nec possit compelli ad mutuandum; si in tali casu mutuum daret, videretur fore causa peccati secuti: at depositum reddere, vel pecuniam restituere, cùm sit debitum, nullam videtur injustitiam afferre, aut peccato alterius cooperationem.

XVIII. Propterea respondeo cum Soto duobus modis. Primò. Quidquid sit de illo usu, ad quem suam à me pecuniam petit; tamen petendo utitur jure suo, quia petit suum — Et si dicas. Petit tamen, ut eo utatur contra jus suum --- Respondeo secundò, quòd uti quempiam jure suo, bifariam sumi potest. Si enim accipiatur jus pro lege, nemo habet jus peccandi, sed potiùs peccatum est contra jus; quia lex neminem peccare permittit. Si autem jus unjuscujusque accipiatur pro eo, quod est suum, seu in sua potestate positum, seu quo citra injuriam uti potest; tunc ille, qui dat alteri pecuniam ad simoniam, vel ad alium pravum finem, utitur jure suo, & nemini facit injuriam, sed legi: quam quidem ille, qui habet ejus depositum, non tenetur vitare, sed solùm eum ex caritate monere.

XIX. Contra secundam partem argui potest. Non peccat, qui restituit debitum creditori petenti, illud ad fornicandum; & consequenter ad faciendum damnum spirituale sibi; ergo neque peccabit, quando ex redditione debiti sequitur damnum tertiæ personæ: cum utercque suâ voluntate peccet, & damnum spirituale incurrat.

Respondeo, disparem esse rationem. Nam creditor petens debitum suum ad fornicandum, jam promtus est, & paratus est ad peccandum; imò jam fornicatus est in corde suo: at verò tertia persona innocens, quæ est scandalizanda, nondum peccavit. Ideoque retentio debiti est medium efficax ad impediendum damnum spirituale illius, & restitutio pecuniæ foret ei gravis tentatio: at non est medium efficax ad impediendum damnum spirituale ipsius creditoris, ut dictum est.

§. III.

De Restitutione, quando Dominus Rei est Ignotus.

XX. NOn loquimur hìc de rebus inventis, quarum dominus ignoratur: de his enim egimus supra (*Qu. de modo acquirendi dominium*) Sed de rebus ablatis, vel quomodolibet debitis. De his, ut supra observavimus, §. 1. agit S. Thom. hoc *art* 5. *ad* 3. ubi numerat tres casus, in quibus dominus rei non comparet. Primus, quando est prorsus ignotus. Secundus, quando erat notus, sed obiit. Tertius, quando est notus, sed longè distat. In primo casu dicit, restitutionem faciendam esse convertendo rem in usus pios. In secundo, faciendam esse hæredi. In tertio, rem debitam transmittendam esse ad locum, ubi est verus ejus dominus; maximè si sit notabilis, & commodè fieri possit: alioquin deponendam esse in loco tuto, & significandum domino, quòd ibi habeat rem suam.

Circa resolutionem primi casus factam à S. Thoma quæritur primò: Quinam sit, & dicatur dominus, ignotus rei?

XXI. Respondeo primò. Non dicitur verus dominus esse ignotus, moraliter loquendo, donec facta sit sufficiens diligentia, & conquisitio illius, arbi-

arbitrio prudentum. Et ratio est. Quia aliàs debitor præsumeretur culpabiliter ignorans, & volens ignorare dominum, ne ei rem restituat: unde non excusaretur à restitutione ei faciendâ.

XXII. Respondeo secundò. Si factâ sufficienti diligentiâ, & inquisitione, non constet determinatè, quis sit verus dominus; sed in dubio remaneat debitor, an sit Cajus, vel Titius: tunc dividendum erit debitum, juxta proportionem dubii inter illos, de quibus dubitatur: sic, ut si dubium fuerit æquale, dividatur æqualiter inter ambos; si verò magis unius videatur esse, quàm alterius, plus illi detur, quàm isti. Ratio est. Quia licèt in re dubiâ melior sit conditio possidentis; tamen ubi nemo possidet, debet fieri divisio inter illos, de quibus dubitatur, quisnam sit verus dominus: quia uterque jus habet ad rem, secundùm proportionem dubii.

XXIII. Respondeo tertiò. Quando factâ debitâ diligentiâ dominus remanet prorsus ignotus; tunc restitutio facienda est pauperibus, vel piis operibus applicanda. Ita S. Thomas relatus: & habetur C. *Cùm sit de Judæis*: Et C. *Quamquam. De Usuris*. Quibus in textibus licèt sermo sit de acquisitis per usuram, quorum dominus ignoratur: ex communi tamen consensu Doctorum, & consuetudine, quæ est optima legum interpres, extenditur ad omnia debita, maximè ex delicto, quorum dominus ignoratur, juxta C. *Nemo, qui rapit*, 14. q. 5. & meritò: ne contingat, homines divitiis alienis ditescere, plurimisque aditus injustitiis aperiatur.

XXIV. Non omnibus tamen pauperibus, quicumque sint, faciendam esse restitutionem censet Mag. Bannez; sed illius Oppidi, cujus existimatur esse dominus, qui ignoratur: maximè si debitum sit magnæ quantitatis. Et ratio adest. Quia, & verisimile est, quòd in illo Oppido remaneant hæredes veri domini; & sic convenientiùs fiat restitutio illis ad intentionem Reipublicæ: & quia cum verus dominus non comparet, facienda est restitutio illis, erga quos præsumitur dominus habere majorem amorem, & pietatem, & consequenter Concivibus: his enim, prudenter interpretamur, velle dominum, ut fiat restitutio loco sui: si verò etiam Oppidum ignoretur, faciendam esse restitutionem cuivis pauperi. Alii tamen, inter quos Soto, censent, in omni casu cuivis pauperi fieri posse restitutionem.

Verùm non modica oritur difficultas: an hæc obligatio restituendi pauperibus, vel Ecclesiæ in piis operibus, oriatur ex jure naturæ; ita ut nequeat aliter disponi: an verò solùm ex jure positivo. In qua parte, estò Cajetanus cum aliis primæ parti ad hæreat,

XXV. Dico tamen cum Bannez, Soto, aliisque. Hæc bona incerta solùm ex jure positivo esse pauperibus eroganda, sive in pios Ecclesiæ usus; jure autem naturæ bona illa, seu pretium eorum devolui debere ad Communitatem, seu Rempublicam; & ad statum pristinum, in quo erant, ante divisionem rerum factam, ut diximus de jure Gentium. Unde posset Respublica, vel summus Pontifex, aut Rex, vel legitimi horum bonorum administratores convertere illa in quoscumque usus bono Communi utiles, non secus, ac alia bona communia. Et propterea si hæc bona applicata sunt urgentioribus necessitatibus, nempe, pauperibus, qui sunt membra infirmiora Reipublicę; hoc jure Pontificio, & Regali factum est.

Assertio ita exposita probatur. Nam bona illa jure naturæ non sunt absolutè applicanda pauperibus; quia jus naturæ solùm obligat, ut debitum reddatur ei, cujus est, si possibile fuerit: si autem id possibile non fuerit, jus naturæ non præcipit, ea magis applicari pauperibus, quàm alteri; pauperes enim non sunt hæredes, qui pa-

natutaliter succedant in ejus jura.

Rursus: si esset obligatio justitiæ, ut illa bona traderentur pauperibus, in beneficium animæ domini; nec auctore Pontifice, aut alio Principe, possent alteri applicari, aut non possent cum minori quantitate applicari; & ita tota quantitas deberet semper expendi pro salute domini in usus pauperum: sed hujus oppositum videmus fieri à Summo Pontifice in Bulla compositionis, & per Principes plura incerta bona fisco sunt applicata; ergo &c. Quare dicendum videtur, bona illa incerti domini, cùm debuerint remansisse absque vero domino, facta fuerint jure naturæ bona communia; & reversa fuerint ad illum statum, in quo erant ante divisionem. Nam quantum attinet ad mores hominum, perinde est, quòd non compareat verus dominus, cui erant applicata, ac si numquam fuerint applicata: & consequenter ab eo, cui competit administrare bona communia, poterunt in communes utilitates erogari.

XXVI. Sed dices. Bona incerta debent jure naturæ applicari, secundùm præsumtam voluntatem domini: sed hæc præsumitur esse, ut in animæ suæ utilitatem erogentur; ergo &c. — Confirmatur. Bona aliena restituenda sunt suis dominis eo modo, quo possunt, ita ut aliquomodo ad ipsos perveniant; ergo si non possunt pervenire in utilitatem corporalem illorum, saltem debent eis pervenire in utilitatem spiritualem.

XXVII. Respondeo, neg. min. seu veriùs suppositum. Cùm enim per ignorantiam invincibilem domini, bona illa jure naturæ devoluta sint ad statum communem; jam antiquus dominus illorum dominium amisit, & fiunt eodem jure illius, cui primò applicantur. Unde non est attendenda voluntas antiqui domini, sed novi, idest, Principis, seu Communitatis, cui liberum est, cui voluerit, applicare.

Ad Confirmationem, co. antecedente, nego conf. Non enim jure naturæ tenetur debitor procurare, ut si utilitas temporalis nequeat pervenire ad dominum; ad eum saltem perveniat utilitas spiritualis. Tùm quia: ex ignorantia antiquus dominus amisit dominium, ut dicebamus. Tùm quia: nemo jure naturæ tenetur temporalia damna bonis spiritualibus compensare; quamvis, ut ita fiat, leges positivæ æquissimè statuerint.

XXVIII. Hinc inferre quis posset: bona illa incerta, quæ absque injusta actione debitor habet apud se, sive ex contractu, sive ex deposito; si post diligentem inquisitionem non compareat dominus, posse apud se retinere, & facere sua: cùm enim devoluta sint ad statum communem, quomodo erant ante rerum appropriationem; res autem communes negativè, idest, nullius domini, fiant primò occupantis, sicut modò sunt ea, quæ nullum habent dominum, ut feræ, pisces &c. ita videretur, quòd jure naturæ spectato, posset debitor ea sibi retinere — Cæterum quia communis sententia, & consuetudo stat in oppositum, & jura sanciunt, quæcumque aliena, quæ habet debitor, quorum dominus ignoratur, tradenda esse pauperibus; idcirco meritò prohibitum est, ea sibi retinere.

XXIX. An verò in reddendis hujusmodi bonis pauperibus necessarius sit consensus Episcopi.

Respondeo negativè, exceptâ tamen restitutione faciendâ ab usurario, quæ de præcepto fieri debet cum licentia Episcopi, ex C. *Qamquam. De Usuris, in Sexto*. Et ratio est. Nam si compareret verus dominus, nulla esset necessaria licentia, ut ei fieret restitutio; ergo neque cùm in defectu ejus, secundùm Ecclesiæ legem, facienda est restitutio pauperibus: eò vel maximè, quia hujusmodi leges nullam mentionem faciunt de hujusmodi licentia. Crediderim tamen, optimum fore consilium, Episcopum tanquam pauperum provisorem consulere,

re, maximè si sit res notabilis valoris; ut ipse determinet, quorum pauperum usibus sint talia bona applicanda. Et in hoc sensu ait S. Tho. *in 4. dist. 15. q. 1. a. 5. questiunc. 3. ad. 3.* loquens de deprædatore Civitatis: *Quòd ille, qui illo modo accipit, debet pauperibus illius villæ restituere, vel in alios usus Communitatis illius Civitatis expendere, secundùm arbitrium Episcopi, vel illorum, ad quos pertinet cura illius Civitatis.* Quibus duo docet. S. Doctor: unum, quòd deprædator Civitatis debet restituere ablata: vel expendendo in solamen pauperum illius, vel in alios ejusdem Civitatis usus: & hoc est de præcepto. Aliud, quòd hoc faciat secundùm arbitrium Episcopi, vel eorum, qui Civitatis curam gerunt: & hoc est de Consilio. Nisi dicatur: quòd in casu allato deprædationis cùm damnum sit publicum, urget specialis ratio, cur reparatio debeat fieri secundùm arbitrium eorum, qui curam publicam gerunt. Quòd si in aliquibus Synodalibus Decretis hujusmodi distributio reservatur Episcopo: vel loquuntur de reservatione peccati, non distributionis: vel de restitutione facienda à Judæo, ut statuitur, C. *Cum sit minus. De Judæis*. Ubi statuit Innocentius III. quòd si Judæus publico officio præficiatur inter Christianos, ei communio in commerciis, & aliis cum Christianis denegetur; donec omnia, quæ ex tali officio perceperit, *In usus pauperum Christianorum, secundùm providentiam Diœcesani Episcopi, convertatur*; & officium *cum pudore dimittat*. Vel ab usurario, C. *Quamquam. De Usuris in 6.*

XXX. Si verò Quæras: An pro hujusmodi debito possit fieri compositio.

Respondeo affirmative. Et si attendamus solùm jus naturæ, hujusmodi compositio videtur posse fieri auctoritate cujusvis Principis, sive secularis, sive Ecclesiastici. Si verò inspiciamus ad jura, & de facto; hujusmodi compositio in Republica Christianâ, non videtur fieri posse, nisi à Summo Pontifice. — Prima pars probatur. Tum quia: ex dictis, hujusmodi bona, stando in solo jure naturæ; redeunt ad Communitatem; ergo Princeps, qui est bonorum communium dispensator, potest aliquam partem applicare in usum utilem Communitati, & remittere aliam debitori; si talis remissio fuerit etiam utilis Communitati. Sit exemplum. Cùm instante bello necessario pro defensione Reipublicæ, utile sit Reipublicæ, undecumque pecuniam colligere; jure naturæ posset Reipublicæ administrator ex hujusmodi debitis incertis breviorem, & copiosiorem collectionem facere; & eò maximè si pro aliqua parte datâ remitteret aliam partem debitori — Tùm etiam: quia omnis Princeps potest dispensare in legibus suis propriis: sed bona incerta solis Principum legibus decernuntur in usus pauperum; ergo &c. Eò vel maximè, quòd cùm pauperes nullum habeant jus acquisitum in illa bona; poterit, absque illorum injuria, Princeps in alium usum Communitati utilem eà impendere.

Secunda verò pars probatur. Quia Romanus Pontifex potestatem habet supra alios Principes Christianos reservandi sibi aliquam materiam, prout judicaverit bono Ecclesiæ expedire. Hinc reservavit sibi omnes causas matrimoniales, quæ aliàs ratione humani contractus subjectæ erant legibus secularium Principum; cùm ergo sit Pater pauperum meritò reservavit sibi mutationem, vel dispensationem in hujusmodi legibus de bonis incertis, distribuendis in usus pauperum: hoc enim maximè pertinet ad supremam potestatem ligandi, atque solvendi, quâ insignitus fuit à Christo Domino.

XXXI. Ad hanc tamen compositionem faciendam causa legitima esse debet, & lex naturalis servanda est. Ut si debitor sit ita pauper, quòd egrè possit vix restituere; aut debitum non sit adeo certum, aut adsit causa

Kk 2 pru-

prudentum, & maximè Confessarii arbitrio judicanda. Si enim legitima causa desit, non erit licitum debitori, talem petere compositionem.

XXXII. Secutâ autem compositione convenienter, & legitimè factâ per Bullam, & applicatis his bonis, vel sibi, vel aliis; etiamsi ipse ad meliorem fortunam evaserit, non teneri amplius restituere, censent probabiliter multi: imò etiamsi verus dominus postea compareat. Quia, ajunt, bonâ fide applicata sunt: & *bona fides non patitur, ut semel exactum, iterum exigatur*, ex Regula 83. juris in 6. Nec etiam pauperes, quibus distributio facta est, tenentur domino comparenti aliquid reddere; quia ex tali applicatione jure factâ, pauperes dominium acquisiere: quemadmodum per præscriptionem dominium acquirit possidens, tempore, & conditionibus ad illam requisitis, expletis — Et hoc verum est non solùm, quando compositio fit de bonis beneficiorum malè perceptis, quia scilicet Beneficiatus, vel non recitavit Officium, vel non resedit; quia eàm Pontifex horum bonorum sit dominus, potest de illis bonis disponere; & si expediens judicaverit, etiam in ipsos debitores eorum dominium transferre: sed etiam quando compositio fit de aliis bonis, quia etiam in istis procedit, ut legitimus dispensator. Quamvis aliqui, inter quos Bannez, sentiant, quòd eùm dominium, quod accipit debitor per compositionem, sit infirmum, & caducum; nec Pontifex intendat injuriam facere priori domino: isto comparente, si per sententiam Judicis obligetur, teneatur in conscientia debitor ei restituere, quod stante compositione acquisierat.

XXXIII. Circa secundam Resolutionem D. Thomæ nihil se offert dicendum, nisi quòd nomine hæredis venit omnis, qui succedit in jus defuncti. Unde bona hæretici condemnati, & jam defuncti restituenda sunt fisco.

XXXIV. Circa tertiam Resolutionem quæri potest: cujus expensis transmittendum sit debitum, quando creditor longe distat?

Respondeo primò. Si debitor tenetur restituere, ratione injustæ acceptionis, vel dominus longè distat culpâ, aut causâ ejus; tunc ipse debitor tenetur transmittere rem debitam propriis expensis: quia dominus rei servandus est indemnis ab omni injuriâ. Observandum tamen est, quòd si dominus in asportanda illâ re iniquè acceptâ, aliàs facturus erat expensas; tunc debitor non tenebitur propriis expensis eam transmittere. — Si autem debitor non tenetur restituere ratione injustæ actionis, nec dominus longè distat culpâ, vel causâ debitoris; non tenebitur hic propriis expensis debitum transmittere. Quia debitor in tali casu tenebitur tantum restituere, quantum accepit: si autem propriis impensis transmitteret, restitueret, plus quàm accepit.

XXXV. Respondeo secundò. Si res semel commissa fideli portatori, ut eam traderet vero domino, fortè in via periit; tunc si debitor tenebatur tantùm ratione rei acceptæ, non tenetur amplius restituere. Si vero tenebatur ratione acceptionis, sive justæ, sive injustæ, tenebitur nihilominus vero domino restituere. Exemplum primæ partis est in eo, qui rem alterius invenit, vel in deposito accepit. Et ratio est. Quia debitor non accepit rem illam in proprium commodum, sed in commodum domini: sed quando transmittit illam per fidelem procuratorem agit negotium veri domini; ergo non tenebitur amplius restituere. — Exemplum verò secundæ partis est in eo, qui accepit rem mutuò, vel sibi accommodatam, vel emerat eam, transmissurus pretium illius, aut etiam furto surripuerat: tunc enim acceperat rem illam in commodum suum; ergo si res illa periit, debitori periit: quia qui sentit commodum, æquum est, ut sentiat

tiat etiam damnum — Observandum tamen est: quòd si cum consensu domini, aut ex imperio Judicis res illa tradita fuit portatori; non tenetur amplius debitor restituere, quamvis res illa pereat: quia voluntas domini, & imperium Judicis illum liberant.

§. IV.

Alia duo Resolvuntur.

XXXVI. PRo corollario præsentis dubii quæri potest. Primò: An solutione factâ creditori mei creditoris, liber sim ab alia faciendâ? Casus est. Ego tibi centum debeo: tu totidem debes fratri, vel consanguineo meo, & utrumque debitum est liquidum. Si ego illa centum, fratri, aut consanguineo meo, etiam te invito, solvam, ero ne liber in conscientia ab ulteriori restitutione tibi faciendâ? Et quidem si utrumque debitum, sit ob eandem causam contractum, conveniunt omnes, me liberum fore. Ut si tu locasti mihi domum centum aureis, quam tibi centum aureis locavit frater, aut consanguineus meus; in utroque foro tibi satisfactio, solvendo pecuniam fratri, vel consanguineo meo. Et idem est, si solvam nummos illi, à quo tu mutuos accepisti, gerendo meum negotium: quia nullam tibi injuriam facio, imò utiliter tuum negotium ago. Dubium est, quando debitum ob diversam causam est contractum.

XXXVII. Quidam negant, primò. Quia creditor jus habet, ut illi ego restituam rem suam: & fortè sua interest, ut non restituam suo creditori, quia sperat, quòd vel remittet, vel differet solutionem; & mihi dicere poterit: quis te mea debita solvere jussit? — Secundò. Si hoc modo satisfieret creditori, hoc liceret facere: sed hoc videtur falsum; aliàs liceret etiam ab alio bona sua auferre, ut ejus debitis satisfiat: & si haberes ab eo depositum, commodatum, pignus, posses, ipso inconsulto, imò nolente, ea tradere suo creditori in solutionem debiti, vel saltem in pignus, seu depositum, quousque illi debitum solvat: quod esset aperire viam dolis, atque fallaciis.

XXXVIII. Affirmant verò alii, inter quos PP. Salmanticenses, C. 1. *de Restit. puncto 11. §. 4. num. 221.* Primò. Quia sic solvendo, nullum damnum meo creditori infero, cùm eum liberem à debito, quo respectu sui creditoris tenebatur obstrictus, & tantum illi reddo, quantum debeo: liberare autem à certa obligatione aliquem solvendi tantum, idem est, ac eiusdem æstimationis, ac totidem illi dare — Secundò. Si ego centum tibi debeam, & tu totidem debeas mihi, possum uti compensatione, & à solutione abstinere: sed quando ego solvo tuo creditori, quod illi certò debes, ille jus suum in me transfert, & consequenter illius debiti ego fio creditor adversùs te; ergo tu debes mihi illa centum, quæ alteri debebas; ergo potero uti compensatione, non solvendo centum, quæ tibi debeo.

XXXIX. Si liceret mihi hac in re judicium meum proferre, crederem, utramque sententiam conciliari posse, dicendo: quòd qui ita ageret, non peccaret contra justitiam, nec teneretur iterum debitum solvere: & hoc probant rationes pro secunda opinione. Illicitè tamen ageret, & contra justitiæ ordinem, quæ dictat, restitutionem faciendam esse domino, nec aliter propriâ auctoritate sinè Judicis mandato esse faciendum: & hoc videtur colligi ex rationibus primæ opinionis.

XL. Quæritur secundò: An debitor existens in extrema necessitate, vel parentes ejus, vel consanguinei, vel speciales amici, & in æquali necessitate existente creditore; teneatur potiùs subvenire creditori, ei restituendo, quàm sibi; vel parentibus, vel consanguineis, vel amicis?

Cer-

Certum est ex S. Thom. hàc *q.* 62. *a.* 5. *ad* 4. non debere aliquem benefacere parentibus, aut aliis benefactoribus de his, quæ alteri debet: quia nullus *Debet recompensare benefactori de alieno, quod contingit, si quod debet uni, alteri restitueret.* Dubium solùm est in casu extremæ necessitatis.

XLI. Dico primò. Si debitor sit in extrema necessitate, & etiam creditor, debitor tenetur potiùs succuerrere sibi, quàm creditori. Ita ex S. Tho. citato, ubi addit: *Nisi fortè in casu extremæ necessitatis, in quo posset, & deberet aliquis etiam auferre aliena, ut patri subveniret.* Ratio est. Quia jus Gentium, quo rerum divisio facta est, & bona sunt appropriata, non debet derogare juri naturali: sed jure naturali insitum est, ut in extrema necessitate omnia sint communia; sic ut efficiantur propria occupantis, quantùm ad usum necessarium ad supplendam extremam necessitatem; ergo sicut debitor in extrema necessitate posset, & deberet etiam aliena auferre; ita si rem alienam habeat in manibus, potest eam sibi detinere: tunc enim non est aliena, sed sua.

XLII. Sed contra dices pro Scoto oppositum sentiente, primò. Præceptum restitutionis est affirmativum, obligans tempore necessitatis: sed tunc creditor est in extrema necessitate; ergo pro tunc debet ei restituere. — Secundò. Creditor in tali casu duplex jus habet ad illam rem, alterum dominii, alterum extremæ necessitatis: debitor autem unum tantùm jus habet; ergo illi potiùs tradi debet.

Respondeo, conc. præmissis, neg. conf. Tunc enim cum necessitate extremâ creditoris concurrit alia extrema, & urgentior, nempe necessitas debitoris; & fortius præceptum, ac jus conservandi vitam propriam, vel adimplendi præceptum pietatis erga patrem, ut dicemus.

Ad secundum nego ant. Imò extrema necessitas debitoris facit illum dominum rei, aliàs debitæ, quàm apud se habet, si fuerit usu consumtibilis: si autem usu non consumitur, facit illum dominum usus illius.

XLIII. Instabis primò. Si quis ponatur in extrema necessitate, etsi sit persona Reipublicæ valdè utilis, non potest tamen rapere panem, vel aliud à persona, etiam vili, existente in æquali necessitate; ergo neque quis positus in extrema necessitate, poterit retinere rem alterius in æquali necessitate constituti — Et confirmatur, Ex duobus existentibus in æquali necessitate, vel famis, vel naufragii, non potest unus ab altero per vim eripere panem, aut tabulam, ut evadat mortem; ergo à pari: quia si nocet injusta acceptio in illo casu, cur non nocebit injusta detentio in casu nostro?

Secundò. Saltem qui injustè rem alterius accepit, tenetur in eo casu eam restituere; quod probo. Ille enim rem alienam injustè accepit, & detinet: sed injusta acceptio, & possessio non facit possessorem melioris conditionis, nec tribuit illi jus aliquod; ergo in pari extremâ necessitate verus dominus præferri debet.

XLIV. Respondeo ad primam instantiam, con. ant. neg. conf. Et disparitas est. Qui enim raperet panem, vel aliud à constituto in extrema necessitate, raperet illi suum; & teneretur, etiam cum periculo vitæ propriæ, restituere: quia in eo articulo res fit primò occupantis, non præcisè jure Gentium, sed jure naturæ. Quare eâdem ratione, qui in extrema necessitate constitutus habet rem alienam; quia extrema necessitas facit illam esse suam, potest eam justè detinere, nec nisi injustè potest illi eripi. — Eodem modo respondeo ad Confirmationem, quam verto in favorem nostrum sic. Qui constitutus in naufragio occupasset tabulam, licèt alienam, ita faceret illam suam; ut qui eam illi raperet, injustè ageret, & restituere teneretur; ergo qui in ex-

extrema necessitate positus habet rem alienam, ita eam facit suam; ut quicumque ei illam eriperet, injustè ageret.

Ad secundam, fateor, injustam actionem nullum tribuere jus possessori: hoc tamen ei tribuit extrema necessitas, quæ rem quomodocumque occupatam facit esse suam, ut dictum est.

XLV. Dico secundò. In eodem casu necessitatis extremæ potest debitor patrem, matrem, filios, uxorem præferre creditori æqualiter periclitanti. Ita ex S. Thom. allato. Nam debitum, quod ex virtute pietatis debetur, majus, & antiquius est, quàm illud, quod ex particulari justitiâ commutativâ debetur: quia primum natura absolutè dictat, secundum verò solùm rerum divisione suppositâ, & voluntate hominum factâ: sed parentibus, ac filiis debetur ex pietate, ut eis in eo casu subveniatur, creditori verò solùm ex justitia particulari; ergo illis potiùs subveniendum est.

Quod confirmo. Virtus pietatis præstantior est justitiâ commutativâ; ergo illa potiùs exercenda est, quàm ista. Ant. prob. ex D. Thom. 2. 2. q. 101. a. 3. ubi ostendit, pietatis debitum fundari in ratione principii connaturalis essendi. Ex quibus discurro sic. Plus debeo ei, qui fuit mihi principium essendi, quàm ei, qui dedit mihi bona tantùm exteriora; ergo posito utroque in æquali necessitate, priùs illi, quàm isti debeo subvenire. Filii autem, & uxor censentur esse aliquid sui: nam filius est patris portio, uxor est cum viro una caro, & inter eos est naturalis conjunctio.

XLVI. Dico tertiò. An in extrema necessitate positis fratribus, consanguineis, magno amico, qui vitam pro me exposuit, & etiam creditore; priùs debeam illis subvenire, quàm isti, problema est. Pro parte negativa faciunt aliqua ex supra allatis argumentis. Pro affirmativa etiam: quia fratribus teneor ex virtute pietatis, sicut teneor patri: amicus autem insignis pluris faciendus est, quàm frater, apud prudentes, juxta illud Prov. 27. v. 10. *Melior est vicinus juxta, quàm frater procul*. In problemate autem isto solvendo recurrandum est ad regulam S. Thom. hâc 2. 2. q. 31. a. 3. ad 3. Ubi docet, quòd existentibus in æquali necessitate creditore, & conjuncto, non potest dari universalis regula, cui potiùs subveniendum sit; sed prudentis judicio relinquitur, ut consideratis conditionibus judicet, cui potiùs sit subveniendum. De quo egimus, *Tom. præced. de Ordine Caritatis*.

QUÆSTIO V.

De Debito Restitutionis, ex Illicita Datione, & Acceptione.

DE debito insurgente ex injusta datione, & acceptione hîc agemus; quia verò pluribus modis potest esse illicita, de singulis per sequentia dubia examen erit.

DUBIUM I.

De Datione Licita, sed ob Turpem Causam.

§. I.

Quædam pro Intelligentia.

I. DAtio, & acceptio potest esse illicita, vel intrinsecè, & in se, quia scilicet est contra legem; ut datio, & acceptio pecuniæ simoniaca, vel ad ferendam injustam sententiam: vel solùm extrinsecè, quia scilicet datur propter rem illicitam; sicut datio, & acceptio pretii meretricii pro illicito usu corporis. Ita S. Tho. hâc q. 62. a. 5. ad 2.

II. Insuper datio, quæ est illicita intrinsecè, potest esse illicita ex parte dantis, & recipientis; ut contingit in datio-

datione pretii simoniaca. Aliquando verò potest fieri illicita solùm ex parte recipientis: ut si Petrus det Joanni pretium, ne committat aliquod flagitium; tunc Joannes recipiens solus peccat, non verò Petrus dans.

III. Rursus: datio ex utraque parte illicita dupliciter potest contingere. Vel ex parte materiæ, quia nimirum materia non est pretio æstimabilis; ut patet in exemplo dationis simoniacæ: vel illicita esse potest tantùm, quia licet sit de materia pretio æstimabili, tamen est contra legem; ut datio pretii sicario, ut hominem interficiat. De his ergo omnibus successivè agemus. Primò autem de datione, quæ intrinsecè non est illicita, sed solùm datur ob finem illicitum; puta fornicationem, aut adulterium: & de hac in præsenti Dubio.

§. I I.

Resolvitur Dubium.

IV. Dico. Pretium datum fæminæ, ob illicitum usum sui corporis, potest absque injustitia ab ea recipi, & retineri. Hæc Assertio, quà tangit meretrices, patet omnium ferè Nationum usu. Traditur autem à S. Thoma, hìc *a.* 5. *ad* 2. his verbis: *Alio modo aliquis illicitè dat, quia propter rem illicitam dat; licèt ipsa datio non sit illicita: sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem. Unde, & mulier potest sibi retinere, quod ei datum est.* Et in 4. dist. 15. q. 2. a. 4. qu. 2. *Si lex* (inquit) *prohibuit actum, sed non lucrum supposito actu; tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo non facit contra legem: sicut cùm quis de lenocinio, vel meretricio lucratur; & ideo hæc retineri possunt.* Ac rursum ibi, *quest.* 3. ait: *Quando actus, quo quis lucratus est, lege prohibitus est, non autem ipsum lucrum; tunc vocatur turpe lucrum, sicut est in meretricio, vel similibus: & tunc de tali eleemosyna fieri potest, quia non tenetur ad restitutionem.*

V. Idipsum colligitur ex *Genes.* 38. ubi narratur, Judam iniisse pactum cùm Thamar, quam existimabat meretricem, de pretio, ut ea frueretur, quod deinde ei solvere procuravit. Unde, *Prov.* 6. *v.* 26. dicitur: *Pretium enim scorti vix est unius panis.* Ubi vocatur *pretium*, quod datur pro turpi actu — Probatur autem hoc discursu. Omnis conventio, & promissio, quæ jure naturæ, & civili valida est, quando exercetur, transfert dominium, & jus in conscientia, quamvis ab extrinseco fiat illicita: sed datio, quæ fit impudicæ fæminæ, pro turpi actu, jure naturæ valida est; quia fit pro re, quæ potest pretio æstimari, nempe pro usu sui corporis, quem concedit, & pro delectatione carnali, quam exhibet: & etiam jure civili, quia non datur lex, quæ casset, ac irritet hujusmodi contractus, & translationes dominii; ergo &c. Maj. explicatur. Si quis pactum faciat cum cauponario in die jejunii Ecclesiastici, ut det sibi carnes ad comedendum mane, & vespere, & cauponarius det; contractus iste validus est, & homo ille tenetur ex justitia solvere pretium: & tamen pretium illud datur pro re, quæ ab extrinseco turpis fit, nempe, pro carnium comestione, quæ in die jejunii peccatum est.

VI. Confirmatur. Si fæmina consentiret cum viro in stuprum, seu turpem actum, eâ conditione, ut vir postea ducat eam in uxorem; poterit fæmina justissimè petere à viro, ut impleat promissionem: & dabitur ei in judicio actio contra illum, & compelletur, ut eam ducat in uxorem, vel saltem dotet; ergo etiam poterit justè petere, & retinere aliud pretium, si de eo convenerit.

VII. Adverto tamen: quòd si quis promittat impudicæ fæminæ aliquam quantitatem pretii, quam exhibere sit prodigalitas; non tenetur postea adim-

adimplere promissum, etsi juraverit. Quia juramentum promissorium de re illicitâ non est adimplendum; imò est peccatum, juramentum facere, & majus peccatum est, illud implere, ut docet S. August. *Serm.* modò 307. loquens de juramento Herodis: sed prodigalitas peccatum est, saltem veniale; imò aliquando, attentis circumstantiis personæ, evadere potest mortale; ergo &c. — Si tamen ipse vir prodigè dedit meretrici, quod promisit, factum tenet, & illa manet domina rei acceptæ; dummodo, qui dedit, non sit pupillus, vel alius potestatem non habens alienandi bona.

§. III.

Contraria Fundamenta.

VIII. ARgues primò. Nemo est dominus sui corporis, aut membrorum; ergo meretrix non potest illud vendere, & pro eo pretium recipere, ac retinere.

Si respondeas, quod licèt fæmina non sit domina sui corporis, quoad substantiam sumti, sicut neque est domina suæ vitæ: est tamen domina usus sui corporis. Sicut ergo potest quis locare operas sui corporis, vel vendere: ita fæmina potest locare, aut vendere usum corporis sui, & pro eo pretium accipere.

IX. Contra est. Si hoc verum esset, pari ratione sequeretur: tùm quòd vir posset exigere prætium à fæmina, eique usum sui corporis locare: quia sicut fæmina tradit usum sui corporis viro, & fit ei objectum delectationis; ita etiam ipse vir reddit fæminæ æquale: sed hoc non est in consuetudine; ergo &c. — Tùm etiam: nam pari ratione posset quis accipere pretium pro nefando usu corporis sui, quod est absurdissimum.

X. Respondeo ad primam instantiam, conc. sequelam. Imò æquiùs, ait Soto, posset vir exigere; quia plus præbet. Sicque Alexander Macedo jure naturæ potuit à Regina illâ Amazonum, quæ illum gratiâ recipiendæ prolis convenit; quod & prece, & pretio, ut fertur, impetravit: nam illi fæminarum generi mos erat, pretio accersere viros, qui ad illas ingrederentur. At quia communiter fæminis major inest pudor, nec plerumque rogant, sed rogantur; ob idque rariores sunt, quæ illi turpitudini vacent, quàm viri: ideo justiùs ipsæ pretium exigunt. Multò autem justiùs pretium possunt exigere fæminæ, sive viduæ, sive etiam virgines, quæ prostitutæ non sunt; quia propter majorem honestatem pluris sunt æstimandæ: ideoque qui cum istis congresus fuerit, majus pretium solvere tenetur. Dispares tamen in judicio exteriori sunt. Nam ubi prostitutis conceditur actio in judicio petendi pretium; non prostitutis, non solùm denegatur actio petendi, sed in pœnam sui criminis accepto pretio privantur: sed tamen ante condemnationem jure naturæ illis debetur.

Ad secundam instantiam conceditur sequela. Tota enim absurditas, quæ est in illo nefario actu, non est contra justitiam, sed contra castitatem solam; adeo, ut sit non solùm contra naturam rationalem, sed etiam contra naturam animalem.

XI. Argues secundò. Saltem fæmina conjugata non poterit recipere pretium pro adulterio; quia illa non est domina sui corporis, neque usus illius, sed vir ejus, secundùm Apostolum, 1. *Cor.* 7. *v.* 4. ergo non potest absque injustitia recipere pretium, cùm vendat alienum.

XII. Circa hoc duæ opiniones sunt. Prima asserit, uxoratam teneri pretium adulterii restituere marito, illudque reponere in communi mariti ærario: quod etiam dicunt de filia respectu patris, & ancillâ respectu domini. — Alia vero sustinet, posse uxoratam sibi retinere pretium, aut rem donatam sibi, ob adulterium. Tùm quia: sicut alia, quæ propriis mani-

nibus uxor acquirit, potest clam in proprios usus convertere, inscio marito (& idem de filia respectu patris, & ancillâ respecta domini) ita poterit etiam retinere sibi donata ex adulterio. Tùm quia; maritus in rebus inhonestis suæ conjugis, utpote sibi odiosis, & molestis, non censetur habere animum jus acquirendi. Tùm etiam maximè: quia donata uxori à consanguineis, vel amicis constante matrimonio, non communicantur inter conjuges; quia præsumuntur donari ex voluntate, ut mulier ea sibi retineat, sicut de donatis filiofamilias: sed adulter manifestè intendit, ut quod donat adulteræ, ea sibi retineat; ergo &c. Juxta ergo hanc opinionem,

XIII. Ad argumentum respondeo, maritum non habere in corpus uxoris dominium despoticum, idest, ad omnes usus, quos voluerit, sicut habet in equos, & animalia sibi propria; sed solùm ad usum conjugalem. Idem die de patre respectu filiæ, & domino respectu ancillæ; qui non habent dominium in corpus earum, quoad actus hujusmodi; & sic non sequitur, lucrum per talem usum acquisitum, computandum esse inter bona eorum.

Neque dicas. Quidquid Monachus acquirit etiam turpiter, Monasterio acquirit; ergo quidquid uxorata acquirit, marito acquirit — Nam Religiosus incapax est sibi quomodolibet bona acquirendi. At non sic uxor: quæ sicut potest sibi acquirere ea, quæ gratiosè ei donantur: ita & eâ, quæ sibi donantur, ob adulterium.

XIV. Ex predictis colliges: fæminam posse quidem recipere, & sibi retinere pretium turpitudinis suæ, quibusdam tamen accedentibus conditionibus. Prima est. Quòd illud accipiat à potente dare: si enim à non potente dare recipiat, illicitè recipit; &, ut sentit opinio probabilior, restituere tenetur. Unde si pretium suæ turpitudinis accepperit à Religioso, tenebitur illud restituere Monasterio. Neque valeret, quod Religiosus ille haberet licentiam à suo Prælato expendendi. Quia quamcumque licentiam habeat, eam tamen habere non potest, nec illi potest à superiore concedi; ut expendat in turpes usus, sed solum in licitos, & honestos.

XV. Secunda est. Quòd superfluè, aut per dolum non receperit. Ita S. Thom. hâc *q. 62. a. 5. ad 2.* dicens de fæmina impudicâ: *Sed si superfluè aliquid per fraudem, vel dolum extorsisset, teneretur eidem restituere.* Notandum tamen est circa ly *Superfluè*: quòd si mulier aliquid supra pretium gratiosè acceperit ab amasio potente dare, potest ipsum retinere. — Circa verò ly *Per fraudem, aut dolum*, observo: dupliciter posse concipi, fæminam impudicam posse fraude, aut dolo aliquid, ultra pretium, ab amasio extorquere. Uno modo, solum blanditiis, & amatoriis verbis simulatis, & fictis: & in hoc casu non censetur obligata ad restitutionem. Quia cùm omes probè norint, has esse frequentes meretricum thecnas; sibi imputare debet, qui dat, & voluntariè præsumitur ei dare. Si tamen aliquid pretiosum peteret fæmina ab amasio suo, coram aliis personis, coram quibus cogeretur concedere, aliàs amitteret honorem suum; vel si per metum ipsum adigeret: non posset illud recipere, aut receptum detinere, quoniam involuntariè aliquomodo dari censeretur. Ita Mag Banez — Alio modo potest concipi, fæminam extorquere per fraudem ab amatore suo aliquid, ultra pretium, in ea circumstantia, in qua si amasius detegeret fraudem, non esset daturus: & tunc cum fraus, & dolus causent involuntarium, non posset fæmina datum retinere: puta, si fingat se esse virginem, non prostitutam, & ob hoc exigat pretium notabile: si mentiatur dicens, se nullum amatorem admissuram, & ob id multa munera recipiat.

DUBIUM II.

De Datione, & Acceptione Illicitâ ratione Materiæ, qualis est Simoniaca.

§. I.

Quid, Quotuplex, & an Illicita sit Simonia.

I. PRo adæquata notitia omnium casuum in materia restitutionis occurrentium, inserere hîc placuit præsentem quæstionem: an scilicet, qui dat, aut recipit aliquid temporale pro re, quæ non est pretio æstimabilis, quia supra omne pretium est, quales sunt res spirituales; teneatur restituere, tùm pretium acceptum, tùm rem spiritualem pretio comparatam; & quo jure, ac cui facienda sit restitutio. Quod idem est ac quærere: an quidquid per simoniam datur, aut recipitur, sit restitutioni obnoxium.

II. Simonia ergo (sic dicta à Mago Simone, qui pecuniâ ab Apostolis Spiritum Sanctum emere tentavit, *Act. 8. v. 18*) pro nunc definitur à S. Thoma hîc 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. quòd sit: *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum*. Dicitur *Studiosa* (inquit S. Antoninus) idest, deliberata: nam solâ deliberatione rationis potest committi hoc peccatum; sed non punitur in judicio Ecclesiæ, nisi procedat ad extra. Dicitur *Emendi, vel vendendi*: quia nomine emtionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Dicitur denique *Aliquid spirituale, vel spirituali annexum*: quia materia simoniæ est non solùm res spiritualis, dum venditur; puta, dona gratuita Spiritus Sancti, Sacramenta, functiones spirituales: sed etiam id, quod est rei spirituali annexum.

Pro quo adverto cum S. Tho. citatâ q. 100. a. 4. *Quòd aliquid potest esse annexum spiritualibus dupliciter. Uno modo, sicut ex spiritualibus dependens: sicut habere Beneficia dicitur spiritualibus annexum; quia non competit, nisi habenti officium Clericale. Unde hujusmodi nullo modo possunt esse sinè spiritualibus. Et propter hoc ea nullo modo vendere licet: quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici. — Quædam autem sunt annexa spiritualibus, inquantùm ad spiritualia ordinantur: sicut jus patronatus, quod ordinatur ad præsentandos Clericos ad Ecclesiastica Beneficia, & vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum usum. Unde hujusmodi non præsupponunt spiritualia; sed magis ea ordine temporis præcedunt: & ideo aliquo modo vendi possunt, non autem inquantùm sunt spiritualibus annexa.*

III. Simonia alia est contraria juri naturali, & divino; alia solùm juri Ecclesiastico. Prima, quæ est prohibita, quia mala, committitur, quando res temporalis datur pro re ex natura suâ spirituali; vel pro re spirituali annexâ, ut explicatum est. Secunda verò committitur, quando, licèt non detur res temporalis pro spirituali, aliquid tamen simile committitur; & ideo est solùm mala, quia prohibita. Hujus generis simonia est permutatio Beneficiorum absque auctoritate Superioris. Tunc enim licèt non detur temporale pro spirituali, sed spirituale pro spirituali: quod licèt non sit in se malum, quia tamen privata illa permutatio videtur fieri ratione, & intuitu illius commodi temporalis, quod est beneficio annexum; & intervenit ibi quædam species contractus, & pactionis, similis emptioni, & venditioni: idcirco jure Ecclesia, ad omnem suspicionem tollendam, vetuit, ne absque auctoritate Superioris hoc fiat. *Cap. Quæsitum*. Et *Cap. Cùm olim. De Rer. permutat.* Simonia quoque jure Ecclesiastico vetita est, quando Beneficiorum præsentationes, collationes, institutiones, fiunt

fiunt cum pacto, conditione (quamvis fortè licitâ) contra prohibitionem Ecclesiæ, quæ omnia ista prohibet, velut simoniam redolentia, *Cap Accepimus. Cap. Pactiones. Tit. de Pactis. Cap. Quæsitum. De Rer. permut.* Et *Cap. Quam pio.* 1. *q.* 2. Ubi Pontifices omnem conventionem, omnemque pactionem cessare volunt in spiritualibus acquirendis. Item simonia juri Ecclesiastico contraria est, quando aliqua venduntur, quæ, etsi nihil spirituale continent, nec propriè ad spirituale ordinantur; sunt tamen officia ad temporalem Ecclesiæ administrationem instituta: ut Æconomatus, Vicedominatus, Sacristæ, Advocati, Judicis &c. Horum enim venditio velut simoniaca prohibetur, *Cap. Salvator.* 1. *q.* 3. ex Concil. Chalcedonensi. Ad hanc pertinere volunt multi peccatum, quod Examinatores ad Ecclesias Parochiales deputati committunt; si occasione examinis ante, vel post aliquid accipiant, & similiter illi, qui dant. Et hoc ex Tridentino, *Sess.* 24. *Cap.* 18. & alia, quæ omitto.

IV. Non latet, aliquos esse, qui divisionem allatam non approbant; existimantes, nullam esse simoniam, quæ jure tantùm humano prohibeatur — Verùm discordia videtur esse de nomine. Nec enim dicimus, quòd aliqua sit simonia verè, & propriè talis, seu cui vera ratio simoniæ directè conveniat; & tamen solo jure humano prohibeatur: sed dicimus, esse aliquod vitium habens umbram, & imperfectam similitudinem simoniæ; quod, ac si esset simonia, à jure humano interdicitur. Et hoc prudenti consilio: ne scilicet homines ejusmodi frequentando, ad veram simoniam jure naturali, & divino vetitam, paulatim assuescerent.

V. Simonia insuper, alia est realis, alia mentalis. Realis, quæ scilicet est completa, est illa, quâ expressè, vel tacitè pactum est de temporali pro spirituali: & hujusmodi pactum est ex utraque parte executioni mandatum, saltem quantùm ad aliqua eorum, quæ erant promissa. Ut enim sit realis, non est necesse, quòd totum temporale promissum sit solutum, vel omnia spiritualia, quæ promissa erant, sint tradita; sed satis est quòd utrimque aliquid sit traditum.

Mentalis verò simonia est, quæ solo animi consensu perficitur, absque ulla conventione expressâ, vel tacitâ. Et hæc est duplex. Alia purè mentalis: & est merum, & internum desiderium aliquid temporale dandi, vel accipiendi pro re spirituali; nihil tamen datur, vel accipitur, quia non est, qui velit vendere, aut emere. Alia non merè mentalis: quâ scilicet, estò nullum intercesserit pactum, aliquem tamen sortitur effectum ejus prava voluntas. Ut si Petrus habens jus nominandi ad Beneficium, nominet de facto eum, à quo sperabat aliquod temporale se consecuturum; quem non nominaret, nisi talis lucri spes accederet.

VI. Alia simoniæ species assignatur, quam vocant conventionalem. Et est, quando mentali simoniæ additur pactum, sive expressum, sive tacitum de re spirituali, sive emendâ, sive vendendâ; sed ille contractus non est executioni mandatus ab utraque parte. Et est duplex. Alia purè conventionalis; estque, quando factâ conventione, nihil reverâ datur, aut accipitur, puta, quia pactum mutuò retractatur. Alia non purè conventionalis: & est, cùm ex una tantùm parte perficitur pactum; quia nimirum datur spirituale, sed non datur temporale promissum; vel datur temporale, sed non datur spirituale: & hæc appellari potest simonia *Semi realis*, seu realis *incompleta*. His pro aliquali notitiâ degustatis,

VII. Simoniam esse illicitam probat S. Tho. 2. 2. *q.* 100. relatâ *a.* 1. *in Corp.* sub hac formâ. Actus qui cadit supra materiam indebitam ex genere suo, malus est, & illicitus: sed simonia ex genere suo cadit sub ma-

materiam indebitam, nempe, supra res spirituales, quæ sunt materia indebita emtionis, & venditionis; ergo est mala, & illicita. Min. probat. S. Doct. triplici ratione. Prima: *Quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari; sicut de sapientia dicitur, Proverb. 3. v. 15.* Pretiosior est cunctis opibus; & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. *Ideo etiam Petrus in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans, dixit, Act. 8. v. 20.* Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri. Secunda: *Quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus ... Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum; sed dispensator, secundùm illud, 1. ad Cor. 4.* Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Tertia: *Quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt. Unde & Dominus dicit, Matth. 10.* Gratis accepistis, gratis date.

Ex quibus patet, simoniam esse illicitam: tùm jure naturæ, quæ vetat vendi, quæ sunt invendibilia; & quorum venditor non est dominus, neque à domino accipit potestatem vendendi. Tùm jure divino; quia, ut vidimus, est à Deo prohibita: & propter hoc simoniæ vitium in Balaam, qui non erat de populo Israelitico, reprehenditur, 2. *Petri* 2. *v.* 15. Et *in Epist. Judæ, v.* 11. Giezi quoque, 4. *Reg. c.* 5. de simoniæ vitio reprehensus, ac punitus fuit. Unde S. Thomas citatus concludit: *Et ideo aliquis emendo, vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo, & rebus divinis: propter quod peccat peccato irreligiositatis.*

VIII. Nota tamen: S. Thomam, dum dicit, res spirituales vendi, & emi non posse, quia ex gratuita Dei voluntate descendunt, non loqui generaliter; sed de iis solùm, quæ gratiosè supra naturam nobis donantur, nec in commutationem rerum vitæ humanæ necessariam veniunt; & in eis peculiariter relucet Dei liberalitas, qui donat etiam ea, quæ natura non postulat, & quæ omnino supra naturam sunt, ideoque supra omne temporale pretium. Quapropter qui vellet ista emere, vel vendere, donum contemneret, & injuriam faceret donatori.

Neque est simile de equo mihi donato, quem tamen possum vendere. Nam equus in primis est res temporali pretio vendibilis; res autem spirituales sunt supra omne pretium. Deinde: vi donationis equi, evado dominus equi; ideoque de illo possum disponere: donorum autem supernaturalium nemo est dominus, nisi solus Deus. Imò talia sunt, ut nulla humanâ industriâ acquiri, nec haberi possint; nisi ex gratuita Dei auctoris gratiæ munificentiâ: ideoque omnino gratis accepta, omnino gratis sunt danda. Et qui oppositum sentiret, hæreticus simonianus esset. Unde Gregorius VII. C. *Presbyter.* 1. q. 1. &. C. *Altare* 1. *q.* 3. *Altare* (inquit) *vel decimas, vel Spiritum Sanctum emere, vel vendere, simoniacam hæresim esse nullus Fidelium ignorat.*

§. II.

An Simoniacus teneatur Restitutioni

IX. Dico. Quidquid per simoniam acquisitum est, sive pecuniario pretio, sive munere æquivalenti, restitutioni obnoxium est: ut nec qui spirituale emit, retinere illud possit; neque pretium, ille, qui vendidit. Ita S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. cujus ratio est. *Nullus potest licitè retinere id, quod contra voluntatem domini acquisivit: puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini sui; ille, qui acciperet, licitè retinere non posset: Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores, & mini-*

ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundùm illud, Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. *Et ideo qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non potest.*

X. Ex quo colligitur: omne Beneficium simoniacè acceptum semper esse dimittendum. Quod repetit ibi *ad 3.* sequentibus verbis: *Hoc, quòd aliquis privetur eo, quod accepit, non solùm est pœna peccati; sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ: puta, cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest.* Sed qui simoniacè recipit Beneficium, illud accipit, & emit ab eo, qui illud vendere non potest, ut ex S. Thom. ostensum est; ergo &c. Qui proinde hæc valde notanda subjungit: *Et ideo si aliquis scienter, & propria sponte simoniacè accipiat Ordinem, vel Ecclesiasticum Beneficium; non solùm privatur eo, quod accepit, ut scilicet careat executione Ordinis, & Beneficium resignet cum fructibus inde perceptis: sed etiam ulteriùs punitur, quia notatur infamiâ. Et tenetur ad restituendos fructus, non solùm perceptos; sed etiam eos, qui percipi potuerant à possessore diligenti. Quod tamen intelligendum est de fructibus, qui supersunt, deductis expensis factis causâ fructuum, exceptis fructibus illis, qui aliàs expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ. Si verò eo nesciente, nec volente, per alios alicujus promotio simoniacè procuratur; caret quidem Ordinis executione, & tenetur resignare Beneficium, quod est consecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fructus consumtos, quia bonâ fide possedit: nisi fortè inimicus ejus fraudolenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expressè contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renuntiandum, nisi fortè postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum.* Hæc S. Thomas.

XI. Sed dices. Ordo simoniacè collatus tenet; ergo etiam Beneficium simoniacè acceptum.

Nego conf. Etsi enim in Ordinatione contingat committi simoniam; si tamen habeatur intentio ex parte Ordinantis faciendi, & ex parte Ordinati accipiendi id, quod tali ritu facit Ecclesia, & cætera ex institutione Christi perficiantur: validum est Sacramentum, & imprimitur character, & ideo Ordo tenet. Sed quia taliter Ordinatus quasi furtivè suscepit contra principalis Domini voluntatem, qui quidem Sacramento dedit efficaciam; si fiant ea, quæ ipse facienda instituit, sed vetuit sic conferri; ideo, nec Sacramenti gratiam recipit, nec Ordinis excutionem. *Et ideo est ipso jure suspensus; & quoad se, ut scilicet de executione sui Ordinis se non intromittat; & quoad alios, ut scilicet nullus ei communicet in Ordinis executione, sive sit peccatum ejus publicum, sive occultum.* Ita S. Thom. hoc *a. 6. ad 1.* At in collationibus Beneficiorum nihil est, quod faciat eas esse validas, si fiant simoniacè: cùm ibi nulla sit characteris impressio. sed sola rei spiritualis contra voluntatem domini emtio, & venditio.

XII. Si rursum dicas, collationem Beneficii simoniacam fieri quidem contra voluntatem domini: sed postquam est facta, non agi contra voluntatem domini, si retineatur, modò benè administretur.

Respondeo, neg. assumtum. Nam detentio rei, injustè acquisitæ, ejusdem rationis est cum injusta acceptione: & sicut peccat contra justitiam, qui rem alienam accipit, invito domino; ita etiam, qui sic acceptam detinet ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 62. *a.* 8. & *q.* 66. *a.* 3. *ad* 2. — Confirmo primò. Quod per contractum injustum acquiritur, ex natura rei obnoxium est restitutioni: sed quod acquiritur simoniacè, acquiritur per contractum injustum: quia venditur id, quod est invendibile, aut cujus venditor neque habet dominium, neque domini consensum; ergo sic acceptum debet derelinqui. — Confirmo Secundò.

Per

per contractum, qui reverâ est nullus, non transfertur proprietas: sed collatio Beneficii simoniaca est contractus nullus, cùm neque venditio subsistat, nec adsit donatio gratuita; ergo per eam non transfertur dominium; ergo oportet illud relinquere.

§. III.

Quo Jure Simoniacus Obligetur ad Restitutionem.

XIII. Jure Pontificio inesse obligationem ei, qui simoniacè accepit, vel contulit Beneficium, illud statim dimittendi, nullâ expectatâ Judicis sententiâ, certo certius est. Sacri enim Canones, & Pontificiæ Constitutiones, nedum Excommunicationem latæ sententiæ, suspensionem ab Ordinum executione, & Beneficiorum administratione decernunt in eos, qui Beneficium simoniacè adepti sunt, aut contulerunt; à qua absolutè nequeant absolvi nisi à Sede Apostolicâ, ut statuit Martinus V. Constit. quæ incipit: *Multa*, editâ in Concilio Constantiensi: Paulus II. Const. quæ incipit: *Cum detestabile*, inter Extravag. communes, tit de Simonia, quam Sixtus IV. Leo X. in Concil. Lateranensi V. & S. Pius V. Constit. quæ incipit: *Cùm primum*, confirmarunt. Quam Excommunicationem &c. incurrunt quicumque simoniam in ingressu Religionis commiserunt, tam dantes, quàm accipientes.secundùm Extravag. *Sanè.Tit. De simonia*, quæ est Urbani V. quin & ipsi sacrilegæ nundinationis in Sacris Ordinationibus, collatione Beneficiorum, & religiosæ professionis mediatores, ut ex Const. Pauli II. & Martini V.

Verùm etiam Beneficiorum, aut Pensionum collationem simoniacè factam prorsus invalidam esse decernunt: adeoque teneri, tàm qui Beneficium hac viâ contulit, quàm qui suscepit, sive etiam Pensionem, ille pretium acceptum restituere, iste verò Beneficium, aut Pensionem dimittere, omnesque fructus ab eo perceptos restituere. De eo enim qui Beneficium simoniacè accepit, habetur in Extravag. Pauli II. *Cum detestabile*, à S. Pio V. confirmatâ, Constit. quæ incipit: *Ut Simoniaca*: & in Concilio Rothomagensi, anno 1581. *Tit. De Episcoporum Officiis*. §. 13. Quæ ante docuerat S. Tho. supra laudatus. — De eo autem, qui pro Beneficio conferendo pretium accepit, teneri pretium illud restituere; colligitur ex Alexandro III. C. *De hoe*. Qui scribens Toletano Archiepiscopo, ait: *Regem autem, & Principes ejus debes inducere, ut si qua receperint à Præfato Episcopo* (Oxomensi) *ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ Oxomensi sinè diminutione restituant: cum ea sinè gravi salutis suæ periculo retinere non possint*. Idem statuit Innocentius III. C. *Audivimus*. *Tit. De Simonia*. Quam restitutionem faciendam esse etiam ante Judicis sententiam, probabilius est.

XIV. Difficultas est non modica: an etiam de jure naturali, & divino restitutio facienda sit, tùm à simoniaco venditore, tùm à simoniaco emptore. Quâ in re non una est Doctorum sententia. Quidam enim sentiunt, nec simoniacum collatorem, nec receptorem teneri jure naturali, & divino; sed tantùm jure Ecclesiastico. Quidam de simoniaco collatore concedunt, teneri jure naturali, & divino; de simoniaco verò acceptore id negant. Quidam verò censent, jure naturali, & divino ad restitutionem obligari utramque, tàm simoniacum collatorem, quàm receptorem.

XV. Dico. Probabilius & fortè verius censeo, jure naturali, & divino ad restitutionem teneri, tàm simoniacum collatorem, quàm simoniacum acceptorem. Ita colligo ex S. Tho. 2. 2. tùm *q.* 32. *a.* 7. ubi loquens de illicitè acquisitis: *Quia scilicet alter contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit*; subdit: *Sicut contingit in simonia, in qua dans, & accipiens*

cipiens, contra justitiam divinæ legis agit. Tùm *q. 62. a. 5. ad 2.* ubi docet, quòd uno modo aliquis dat illicitè: *Quia ipsa datio est illicita, & contra legem, sicut patet in eo, qui simoniacè aliquid dedit: unde non debet ei restitutio fieri de his. Et quia etiam ille, qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere, sed in pios usus convertere*. Tùm *q. 100. a. 6. ad 1.* de simoniaco emtore dicit, quòd *Nec potest repetere pecuniam, quam turpiter dedit, licèt alius injustè detineat*. Si ergo datio, & acceptio simoniaca est contra justitiam, est contra legem, ex rei natura obligat ad restitutionem.

XVI. Ratio etiam id suadet. Nam vendens, & emens rem, quæ ex natura suâ, & etiam ex voluntate domini non potest vendi, nec emi, faciunt contractum jure naturæ, nullum; & vendens eodem jure tenetur restituere prætium rei, emens autem tenetur rem emtam dimittere: sed simoniacus collator vendit rem, quæ ex natura suâ, & voluntate Dei non potest vendi: & qui eam emit, rem emit, quæ ex natura suâ, & voluntate Dei non potest emi; ergo ipso jure facit uterque contractum nullum.

Confirmatur. Contractus, qui cadit supra materiam essentialiter incapacem pretii, est ex sua natura nullus: quia enim contractus usurarius cadit supra materiam essentialiter incapacem lucri, est jure naturæ nullus: & quia contractus Religiosi professi cadit supra personam essentialiter incapacem talis contractus, est ipso jure naturaliter nullus: sed contractus emtionis, & venditionis simoniacus cadit supra materiam essentialiter incapacem pretii corporalis; cum cadat supra rem spiritualem, quæ in humanum commercium venire non potest; ergo &c.

XVII. Probatur autem specialiter, etiam simoniacè recipientem, jure naturali, & divino teneri dimittere, quod simoniacè accepit (hoc enim multi negant) tùm ex D. Tho. 2. 2. *q. 100. a. 6. ad 3.* ubi ait: *Hoc, quòd aliquis privetur eo, quod accepit, non solùm est pœna peccati; sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ: puta, cum aliquis rem aliquam emit ab eo, qui vendere non potest*. Si ergo privatio Beneficii simoniacè accepti non solùm est pœna peccati, sed est effectus acquisitionis injustæ, quia rem emit ab eo, qui vendere non potest: sequitur, quòd non jure tantùm Ecclesiastico, sed & naturali simoniacus emtor debeat Beneficio privari. Addit insuper ibi S. Doctor, beneficium acquisitum per simoniam, inscio eo, cui collatum est; cum, qui illud obtinuit, vitium simoniæ cognovit, in foro conscientiæ dimittendum esse. Signum ergo est, quòd acquisitio simoniaca peccat, ipsâ naturâ rei; quia res spiritualis pretio emi non potest, nec solùm vendi. Spirituale enim, & gratiosum non solùm definit esse gratiosum, quia non gratis datur; sed quia non gratis recipitur. Unde Leo Papa: *Gratia* (inquit) *si non gratis datur, vel recipitur, gratia non est*.

XVIII. Sequitur etiam, juri divino repugnare, qui simoniacè accipit. Nam Christus dicens, *Matt. 10. v. 8. Gratis accepistis, gratis date*, utrumque vetuit, & non gratis dare, sed pretio, & non gratis accipere. Non enim minorem injuriam infert gratiæ, & Deo, qui rem spiritualem, & gratiosam emit, quàm qui eam vendit. Gratiæ quidem: quia putat, esse pretio æstimabile, quod supra omne pretium est. Deo etiam: quia Deus vult, gratiam suam sibi soli deberi, qui solus est Dominus: qui autem emit, profitetur, se non à Deo, sed ab ipso venditore recipere. Quare S. Petrus objurgans Simonem, qui peccuniam obtulit, ut acciperet Spiritum Sanctum, ait Act. 8. v. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri*.

XIX. Dices tamen primò. Simoniacus, ut docet S. Thom. 2. 2. *q. 100. a. 1.* peccat peccato irreligiositatis

gratis, ob irreverentiam Deo, & rebus divinis, non contra justitiam; ergo ex natura rei non tenetur ad restitutionem. Et de facto Helisæus, 4. *Reg.* 5. Giezi, qui munera simoniacè acceperat, nihil dicit de restitutione.

Respondeo, neg. ant. pro secunda parte. Peccatum enim simoniæ non solùm est contra Religionem, quia vilipendere videtur donum Dei; sed etiam est contra justitiam, quia vendit rem non suam, contra voluntatem domini. Quòd ipse S. Thom. fatetur, 2. 2. *q.* 32. *a.* 7. dicens: quòd in simonia *Contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit.... in qua dans, & accipiens, contra justitiam legis divinæ agit; unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari*. Quare Alexander VII. damnavit propositionem, *num.* 22. quæ asserebat: *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis*.

Porrò, quòd Heliseus nihil dixerit Giezi de restitutione faciendâ, non arguit, eum non fuisse obnoxium restitutioni; tùm propter simoniam, tùm propter dolum, quo mentitus fuit Naaman. Nisi fortè dicatur, quòd Naaman liberaliter ea munera concesserit pro Hælisæo: qui ea nolens accipere donaverit Giezi, velut ei, ac liberis ejus necessaria; eo quòd tàm ipse, quàm posteri ejus futuri essent leprosi.

XX. Dices secundò. Qui dat simoniacè pretium, voluntariè dat, & verè transfert dominium rei, quam dat; ergo qui accipit, non tenetur jure naturæ restituere pretium, quod accepit, cùm verè dominus illius factus sit.

Respondeo primò, instando argumentum sic. Qui solvit usuras Usurario, voluntariè solvit: & tamen Usurarius non acquirit dominium, & jure naturæ tenetur restituere — Respondeo ergo secundò. Quòd sicut injustè agit, qui cum deberet dare pecuniam gratis, ex præcepto Christi, Lucæ 6. v. 35. *Mutuum date, nihil inde sperantes*; exigendo usuras, vendit rem, quæ nihil valet, quia nihil est: ita injustè agit, qui vendit rem, quæ omni pretio plus valet, & quàm ex præcepto Christi dare debet gratis, Matth. 10. v. 8. *Gratis accepistis, gratis date*. Ideoque qui dat, etsi voluntariè det, injustè dat; & injustè recipit, qui recipit, & uterque dimittere tenetur: qui accepit, pretium quod accepit; & qui pretium dedit, rem, quam pro pretio obtinuit, ut ex D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *a.* 7. observatum est.

XXI. Sed instabis. Està qui Beneficium simoniacè, & pro pretio dispensavit, jure naturali, & divino teneatur restituere pretium: non tamen eodem jure tenetur Beneficium dimittere, qui Beneficium pretio obtinuit; ergo &c. Ant. prob. exemplo injusti dispensatoris, cui cùm dominus præceperit, ut, puta, triticum suum dispenset pauperibus; ipse tamen pro illo tritico exigit pretium. Is enim estò teneatur ex natura rei, & præcepto domini pretium injustè exactum restituere: pauperes tamen, qui gratis fuerant accepturi, etsi pretium pro tritico rependerint, non tenentur triticum pretio acceptum dimittere. Idem dico de Usurario, qui licèt teneatur restituere usuras, quas ex mutuo recepit: qui tamen eas solvit, ad nihil tenetur, si aliâ viâ pecuniam habere non potuit; quia is solùm intendit suæ necessitati consulere; ergo licèt simoniacus collator, quia contra domini voluntatem rem gratis dispensandam, pretio vendit, peccet contra justitiam, & ideo pretium restituere teneatur jure naturali, & divino: non tamen eodem jure tenentur, qui gratis accepturi erant (si pretio illam emerint) rem pretio emtam dimittere, quàm aliter habere non potuerunt.

XXII. Propter hæc, & similia multi docent, eum qui Beneficium pretio, vel munere, ideoque simonia-

cè adepti sunt, quia cæteroquin idonei, aliter obtinere non potuerunt; non teneri jure naturali, ac divino illud dimittere, sed solùm jure Ecclesiastico cassante hujusmodi collationes. Attamen, stando in dictis,

XXIII. Respondeo, neg. ant. Ut enim ex D. Tho. observavimus in simoniaca actione tàm injustè agit, qui accipit, quàm qui dat; ex actione autem injustâ ex utraque parte, sequitur ex natura rei obligatio restituendi ex utraque parte. Nec contrarium evincunt exempla allata. Alioquin sequeretur, quòd sicut non peccant pauperes, dantes prætium iniquo dispensatori pro tritico, sibi ex voluntate domini gratis erogando; nec peccat, qui solvit usuras Usurario, dum aliâ viâ nequit habere pecuniam, ut suæ consulat egestati: ita nec peccaret, qui, aliâ viâ non posset obtinere Beneficium, vel rem spiritualem, si pro ea obtinendâ pecuniam daret. Cujus tamen oppositum sentit S. Tho. Nam 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. & alibi docet, licitè posse hominem ab Usurario parato, ut subveniat propriæ indigentiæ, accipere mutuum, solvendo usuras: ex alia verò parte eàdem 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. *ad* 1. asserit, quòd si quis nullâ aliâ viâ posset obtinere Baptismum, nisi pretium solvendo; etiamsi immineret ei mortis periculum, nullo modo deberet pretium pro Baptismo dare, sed potiùs absque Baptismo decedere.

Dico ergo, in exemplis allatis injustitiam committere solùm dispensatorem tritici, & Usurarium; non verò pauperes pretium dantes pro tritico: sicut nec qui non potens habere pecuniam, ut subveniat suæ indigentiæ, nisi ab Usurario, solvit usuras. Ideoque neque illi, neque iste, sicut non peccant, ita ad nihil tenentur. At in simoniaca collatione non solùm injustitiam committit qui dat, sed etiam qui recipit: cùm non minus injustum fit, rem suâ naturâ invendibilem pretio emere, quam vendere: & non minus contra voluntatem domini agat, qui pretio emit, quàm qui vendit rem, quam dominus voluit dari gratis: ideoque contractus ex utraque parte jure naturali, & divino est nullus. Quod ex eo etiam constat: quia ubi injustus dispensator, qui vendidit pretio triticum, quod debuerat gratis dare pauperibus, tenetur ipsis pauperibus pretium receptum restituere; & Usurarius restituere tenetur ei, qui usuras solvit: simoniacus dispensator debet pretium simoniæ restituere, non tamen ei, à quo accepit: is enim nec habet jus retinendi rem simoniacè habitam, nec exigendi pretium pro eo obtinendo datum, ut docet S. Tho. *q.* 100. sæpè citatâ, *a.* 1. *ad* 3. & hoc non solùm pœna peccati, sed *Etiam est effectus acquisitionis injustæ: puta, cum aliquis emit rem alienam ab eo, qui vendere non potest.*

XXIV. Dices tertiò. Si qui simoniacè accepit, teneretur jure divino, & naturali, quod accepit dimittere; Papa in contractu simoniaco dispensare non posset, faciendo, ut qui simoniacè Beneficium accepit, illud retineat: sed hoc est falsum, cùm S. Th. citatâ *q.* 100. *a.* 6. *ad* 7. doceat oppositum; ergo &c.

Respondeo, nego min. Non enim S. Thomas dicit, Papam posse dispensare, ut quis retineat Beneficium simoniacè acceptum; sed, secutâ renuntiatione Beneficii simoniacè accepti, posse de novo conferre illi illud Beneficium, quod simoniacè acceperat: dispensando nimirum super inhabilitate, quam contraxerat, ad illud, vel alia Beneficia obtinenda. *In eo* (inquit S. Thom.) *qui est beneficiatus simoniacè scienter, solus Papa potest...... dispensare: ita tamen, quòd prius abrenuntiet, quod simoniacè acquisivit, & tunc dispensationem consequatur.*

XXV. Dices quartò. Si qui simoniacè accepit, jure divino, & naturali teneretur restituere, quod accepit,

etiam

etiam simoniacus mentalis id teneretur facere : sed hoc negat S. Thom. hâc *q.* 100. *a.* 6. *ad* 6. dicens : *Quoad Deum sola voluntas facit simoniacum : sed quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur , ut simoniacus , ut abrenuntiare teneatur : sed debet de mala intentione pœnitere* ; ergo &c.

XXVI. Respondeo , neg. min. Cùm enim ex doctrina S. Thomæ allatâ contractus simoniacus sit jure naturæ invalidus ; qui simoniacè aliquid accepit , invalidè accepit , ideoque illud relinquere tenetur : sicut & Usurarius, etiamsi mentalis, retinere non potest id , quod per usuras acquisivit . Neque oppositum sentit D. Thomas . Solùm enim vult , quòd qui solâ voluntate commisit simoniam , aliquid accipiendo , non puniatur pœnâ Ecclesiasticâ ; ut ex vi præcepti Ecclesiastici teneatur renuntiare ea,quæ accepit . Cum hoc tamen benè consistit , quod aliunde renuntiare teneatur : quia licet Ecclesia , quæ interna non judicat , hoc non præcipiat ; jus tamen naturæ hoc ab eo postulat. Ac proinde talis renuntiatio non erit pœna Ecclesiastica , sed effectus injustæ acquisitionis , ut docet idem S. Thomas *ad* 3. Alioquin sequeretur , quòd in simonia mentali , nedum non teneretur dimittere ille , qui accepit , sed nec teneretur restituere ille , qui dedit : quod tamen ex Adversariis multi negant. — Dici etiam posset , S. Thomam loqui de eo , qui solam habuit voluntatem simoniacè acquirendi , nihil tamen de facto dedit : hic enim certè non debet renuntiare : *Sed debet de mala intentione pœnitere*.

§. IV.

Cui Simoniacus debeat Restituere.

XXVII. Dico primò . Beneficium simoniacè acceptum relinquendum est in manibus Collatoris, nempe Prælati , vel Ecclesiæ , ad quam spectat ; debet insuper omnes fructus inde perceptos eo modo , quo supra , §. 2. *n.* 10. ex D. Thom. 2. 2 *q.* 100. *a.* 6. *ad* 3. observavimus : & hoc non solùm est pœna , sed effectus acquisitionis injustæ . Videantur ibi dicta.

XXVIII. Dico secundò . Pretium simoniacè acceptum , quando , vel non sequitur collatio Beneficii , vel ante collationem pactum dissolvitur , restituendum est ei , qui dedit . Si verò & pretium sit acceptum , & Beneficium collatum ; pecunia restituenda est , non ei , qui dedit , sed Ecclesiæ , vel pauperibus : idque etiam ante Judicis sententiam . Prior pars communis est . Et colligitur ex *Cap. Dilectus.* 1. *Tit. de Simonia* . Ubi cum quidam Archidiaconus pollicitus se non molestaturum alium in suis Beneficiis , & accepisset pecuniam , neque tamen servaret promissum ; Cœlestinus III. jubet , eum restituere , quod accepit . Et hoc , ut ait Glossa ibi , maximè verum est , quando pecunia datur ad redimendam vexationem . In quo notanda est doctrina S. Thomæ sæpè laudata , *q.* 100. *a.* 2. *ad* 5. dicentis : *Quòd antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu , vel quacumque dignitate , vel Prabendâ , per electionem , vel provisionem , seu collationem ; simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere : sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam . Sed postquam jus alicui jam acquisitum est , licet per pecuniam injusta impedimenta removere .*

XXIX. Secunda verò pars probabilior videtur , & cohærens dictis superiùs . Quod enim restitutio facienda sit ante sententiam Judicis patet . Tùm quia : qui pecuniam sic accepit , eam accepit contra justitiam divinæ legis , sicut etiam qui eam dedit ; ergo ipso facto eam restituere tenetur . Tùm etiam: quia sic Ecclesia intelligit . Nam , *Cap. De hot . Tit. De Simonia* vult Reges , ac Principes induci , ut quæ acceperunt pro electione Episcopi, restituant Ecclesiæ , absque diminutione ; propterea quòd sinè gravi salu-

tis suæ periculo ea retinere non possunt. Et C. *Audivimus*, eodem tit. præcipit Episcopis, ut simoniacè exacta convertant in utilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium: non est autem verisimile, quòd hæc à talibus requirat solùm facienda post sententiam Judicis; cùm ordinariè non sit aliquis Judex, qui Reges, Principes, aut Episcopos de hujusmodi condemnet.

XXX. Quòd verò restitutio non sit facienda ei, qui dedit, sed Ecclesiæ, & pauperibus, traditur à D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. his verbis: *Alio verò modo est aliquid illicitè acquisitum, quia ille quidem, qui acquisivit retinere non potest, nec tamen debetur ei, à quo acquisivit; quia scilicet, contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit; sicut contingit in simonia, in qua dans, & accipiens contra justitiam divinæ leges agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari.* Idem docet, q. 62. a. 5. ad 2. & q. 100. a. 6. ad 4. *Pecunia* (inquit) *vel possessio, vel fructus simoniacè accepta debent restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam data fuerunt; non obstante, quòd Prælatus, vel aliquis de Collegio illius Ecclesiæ fuerit in culpa: quia eorum peccatum non debet aliis nocere: ita tamen quòd quantum fieri potest, ipsi, qui peccaverunt, inde commodum non consequantur. Si verò Prælatus, & totum Collegium sunt in culpa; tunc debet cum auctoritate Superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari.*

DUBIUM III.

De Datione Illicitâ in Seipsa ex Parte Dantis, & Recipientis.

§. I.

Expositio Dubii.

I. Quæsitum præsens est de datione illicitâ, tàm ex parte dantis, quam ex parte recipientis; quia est contra legem, & detrimentum infertur alteri, datur tamen pro actione aut re, quæ pretio æstimabilis est: an scilicet, debitum restitutionis pariat in recipiente: nam de restitutione damni illati alteri, nulla est controversia.

Casus iste multis modis contingere potest. Primò. Si detur pecunia Judici, ut ferat injustam sententiam; vel Advocato, ob injustam Clientis defensionem. Secundò. Si detur pecunia Sicario, ad occidendum hominem, vel cuilibet alii ad perpetrandum scelus; puta, alicui, ut furetur, vel aliud quidpiam faciat contra legem, vel omittat. Claritatis tamen gratiâ exemplum ponemus in Judice accipiente pecuniam, vel munera pro iniqua ferendâ sententiâ: an teneatur ad restitutionem.

II. Et quidem si jus naturæ consulatur, nulla apparet obligatio restituendi in Judice, qui pecuniam accepit, ut iniquam ferret sententiam; ac proinde dationem illam fuisse jure naturæ validam. Et ratio est. Quia actiones hujusmodi, etsi criminosæ, pretio tamen æstimabiles sunt; quia non sunt quid gratuitum, & spirituale, sed actiones liberę in utilitatem ejus, qui dat, & periculum ejus, qui accepit; ergo si exercentur ex pacto inito validæ sunt. — Secundò. Quia, attento jure naturæ, eadem ratio est de muliere accipiente pretium pro fornicatione, ac de Judice pro ferenda iniquâ sententiâ, & Sicario pro occi-

occidendo homine: sed mulier non tenetur jure naturæ restituere pretium acceptum pro fornicatione, ut vidimus, quia accepit pro re pretio æstimabili; ergo &c. — Quartò. Quia aliàs sequeretur, quòd qui pacto inito facit, vel acuit gladium pro eo, qui vult occidere hominem; teneretur restituere pretium pro suo labore: militem, qui in bello injusto recepit consueta stipendia; & vendentem venenum ei, quem scit malè eo usurum, teneri pretium, etsi justum, restituere: quod nemo dixit. Quæstio ergo est: an saltem sic accipiens teneatur restituere jure positivo.

§. II.

Resolutio.

III. Dico. Licèt Probabilis sit sententia negans, Judicem adhuc jure positivo teneri restituere pecuniam acceptam, ob injustam sententiam; & idem dic de aliis casibus: tamen probabilior videtur sententia affirmans teneri. Ita cum S. Raymundo, in Summ. *l. 2. tit. 5. de Raptoribus*, §. 36. cujus sunt sequentia. *Quid si Judex accepit pecuniam, ut ferret sententiam? Distingue: aut accepit, pecuniam, ut judicaret iniquè, aut, ut judicaret benè, aut simpliciter, ut judicaret. In primo casu .... tenetur, ut supra dictum est in illo, qui dolo malo: sed pecuniam malè acceptam ..... tenetur indistinctè restituere, non ei, qui dedit, cùm turpiter dederit; sed ei in cujus injuriam recepit. 1. q. 1. Can. Jubemus.* Idem habetur. *L. Juris Gentium. ff. De Pactis. L. Si Plagii. ff. De Verb. obligat. L. Generaliter*, & sequentibus, eodem titulo. Ubi tales obligationes irritantur, & dicuntur, nullam inducere obligationem implendi promissum: cùmque non nitantur falsæ præsumtioni delicti, obligabunt in conscientia. Et non solùm jura, sed D. Augustinus, Ep. 54. (modò 153.) ad Macedonium, relatâ *Cap. Non sanè. 14. q. 5.* ait: *Cùm autem judicia, & testimonia, quæ nec justa, & vera vendenda sunt, iniqua, & falsa venduntur; multò sceleratius utique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam, quamvis à volentibus datur.* Ubi Augustinus dicit, sceleratiùs pecuniam accipi pro sententia injustâ, quàm si pro defendendâ causâ injustâ pecuniam acciperet: cùm ergo in hoc casu omnes eum obligent ad restitutionem, fit inde, ut multò magis obligetur in hoc casu. Quæ prosequitur Augustinus clariùs: *Verumtamen si justitia sinceriùs consulatur, injustiùs dicitur advocato: redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, Judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti &c.*

IV. Cui verò facienda sit restitutio, dicit S. Thom. 2. 2. *q. 62. a. 5. ad 2.* non esse faciendam ei, qui dedit, sed in pios usus eroganda; quod repetit in 4. *dist. 15. q. 2. a. 4. quæst. 2.* Ubi docet, quòd acquisitum actione illicitâ, & contra legem prohibentem lucrum, *Impossibile est, quòd justè detineatur. Ex hoc enim ipso efficitur aliquis injusti tituli, & malæ fidei possessor, quod contra legem aliquid habet.*

Quare si Judex pecuniam, quàm, pro iniqua sententia accepit, restitueret ei, qui dedit, illicitè ageret. Tùm quia: ille voluntariè eam à se abjecit. Tùm quia: illicitè dando, meruit suo jure spoliari. Restituenda est ergo, vel ei, qui per talem injustam dationem, & acceptionem injuriam passus est, ut ait S. Raymundus supra citatus; vel in pios usus eroganda.

V. Quòd si quæras: An qui illicitè, & propter actum lege prohibitum, dare promisit; puta, Judici, ut iniquam ferret sententiam; vel Sicario, ut hominem occideret: teneatur secuto effectu dare, quod promisit?

Certum est, quòd ante crimen potest quis resilire, & recedere à promissione iniquâ: & ita qui promisit pecuniam, ut aliquod crimen commit-

12-

tatur, potest sine dubio huic iniquę conventioni renuntiare: sicut & ille, qui spopondit, se crimen perpetraturum, ut pecuniam reciperet: quia nemo teneri potest ad committendum crimen, vel cooperandum crimini. Dubium est: an qui promisit, teneatur, securo effectu, & crimine perpetrato, dare, quod promisit.

VI. Quæsitum visus est decidisse Gregorius IX. C. *Pactiones*. *Tit. De Pactis*. His verbis: *Pactiones facta à vobis...... nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de aliis est dicendum, quæ observata vergunt in animæ detrimentum. Nam etiam juxta legitimas Sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis, de jure, vel de facto nullam obligationem induxit*. Si autem, crimine perpetrato, esset obligatio solvendi pretium promissum; talia pacta, quorum observatio vergit in detrimentum animæ, & sunt de re turpi, non essent nullius momenti, ut ait Gregorius. Favet etiam Regula 58. Juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Et Regula 64. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*. Consentit quoque Jus Civile, Leg. Generaliter. ff. De Verb. obligat. *Generaliter novimus, turpes obligationes nullius esse momenti*. Leg. *Pacta, quæ*. Cod. de Pactis. *Pacta, quæ contra leges, Constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est*. Leg *Ex eo instrumento*. Cod. De Inutilibus stipulationibus. *Omnia, quæ contra bonos mores, vel in pactum, vel in stipulationem deducuntur, nullius momenti sint*. Leg. *Si Flagitii*. ff. de Verb. obligat. *Si flagitii faciendi, vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet*. Et alibi. Quare in jure non datur actio repetendi ea, quæ ob injustam actionem promissa sunt.

DUBIUM IV.

De Datione Licitâ ex Parte Dantis, Illicitâ verò ex Parte Recipientis.

§. I.

Varia Supponuntur.

I. Quæsitum hoc aliis terminis proponitur. An scilicet, recipiens aliquid pro actu bono, quem debebat facere, vel pro desistendo à malo, quod debebat omittere; teneatur restituere, quod accepit. Puta: an Judex accipiens pecuniam, ut justam det sententiam, vel ne det injustam; aut Sicarius, ne occidat hominem, vel quicumque alius, ne committat flagitium: an teneantur restituere, quod acceperunt.

II. Suppono in hac gravissimâ quæstione, ut certum, quocumque jure vetitam esse Judici, & cuicumque justitiæ ministro, quorumcumque munerum, etiam sponte oblatorum, receptionem, ante sententiæ prolationem. Jure enim divino vetatur, Deuteron. 16. v. 19. *Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum*. Ecclesiastici, 20. v. 31. *Xenia, & dona excæcant oculos Judicum*. Quare, 1. Reg. 12. v. 3. Samuel: *Loquimini* (inquit) *de me coram Domino...... si de manu cujusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituamque vobis*. Et Isaiæ 1. v. 23. *Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos*.

Jure etiam positivo humano prohibetur. Tùm Judicibus secularibus, *Leg. Plebiscito*. *ff. De Officio Præsidis*. *L. Solet*. *ff. De Officio Proconsulis*. *Auth. Novo Jure*. *Cod. De pœna Judicis*, & alibi. Tùm Ecclesiasticis, C. *Cum ab om-*

omni. De Vita, & honesta Clericor. C. Statum. De Rescriptis, in 6.

Juræ etiam naturæ. Quia moraliter impossibile est, ut Judex, qui pendente lite accepit ab uno ex litigantibus munera; postea in processu causæ, & prolatione sententiæ valde non procedat in favorem illius, & præjudicium alterius.

III. Adverto tamen primò: Nos hìc non agere de illis donis, quæ à partibus gratiosè offeruntur; sed de illis, quæ exiguntur, & recipiuntur in pretium pro eo, quod facere tenetur: nimirum, quæ accipiuntur à Judice, ut justam sententiam proferat, vel ne proferat injustam: à teste, ne falsum dicat testimonium, vel, ut verum dicat. Tunc autem munus, ac donum censetur dari in pretium; quando ab ipso ministro explicitè, vel implicitè petitur in processu causæ. Explicitè quidem, si hoc in pactum deducat, vel dicat, se non facturum, nisi hoc, vel illud recipiat. Implicitè autem, quando protrahit litem, vel retardat negotium, vel tot vexationes, & molestias parti faciat; ut hæc ad redimendam hanc vexationem, eligat munera conferre: sinè quibus, heu quàm tepidi, & pigri procedunt ministri hâc miserâ tempestate!

IV. Adverto secundo: Nos hìc agere de illis ministris, qui tenentur munus suum exercere; quia vel à Republica, vel à Principe, habent jam stipendium justum assignatum: non verò de iis, qui tenentur quidem ex justitia exercere munus suum, sed dato tamen pretio. Hinc Notarius tenetur ex justitia reddere scripturam, sed dato tamen sibi justo stipendio: miles tenetur præliari, sed dato stipendio: *Quis enim militat suis stipendiis unquam?* (ait Paulus 1. *Cor.* 9. *v.* 7.) unde deducit, etiam ministros sacros justè ab iis, quibus ministrant, alimenta recipere. Hi enim cum justè recipiant, ad ullam restitutionem procul dubio non tenentur.

V. Similiter nos hìc non loquemur, quando minister, etsi stipendiatus, constaret tamen apud prudentes, pretium lege taxatum, justum non esse: & licèt ab initio fuerit justum, hisce tamen temporibus, quibus omnia pretio creverunt, non judicaretur sufficiens. Quia tunc poterit plus, intra terminos tamen justi pretii, recipere, maximè ubi jam invaluit consuetudo. Loquimur ergo de recipiente pretium, ultra justum stipendium, secundùm prudentum æstimationem. Nec loquimur, quando ob extraordinarium laborem, quem adhibere non tenetur minister, vel ob exquisitam diligentiam aliquid recipit: quia tunc aliquid pro sua industriâ, & labore pretio æstimabili, & ad quem non tenetur, recipere potest. Sed loquimur de eo, qui aliquid recipit in pretium, modo explicato, pro eo, ad quod tenebatur, & pro quo sufficiens habet à Principe stipendium: & quia potest aliquis teneri ad aliquid faciendum, non solùm ex justitia, sed etiam ex caritate, vel aliis virtutibus; ideo de hoc etiam resolvemus.

§. II.

De Recipiente pro Eo, ad Quod Tenetur ex Justitia.

VI. Dico. Quicumque aliquid accipit, ut faciat vel omittat id, quod ex justitia facere, vel omittere ex justitia tenetur; obligatus est restituere pretium inde receptum. Probatur communi ratione. Quia qui dat in hoc casu, non transfert dominium rei datæ, cum det involuntariè, seu solùm det, ut redimat iniquam sui vexationem: quod est dare involuntariè mixtè, & sufficit, ut alter, qui injuriam facit, & accipit, non acquirat dominium.

Confirmatur. Usurarius certissimè tenetur restituere usuras; ergo multò magis qui accipit pretium in casu nostro. Cons. prob. Usurarius tenetur ad restitutionem, quia etsi ex justi-

justitia commutativâ non tenebatur dare mutuum; tenebatur tamen ex justitia commutativâ nihil recipere ratione mutui: sed in casu nostro ille, qui accipit pretium, tenetur ex justitia commutativâ, non solùm non recipere pretium pro re illâ, sed etiam rem illam mihi absque mea læsione, & gratis adjudicare; ergo pro eo, quòd me lædit, nullâ ratione acquirit dominium pretii, sed tenebitur ad restitutionem magis, quàm usurarius.

VII. Hinc ad restitutionem tenentur sequentes. Judex pretium recipiens, ut justam ferat sententiam, vel ne ferat injustam. Testis aliquid accipiens, ut verum dicat, vel ne falsum proferat testimonium. Sicarius pro non offendendo homine. Fur pro non auferendo alieno præmium accipiens. Ille, qui pretium accepit, ut restituat honorem, & famam; qui, ut legata in testamento relicta solvat; qui, ut depositum reddat; qui, ut rem inventam suo domino restituat. Notarii insuper, Tabelliones, Judices, ultra taxatum & justum stipendium, aliquid accipientes. Omnes ministri, quibus bona Communitatis ex officio incumbit dispensare, aliquid pro hoc recipientes. Omnes, qui, vel ex testamento, vel mandato alterius tenentur bona inter Cives, vel pauperes distribuere, si aliquid pro tali distributione requirant. Hi omnes cùm teneantur ex justitia illud facere; si taliter se gerant, aut retardando solutionem, aut dispensationem, aut sententiam, aut ingerendo molestias iis, quibus illa debentur; sic, ut ad redimendam vexationem involuntariè, & quasi coactè aliquid eis dent, aut relinquant: tenentur ex justitia restituere, quod acceperunt. Si tamen, pensitis omnibus circumstantiis, appareret, hoc gratiosè fuisse illis collatum; posse licitè recepere, & retinere, probabile est.

VIII. Dices. Qui dat alicui pretium, ut faciat id, quod facere debet ex justitia; licitè dat: sed stare nequit, unum licitè dare, & alterum injustè recipere; ergo &c. Min. probatur. Tùm quia: non solùm peccat, qui facit peccatum, sed etiam qui consentit facienti, imò rogat, ac persuadet, ut faciat: sed qui dat pretium, rogat, & persuadet, ut alter accipiat, & faciat; ergo si accipiens injustè accipit, dans illicitè dat. — Tùm ex *Leg. 2. ff. De Conditionibus ob turpam causam*; ubi Ulpianus expressè determinat, quòd qui dat pecuniam pro sententia justâ pronuntiandâ, crimen contrahit, & punitur litis amissione. Et legibus Regni Castellæ cautum est, ne quis Judici munera offerat.

IX. Respondetur, neg. min. Ad prob. dico, quòd qui dat pretium, ut redimat propriam vexationem, vel alienam, non consentit iniquitati recipientis; sive recipiens peccet contra justitiam, sive contra alias virtutes: quemadmodum qui dat usuras Usurario, non consentit peccato ipsius; quia hoc facit, ut redimat propriam vexationem: solvit enim usuras pro pecunia, quâ indiget, quia aliter Usurarius eam dare non vult. Et ideo non rogat eum, ut peccet, sed ut subveniat propriæ necessitati. Quòd si rogaret, & pecuniam exhiberet non parato dare ad usuram, vel non omittere actum justum; procul dubio consentiret iniquitati, & peccaret.

Ad secundum dico, leges illas punire litis amissione eum, qui pretium dat Judici; quia præsumunt, eum dedisse pretium ad pervertendum judicium, non ad redimendam vexationem.

X. Instabis. Non stat, simoniacum venditorem injustè recipere, & simoniacum emtorem, etsi id faciat ad redimendam vexationem, non dare illicitè pretium; ergo non stabit, Judicem injustè recipere pretium, & qui dat non illicitè dare.

Respondeo, neg. conf. Nam in materia simoniæ, ex dictis, adest præceptum Christi, & Ecclesiæ, non solùm,

lum, ne quis spiritualia vendat; verùm ne quis spiritualia quoquo modo emat: quia hoc est contra naturam spiritualium, quæ pretio æstimabilia non sunt: non sic in casu. Addo ex supradictis cum D. Thoma, 2. 2. q. 100. a. 3. ad 5. quòd *Antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quâcumque dignitate, vel Prabendâ per electionem, vel provisionem, seu collationem; simoniacum esset, adversantium obstacula pecuni. redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam, ad rem spiritualem obtinendam: sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.*

XI. Dices secundò. Qui jam paratus est facere injuriam Petro, si prece, ac pretio alicujus ab hac injuriâ desistat; non desistit ab aliquo, quod deberet ex justitia ei, qui dat pretium: quia quòd Sicarius in gratiam Pauli desistat ab occidendo Petro, non tenetur ex justitia; ergo propter istam gratiam, quam illi facit, poterit recipere pretium, quin peccet contra justitiam respectu illius.

XII. Propter hoc argumentum Soto, Banez, & alii censent, quòd licèt qui recipit pecuniam ab eo, cui debetur actus, vel omissio, peccet contra justitiam; ille tamen, qui recipit pecuniam ab alio extraneo pro executione, vel omissione actus alteri debita, non peccat contra justitiam. Unde si Judex, ut sententiam justam pro Petro ferat, accipiat pecuniam à Paulo extraneo; vendit gratiam, quam ille exhibere non tenebatur: quia licèt teneretur justè judicare, non tamen tenebatur in gratiam illius: quare injustè non agit. Et dicunt, si recipiat ab extraneo, ut à familiari, vel amico: quia si munus, aut pecuniam reciperet à persona conjunctissimâ ei, cui ex justitia talis actus debetur, ut est filius respectu Patris, & è contra, uxor respectu mariti, & è converso, frater respecto fratris: cùm hi censeantur una persona moraliter, idem esset, ac si reciperet ab eo, cui actus ex justitia debetur. Hæc opinio probabilis est.

XIII. Tutiùs tamen, & probabiliùs negandum est ant. Et dicendum, adhuc in prædicto casu teneri restituere: quia ex justitia commutativâ tenebatur, qui accepit, justitiam facere, vel injustitiam non irrogare; ergo accipiendo pretium, à quocumque accipiat, peccat contra justitiam. Tùm quia: absque vero titulo accipit. Tùm quia: accipit invito dante; non enim alio motivo dat, nisi, ut redimat injustam vexationem proximi, & consequenter non prorsus voluntariè.

§. III.

De Judice Pecuniam recipiente, Quando Justitia est Dubia, & Probabilis pro utraque Parte.

XIV. Dubium non modicum esse potest: an cum justitia est dubia, & probabilis pro utraque parte sententia, ita ut possit Judex absque injustitia, quam maluerit eligere, & in utramlibet inclinare; si accipiat aliquid ut hanc partem potiùs eligat, quàm aliam, peccet & restituere teneatur. Quod militat etiam de Electoribus, aut Suffragatoribus ad cathedras, vel alia officia.

XV. Dico. Judex, qui in casu proposito aliquid acciperet, peccaret, & restituere teneretur. Hoc visus est resolvisse Alexander VII. dum hanc propositionem, *ordine 26.* proscripsit: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententiâ in favorem unius, præ alio.* Licèt autem hac proscriptione expresѕè solùm appareat, Judici non licere pecuniam in dicto casu accipere: infertur tamen ei non licere, ita ut teneatur ad restitutionem. Et probo. Ideo enim in dicto casu non licet pecuniam accipere, quia Judex ex justitia te-

netur gratis litem totam, & integram adjudicare; nimirum, quando ratio probabiliùs favet uni, uni determinatè; quando verò rationes sunt ex utraque parte probabiles, alterutri: neque enim manere potest suspensus, sed ex justitia tenetur exercere actum suum: sed quando Judex aliquid accipit pro adjudicanda sententiâ uni potiùs, quàm alteri, neque adjudicat gratis, & vendit quod sibi vendibile non est, neque dat totum, quod ex justitia dare debet; ergo peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur.

Hinc licèt oretenus dicat Judex, se vendere arbitrium suum; reverâ tamen sententiam vendit, eamque venalem facit, quam ferre tenetur gratis. Sicut licèt Collator Beneficii (dum aliquid accipit) dicat, se vendere arbitrium suum, quo inter æquales dignos potest eligere eum, qui sibi maluerit; revera tamen Beneficium vendit: & Usurarius licèt afferat, se recipere ultra mutuum aliquid pro favore, & arbitrio; reverâ tamen vendit usum pecuniæ, qui vendibilis non est. Quare Innocentius XI. hanc propositionem, *ordine* 42. damnavit: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

XVI. Sed dices. Non est contra justitiam accipere aliquid pro re pretio æstimabili, quæ ex justitia non sit debita: sed adjudicare litem huic, præ altero, quando rationes utrimque sunt æquè probabiles, non est ex justitia debitum, sed arbitrarium; ergo pro hujusmodi arbitrio aliquid citra injustitiam accipi potest.

Respondeo, neg. min. nempe, quòd pretio estimabile sit in casu, unum alteri preferre. Nam actio, quæ debetur ex justitia, non est prætio æstimabilis: atqui quòd lis uni præ altero adjudicetur, est actio debita ex justitia; ergo non potest pro hac electione aliquid in pretium accipi. Judex enim, sicut & Distributor, tenetur ex justitia non solùm ad rem gratis distribuendam, sed etiam ad ipsam præelectionem; ergo nec potest aliquid accipere in pretium pro re, quam confert, nec pro ipsa electione. Verum quidem est, quòd eligens unum, privatur libertate ad eligendum alterum: at ex munere Judicis, & Electoris ad hoc obligatur, quòd abundè compensatur per gratitudinem, quâ electus Electori devincitur.

XVII. Replicabis. Judex adjudicans litem Titio præ Cajo, amittit favorem Caii, cui posset gratificari, adjudicando illi litem; & confert Titio aliquid, quod est illi utilissimum, quin ad id teneretur; ergo &c.

Respondeo, quòd licèt Judex, adjudicando litem Titio, amittat favorem Caii; acquirit tamen favorem Titii, qui ad aliquam gratitudinem tenetur: quo sufficienter compensatur amissio favoris Caii. Quia tamen hæc præelectio non est pretio æstimabilis, ut dicebamus, non trahit in præelecto debitum ex justitia. Sicut actio mutuandi, quia non est pretio æstimabilis, quamvis benefica sit mutuatario, cui magnam affert utilitatem; non tamen inducit in eo obligationem justitiæ, sed solius gratitudinis, licèt mutuator præeligat unum alterî in mutuando: ideoque contra justitiam delinqueret, si quid ex prævia conventione explicitâ, vel implicitâ exigeret.

XVIII. Adhuc tamen instabis. Nemo dixerit, factum esse injuriam Titio, cui lis adjudicatur, si ab eo, ob favorem præstitum, pretium accipiatur: cùm idcirco passim dentur munera Judicibus; ut, quantum intra limites justitiæ possunt, suum favorem impendant.

Respondeo, neg. assumtum. Injuria enim irrogatur Titio, accipiendo ab eo pretium pro præelectione, quæ debet esse gratuita: sicut injuria irrogatur mutuatario accipiendo pretium propter mutuum; quia neutra actio

est

est pretio æstimabilis, & propterea venditur, quod vendi non potest. — Ad illud de muneribus dico, hæc vetita esse dari Judicibus, non solùm jure positivo, sed naturali; etiamsi dentur, ut uni potius faveat, quàm alteri, intra limites justitiæ, nisi esculenta sint, & parvi valoris, & censeantur dari omnino liberaliter: in quo etiam magnâ cautelâ procedendum est. Quare si eo animo accipiantur, ut Judex implicitè obligetur ad favorem aliquem impartiendum donanti; datur onus restituendi, tàm si conferatur, quàm si denegetur favor: non secus ac mutuator, si accipiat munera eo animo, ut velit implicitè obligari ad mutuum dandum, tenetur restituere.

XIX. Sed insurges. Ut communior fert opinio, non peccat contra justitiam, qui accipit aliquid ad ponendum opus honestum, debitum quidem, sed non ex justitia, ut dicemus; puta, ad non blasphemandum, ad audiendum Sacrum in die festo &c. ergo quamvis detur obligatio ex justitia adjudicandi causam alterutri; quia tamen non datur obligatio ex justitia eam adjudicandi Titio potius, quàm Cajo, si accipiatur aliquid, ut conferatur potiùs Titio, quàm Cajo, non committitur injustitia.

Resp. neg. conf. Nam licèt non detur obligatio eligendi potiùs Titium, quàm Cajum; datur tamen obligatio ex justitia eligendi alterutrum, & conferendi ei gratis favorem electionis: & ideo pro actione, & justitiâ debitâ non potest aliquid accipi, quia venderetur, quod suum non est. Sicut, qui debet centum, non potest accipere decem, ut hoc debitum solvat; quia venderet illud jus ad centum, quod erat creditoris: & sic venderet, quod suum non est, sed alienum, nec restitueret centum, sed nonaginta. Quando verò opus debitum est ex aliis virtutibus, poterit pretium retineri, quia illud non est alteri debitum; atque adeo si in gratiam alterius ponatur, nemini fit injuria, & in recompensationem laboris poterit aliquid accipi: non secus, ac juxta communiorem sententiam, pecunia, quæ data est ob turpe facinus, puta, ob adulterium; eo patrato, potest retineri, non in gratiam facinoris, sed laboris, & in compensationem periculi.

XX. Ex supradictis infertur, Judicem, nec à tertia personâ posse accipere aliquid, ut in pari causâ adjudicet litem uni potiùs, quàm alteri: imò neque, ut citius expediat causam unius, quàm alterius, etiamsi ex tali mora alter non patiatur detrimentum. Quamvis enim Layman censeat, oppositum saltem speculativè non esse damnandum: censeo tamen tùm speculativè, tùm practicè esse explodendum, ob easdem rationes; quia scilicet ex justitia tenetur Judex unum, quem maluerit, alteri gratis præferre; quare hæc prælectio debita est, nec pretio æstimabilis, aut vendibilis: & hoc cohærenter ad propositionem superiùs relatam, ab Alexandro VII. damnatam.

§. IV.

De Recipiente Pretium pro Eo, ad quod Tenetur ex aliis Virtutibus.

XXI. Dico primò. Qui recipit pretium pro eo, quod facere, vel omittere debebat non ex justitia, sed ex aliis virtutibus (exceptâ caritate, de qua statim) estò illicitè recipiat, tamen restituere non tenetur; quamvis tale pretium non sit oblatum, sed ab ipso petitum: ut, si recipiat munera, ne juret, aut blasphemet, vel ne omittat Sacrum in die festo. Communis ferè est Assertio. Quia hoc modo, nempe, muneribus parentes solent allicere filios, ut operibus virtutum vacent; Principes invitare Infideles, ut fidem suscipiant; amici, consanguinei, ut sibi

conjunctos retrahant à peccatis. Et ratio est. Quia tunc talia dona liberaliter, & voluntariè dantur, animo lucrandi proximum, non redimendi vexationem; & sic gratiosè prorsus, sub conditione licitè ab accipiente implendâ. Difficultas potiùs est de recipiente munera, ut faciat, vel omittat id, ad quod tenetur ex caritate. Ad quod

XXII. Dico secundo. Nec ille, qui recipit pretium, ut faciat opus, ad quod tenetur ex caritate, ad restitutionem est obligatus; peccat tamen. Unde medicus, qui ex caritate tenetur pauperem, aut infirmum curare; si id facere renuat, nisi ab ipso pecuniam recipiat; item qui recipit pecunias à fure, ne eum prodat; licèt peccent contra caritatem, non tamen contra justitiam: ideoque restituere non tenentur. Hanc opinionem, ut probabiliorem, eligo. Quia solùm ex violatione justitiæ nascitur obligatio restitutionis: sed quando aliquid recipitur, aut etiam exigitur, ob opera ex caritate debita, violatur quidem caritas, sed non justitia; quia recipitur pro aliquid pretio æstimabile, & aliàs non debito ex justitia: & solùm ex eo, quod vendantur ea, quæ ex justitia debentur, oritur debitum restitutionis; ergo &c.

DUBIUM V.

An Possessor Bonæ Fidei Obligetur Restituere?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Suppono, radicem restitutionis esse rem alienam apud possessorem inventam. Quod aliquando contingit absque injusta actione: ut in possessore bonæ fidei, qui rem alienam acipit, & detinet, putans esse suam, aut nesciens esse alienam, ut supra diximus, agentes de prescriptione. Aliquando autem contingit, utramque restitutionis radicem simul conjungi, nempe rem alienam, & injustam actionem; ut in fure, raptore, debitore, aut depositario moroso, qui simul, & rem alienam retinent, & per injustam actionem eam occupant: inter quas medius est possessor dubiæ fidei, qui utrimque pendulus, dubitat, an res sit sua, an aliena. In præsenti dubio de possessore bonæ fidei agemus: de possessore verò malæ, aut dubiæ fidei, in sequenti. Hoc præ oculis habentes, per possessorem bonæ fidei nos illum intelligere hìc, qui absque conscientia peccati, saltem mortalis, rem aliquam possidet; quia invincibiliter ignorat, eam esse alienam. Per possessorem malæ fidei illum sumimus, qui vel scienter rem alienam accepit, aut detinet; vel cum ignorantia culpabili, & affectatâ sufficiente, ut in talis rei detentione mortaliter peccet.

II. Suppono, possessorem bonæ fidei, quamdiu in bonâ fide manet, posse rem alienam detinere, consumere, ac vendere; quia invincibiliter putat, se verum dominium illius habere. Mox tamen, ut rem alienam esse cognoverit, eam reddere vero domino tenetur (deductis expensis, quas in ejus conservatione consumsit) nisi tempus præscriptionis transierit; quia hoc elapso, eam sibi retinere potest: factus est enim verus ejus dominus, ut supra diximus. Quod si post talem notitiam in mora fuerit, culpabilis redditur; & illam non possidet amplius tanquam possessor ponæ fidei, nisi fortè invincibiliter ignoraret, se ad hoc teneri.

Positâ ergo utrâque notitiâ, & rem esse alienam, & se teneri, debet rem integram domino reddere; sive illam contractu lucrativo, sive oneroso dato pretio comparaverit: quia dominus non fuit causa, quòd ipse pretium pro ea dederit, & ob id dominium rei suæ non amisit. Proindeque furtum committeret, qui talem

rem

rem, à se emtam, vèro domino non restitueret; quia rei alienæ detentio, invito domino, furto æquiparatur. Nec ipse potest à domino pretium exigere: quia dominus non tenetur rem suam emere, vel dato pretio redimere; sed tale pretium debet a venditore repetere, contra quem dumtaxat habet actionem.

III. Quòd si durante bonâ fide rem quis consumsit, aut distraxit, vel ipsa casu periit, etiam culpâ suâ, vel si eam eodem pretio, vel si minori quàm emerat, vendidit; si postea rem alienam esse rescierit, ad nullam restitutionem tenetur: quia, nec ex injusta actione contraxit hoc debitum, quam non supponimus, quia bonâ fide, putans rem esse suam, processit: neque ex re alienâ, quæ apud ipsum ampliùs non est. Si verò, licèt non sit apud ipsum in se, sit tamen in suo æquivalenti; quia nimirum illâ re, vel usu, aut fructu illius factus est ditior; reddere tenebitur id, in quo ditior factus est, quia in tali augmento res aliena virtute manet. *Leg. Item veniunt. §. Præter hæc. Et Lege Si & rem, & pretium. ff. De hæreditatis petitione.* Hinc regula juris est: quòd quicumque solùm ratione rei acceptæ restitutioni subjicitur; tenetur rem, seu quid illius habet, & quidquid, quo per ipsam factus est ditior, restituere. Quare si rem donatam accepisti, & eam vendidisti, totum pretium restituere teneris, deductis expensis; nisi lapsum fuerit præscriptionis tempus. Si eam alteri donasti parcens tuis bonis, teneris de proprio satisfacere; vel eam à donatario recuperare. Si eam vendidisti pluris, quàm emisti; teneris in eo, in quo factus es ditior. Si eam distraxisti, vel consumsisti, restituere teneris, quod aliàs de tuo tritico consumturus eras. Quare etsi illâ bonæ fidei possessione statum mutaveris, & splendidius vivens plus consumseris; non teneris reddere, quod consumsisti, sed quod consumsisses secundùm statum tuum, si rem alienam non possedisses.

Ex quo infero: quòd si nesciens, vestem sericam à fure emisti, & eam usu attriveris, qui aliàs serico non indueretis; non teneris, nisi ratione vestis, quâ uti solebas. Si equo donato tibi à latrone usus es, ad iter habendum, qui aliàs pedester incessisses; nil pro usu teneris restituere. Si verò aliàs equum, vel emisses, vel conduxisses, factus es locupletior; & teneris restituere pro usu æqui: sicut etiam si equi tibi à latrone donati usum alteri locasti; id, quo factus es ditior, teneris restituere, deductis tamen expensis. Item si à latrone invitatus furtivas escas bonâ fide comedisti; si aliquod domi tuæ pro comestione insumsisses, teneris quantum insumsisses restituere: si verò nil insumsisses, quia non es factus ditior, ad nil teneris

Idem dico, si rem alienam in ludo consumsisti, in quo non esses de tuo consumturus; si expensas majores fecisti, quas aliàs non esses facturus, si alienam hæreditatem bonâ fide non possedisses: nil enim restituere teneris, nisi id, quod de tuo expendisses. Quia estò occasione rei alienæ id feceris, quod non fecisses, & modum vivendi mutaveris; nil tamen amplius post consumtionem in tuis bonis reperis, quàm habiturus esses, si talem rem non recepisses, nec ex ea factus es ditiori

IV. At quomodo gerere se debet possessor bonæ fidei, dum vult restituere fructus perceptos à re, quam reperit esse alienam?

Fructus rei alii sunt purè naturarales, alii industriales, alii mixti. Naturales sunt, qui ex re, absque ulla humanâ industriâ, naturaliter prodeunt; ut herba pratorum, glandes quercuum, fructus arborum, & plures fætus. Industriales sunt, qui industriâ hominum comparantur, etsi ipsâ re utatur, ut instrumento ad illos comparandos; ut si alieno instrumento artefactum laboraverit, lucrum ex asportatione grani, vel ex nego-

negotiatione alienæ pecuniæ reportaverit. Mixti sunt, qui partim naturaliter, partim ex humana industriâ nascuntur; ut fructus vinearum, segetes, fructus agrorum, qui coluntur, lac, fœtus, lana, quæ ex gregibus, juncto hominum labore in iis alendis, & curandis habentur: & etiam vecturæ navium, & jumentorum, merces rerum locatarum. Hi autem fructus, qui partim à natura, partim ab industria humanâ proficiscuntur, judicandi sunt ab eo, quod in illis prævalet. Si enim minus industria, quam natura operetur, naturales dicuntur: si magis industria, quàm natura, industriales. Et ideo de his, in quibus natura prævalet, idem judicium faciendum est, ac de naturalibus; de his verò, in quibus prævalet industria, idem, ac de industrialibus: si verò dubium sit, in foro externo decidendum erit arbitrio Judicis; in foro autem interno, & conscientiæ, arbitrio prudentis. His positis,

V. Respondeo. Bonæ fidei possessorem teneri jure communi, constito sibi, rem quam possidet esse alienam, restituere omnes fructus naturales, deductis expensis, & æstimatione suæ industriæ, si extent; & si non extent, id in quo factus est ditior, modo supra explicato: fructus verò industriales sui sunt, nec tenetur eos restituere. Ratio primi est. Quia res fructifera naturaliter domino suo fructificat; ergo sicut tenetur, rem ipsam restituere, ita & fructus naturaliter ex ea prodeuntes. Quod verum est, etsi res apud dominum non habitura esset fructum; vel quia fundus erat sterilis, vel quia apud ipsum non erat colendus: quia semper est fructus rei, ac proinde domini, cujus est ipsa res. Unde si domum alterius locasti, quam aliunde dominus locaturus non esset, si equum, & navem, teneris restituere fructus, si extent; si verò non extiterint, id, in quo factus es ditior, nisi tempus præscriptionis præterierit: quia tunc omnium fructuum acquisivisti dominium. Et stare potest, te teneri restituere rem immobilem, non verò fructus, qui sunt res mobilis; quia ad hos præscribendos sufficet triennium, ad illam verò saltem requiritur decennium, ut supra vidimus. Dixi, si rem alienam locasti, teneri te restituere fructus, quamvis aliqui oppositum sentiant: quia censeo, fructus ex locatione habendos esse tanquam fructus rei, cùm percipiantur ex usu rei, & non fructus industriæ.

Ratio verò secundi est. Quia fructus industriales non sunt fructus rei, sed industriæ; fructus autem industriç, sicut & ipsa industria, sunt illius, qui ipsam habet. Quod verum est, sive possessor sit bonæ fidei, sive malæ; quia in hoc, quod est fructus industriales esse suos, sunt pares. Unde si penicillo alieno picturam effecisti, tua erit, non domini penicilli. Si pecuniis alienis negotiatus es, si asportatione alieni tritici lucrum reportasti; ad nil ex his fructibus restituendum teneris. Similiter si aliena grana in tuo agro seminasti, fructus tui sunt; quia censentur fructus agri, & tuæ industriæ, non seminis, quod destructum fuit, & periit.

§. II.

De Possessore Bonæ Fidei Quæsita Quadam.

VI. Quæres primò: An qui emit, aut recipit bonâ fide à latrone res, quæ sunt materia mutui, vel sunt usu consumtibiles, ut pecuniam, vinum, oleum &c. teneatur ad restitutionem rei, si extat, aut ejus, in quo ditior factus est; quando ex tali distractione fur non redditur impotens ad solvendum, seu restituendum ex aliis suis bonis. Verbi gratia: vestem, triticum à latrone accepisti, qui alias vestes, aut triticum habet, vel æquivalens, ut pos-

possit restituere: invitaris ad cœnam furtivam, qui domi tuæ tantumdem consumturus eras: quæritur: an restituere tenearis vero domino, si fur ex aliis suis bonis valeat restituere?

VII. Certum est, quòd si fur impotens sit ad reddendum, tenetur qui à fure, etiam bonâ fide accepit, restituere rem, si extat; vel si non, id in quo factus est ditior: & loquimur in foro conscientiæ. Idemque judicium faciendum est de eo, qui tales res recipit à fure, bonâ fide; ac de eo, qui malâ fide reciperet, sciens, nempe, rem esse furtivam: quia in hoc æquales sunt. Si enim res existat, æquo passu uterque tenetur totum domino reddere: si non existat, uterque tenetur ad pretium æquivalens, proportione tamen servatâ. Nam possessor malæ fidei tenetur restituere totum; possessor autem bonæ fidei solùm id, in quo factus est ditior. De hoc ergo loquendo,

VIII. Dico. Quòd qui rem consumtibilem à latrone accepit, etiamsi latro ille potens sit restituere, tenetur tamen, qui bonâ fide accepit, restituere id, in quo factus est ditior: qui verò malâ fide accepit, tenetur restituere totum pretium, si res ipsa non extet. Hoc probabilius judico, & probo. Quia res ubicumque fuerit, semper est domini, sive fuerit in se, sive in æquivalenti; ergo ad quemcumque possessorem transit cum eo onere, ut suo domino restituatur. — Secundò. Quia dominus semper retinet jus exigendi rem suam à possessore illius, vel id in quo factus est ditior, ex suis bonis, si sit possessor bonæ fidei; aliàs si equum bonâ fide acciperet, & venderet, non teneretur pretium reddere domino, quod est contra communem sententiam.

IX. Patres tamen Salmanticenses cum distinctione procedunt. Vel enim qui accipit res à latrone, accepit illas, antequam essent permixtæ cum bonis latronis; vel postquam cum bonis ejus sunt permixtæ; ita ut discerni non possint, quænam sint alterius domini, vel latronis. Puta, si latro jam miscuerat pecuniam, furto sublatam, cum pecunia sui, vel oleum, aut triticum surreptum cum suo. Dicunt ergo, quòd qui accepit res alienas à latrone, antequam essent permixtæ cum propriis; etiamsi bonâ fide acceperit, tenetur restituere domino: si verò fuerint jam permixtæ cum bonis latronis, dicunt, non teneri. Cùm enim latro, per commixtionem, factus sit earum rerum dominus; accepit rem illam ab eo, qui jam erat dominus, & cujus prior dominus amiserat dominium — Verùm licèt certum sit, per mixtionem eorum, quæ post mixtionem discerni non possunt, acquiri à miscente dominium in foro exteriori, ut supra diximus; non tamen certum est, tale dominium acquiri in conscientia: non enim video, quomodo qui, etiam bonâ fide, à latrone accepit duo modia tritici, & miscuit cum suo, ac postea rescivit, unum modium esse tritici alieni; non teneatur in conscientia restituere illud modium, vel pretium, vel id, in quo factus est ditior.

X. Sed dices contra nostrum Assertum. Latro, qui habet aliam pecuniam, præter furtivam, sicut dat pecuniam furtivam, ita poterat dare pecuniam suam: sed si daret pecuniam suam, ille, qui reciperet, non teneretur restituere; ergo neque si ab eo recipiat pecuniam alienam.

Respondeo, neg. conf. (nisi aliàs certus esset, latronem dedisse pecuniam de suo). Quia pecunia aliena cùm sit domini, qui non perdidit dominium ejus, per se primò est restituenda, vel alia in defectum ejus; unde semper est cum tali onere ubicumque reperiatur: non sic pecunia propria.

XI. Dices secundò. Qui bonâ fide aliquid consumtibile à fure accepit, non tenetur restituere ratione injustæ acceptionis, ut suppono: neque ratione

tione rei acceptæ, quia suppono, eam ampliùs non extare, sed esse consumtam; ergo non tenetur.

Respondeo, teneri ratione ejus, in quo ditior factus est: unde qui bonâ fide accepit triticum, & consumsit, tenetur restituere tantum, quantum de tritico suo consumturus fuisset, ut supra diximus.

XII. Sed contra. In rebus consumtibilibus verus dominus non habet jus petendi eamdem numero rem, sed similem, vel ejusdem pretii: sed res similis, & ejusdem pretii manet apud latronem, quem supponimus habere, unde possit restituere; ergo qui eam accepit, non tenebitur.

Respondeo, quòd estò in rebus consumtibilibus non sit obligatio restituendi eamdem rem, sed sufficiat restituere rem æqualis valoris: quia tamen res ipsa dum extat, clamat ad dominum, & si non sit, aliæ res clament in substitutionem illius: idcirco dominus per se habet jus ad suam rem, ubicumque fuerit, vel ad æquivalens loco ejus, si non extet; nisi priùs raptor de bonis suis ei satisfecerit. Qui tamen accepit, habebit jus, & actionem contra furem, ut sibi restituat id, quod furtivè illi tradiderat.

XIII. Sed quid, si res aliena, bonâ, vel malâ fide accepta, non erat usu consumtibilis, puta equus, pictura &c. tenebitur ne qui accepit, eamdem numero rem restituere: an verò sat erit restituere pretium?

Respondeo, nisi detur rationabilis causa, non sufficere pretium suæ rei non consumtibilis domino restituere, si extet; sed restituendam esse rem ipsam. Non enim potest possessor unam pro altero commutare, invito domino, *Leg. Manifesti juris. Cod. De Solutionibus*. Quia res extans, sub dominio prioris domini manet; & ipse non est cogendus suam rem vendere, aut commutare: maximè quia multoties plus valet res, propter specialem affectum, & æstimationem sui domini. Si verò rationabilis causa sit non reddendi eamdem rem suo domino; puta, ne delictum furis manifestetur, vel aliquid grave timeatur; judicio prudentis poterit restitui æquivalens, pensatâ etiam, & compensatâ æstimatione, & affectu domini, secundùm quem rem suam pluris vendere speraret.

XIV. Circa fructus verò, ex re furtivâ prodeuntes, dictum est supra: nempe, possessorem bonæ fidei teneri omnes fructus naturales, in quibus factus est ditior, restituere, non verò industriales. Ratio primi supra allata est. Quia fructus naturalis rei, & res, quod attinet ad humanas conventiones, pro eodem computatur; & secundùm formam commutativæ justitiæ debet subtrahi ab eo, qui habet ultra id, quod suum est: qui autem ex fructibus rei alienæ ditior factus est, habet ultra id, quod suum est.

Nec valet dicere, multas esse leges civiles, quæ possessori bonæ fidei adjudicant fructus, ex re alienâ perceptos. — Nam respondeo, illas leges loqui, si non sit factus ditior ex illis.

Neque dicas. Qui bonâ fide emit ovem alienam, exponit se periculo amittendi pretium, & reddendi ovem suo vero domino; ergo æquum est, ut interim accipiat commodum ex ove, quam emit — Nam respondeo, neg. conf. Quia emtor propriâ voluntate emit illam: & ideo verus dominus non debet pati detrimentum.

XV. Quæres secundo: An qui bona fide emit à fure rem alienam, & postea eam esse alienam cognovit, teneatur eam restituere vero domino: an verò licitum ei sit, convenire furem venditorem, & rescindere contractum, reddendo illi rem alienam, & recuperare suum pretium?

XVI. Suppono, quòd emtor, qui bonâ fide emit rem alienam, potest dupliciter se habere. Uno modo, quia ignorans esse alienam, eam emit in

sui

sui utilitatem. Alio modo, sciens quidem esse alienam, eam emit modico pretio, ut eam restituat vero domino; quia scit, rem illam vero domino perituram. Rursus: qui ignorans emit, & postea comperit se emisse rem alienam; vel probabiliter credit, rescindo contractum, eamque restituendo furi, furem esse redditurum, vel non? His suppositis,

XVII. Dico primò. Qui sciens emit rem alienam modico pretio, ut eam restituat verò domino, ne ipsi periret; tenetur quidem vero domino eam, tradere: sed licitum est illi deducere pretium, quod dederat pro re illâ. Prior pars certa est. Posterior probatur. Quia nemo tenetur cum proprio detrimento procurare utilitatem alterius, nisi ad id teneatur ex officio: atqui emtor ille procuravit utilitatem domini, dum eam accepit à fure, & non tenebatur ex officio, ut suppono; ergo &c. — Tùm etiam: *Cap. Rapinam*. 14. *q*. 5. hujusmodi emtio rei alienæ, ut restituatur vero domino, laudatur: sed ex actione laudabili non debet quis reportare damnum; ergo &c. Hinc in foro externo daretur actio contra verum dominum, si nollet solvere illud pretium.

XVIII. Dico secundò. Qui ignorans emit, & postea comperit, eam rem esse alienam; si probabiliter credat, furem eam vero domino redditurum: probabile est, posse rescindere contractum, eamque reddere furi. Prob. Quia emtor hoc medio consulit suæ indemnitati, & etiam famæ furis; nec ullum detrimentum infert vero domino, ad quem res sua perveniet.

XIX. Dico tertiò. Emtor rei alienæ si moraliter certus sit, furem non redditurum, vel dominum in re suâ periclitaturum; tutiùs, & probabiliùs tenetur, eam vero domino restituere: non autem poterit rescindere contractum, & pretium suum recuperare. Probo primò. Quia emtor ille habet ultra id, quod suum est, & hoc de-est vero domino: docet autem S. Tho. 2. 2. q. 62. a. 6. quòd *Ratione rei* (acceptæ) *tenetur eam restituere, quamdiu eam apud se habet: quia quod habet, ultra id, quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei, cui deest, secundùm formam commutativæ justitiæ.*

Secundò. Emtor ille non potest vendere eam rem alteri, quia res aliena est; ergo nec potest eam reddere furi, postulato pretio, quando fur non redditurus vero domino existimatur; quia tantum detrimentum patitur dominus in re suâ, quando redditur furi eam non restituturo, quantum si res venderetur, imò fortè magis. — Addo: quòd tunc emtor ille videretur esse manifestus cooperatur iniquæ acceptioni, & injustæ detentioni latronis.

Tertiò. Emtor rei furtivæ salvâ conscientiâ, non potest eam è statu meliori redigere in deteriorem: qui enim rem alienam ab igne, vel naufragio salvavit, non potest, salvâ conscientiâ, eam iterum in ignem, vel mare projicere, si salvâ suâ vitâ id possit: sed qui emit rem furtivam à fure, posuit eam in meliori statu; reddendo autem eam furi non redditturo, idem est, ac si eam iterum in ignem, vel mare projiceret; ergo &c.

Quartò. Si fur esset longè distans, aut mortuus, teneretur emtor rem alienam domino restituere, etiam cum jactura dati pretii: sed vita, & præsentia furis non aufert jus à vero domino; ergo, etiam ipso vivente, & præsente, tenetur eam restituere domino.

Hinc Judex in causa accusationis rem illam adjudicaret vero domino: & dominus posset, secluso scandalo, occultè rem suam emtori licitè subtrahere; ergo emtor tenetur eam domino reddere: habebit tamen actionem contra furem ad repetendum ab eo pretium. Quod denique videtur confirmari illâ juris Regulâ: *Non debet quis locupletari cum alterius jactura*; & vulgato Juristarum axiomate:

Res aliena semper clamat ad dominum.

XX. Dices tamen primò. Injustum videtur, bonæ fidei possessorem eandem habere restituendi obligationem, respectu rei furtivæ, quam habet possessor malæ fidei.

Secundò. Nemo cum proprio gravi damno tenetur procurare alterius utilitatem, nisi ex officio, contractu, vel quasi contractu, vel delicto obligetur: sed emtor in nostro casu patitur damnum, & ex officio, aut contractu, aut delicto non tenetur; ergo &c.

Tertiò. Contractus cum fure initus est iniquus; ergo emtor potest eum rescindere.

Quartò. Si à fure auferam librum, animo eum restituendi vero domino; fur verò vicissim alium à me auferat, nec restituere mihi velit, nisi recepto priori libro: possum licitè furi reddere librum furtivum, & me servare indemnem. Similiter si rem alienam in platea inveniam, possum, ut me servem indemnem, in platea relinquere; dum adverto, ejus retentionem mihi esse, vel fore damnosam; ergo similiter &c.

XXI. Respondetur ad omnia. Ad primam, quòd emtor malæ fidei tenetur restituere, non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis: graviter insuper peccavit rem, furtivam scienter emendo, quod in emtore bonæ fidei non contingit.

Ad secundam, dist. maj. In his, quæ sunt sibi propria, co. maj. In his, quæ sunt aliena, nego maj. & sic distinctâ min. nego cons. Sicut enim Commodatarius, lapso termino commodati, tenetur, etiam cum proprio damno, si id sequatur, restituere; si ex non restitutione dominus patiatur æquale damnum: ita in casu. Quod etiam Adversariì concedere tenentur: dum dicunt, quòd si res illa furtiva non possit restitui furi; emtor tenetur, etiam cum suo gravi damno, restituere vero domino: damnum verò, quod patitur emtor, ipsi est imputandum, quòd contraxerit cum incapaci.

Ad tertiam, dist. cons. Si non cederet in damnum alterius, con. cons. Secus, nego consequentiam. Ex hoc ergo, quòd contractus sit iniquus; sequitur quidem, quòd emtor bonæ fidei possit agere contra furem, & ab eo repetere pretium: non tamen, quòd non teneatur restituere rem emtam vero domino.

Ad quartam, admitto utrumque casum; si tamen illa redditio libri, & repositio rei in platea fiat in eodem instanti, quasi morali: quia tunc, moraliter loquendo, nondum possedisse censendus est, qui ea accepit. Et idem dicerem in casu præsenti, si ita exponeretur. Verùm in his casibus pensandæ erunt circumstantiæ rei emtæ, & inuentæ; & secundùm illas arbitrio Prudentum judicandum.

XXII. Quæres ulteriùs: An Petrus, qui bonâ fide emit rem furtivam, & in eâdem bonâ fide perseverans vendidit illam Paulo; teneatur postea, compertâ veritate, restituere pretium vero domino, quando non possit res ipsa restitui?

Dico. Probabilius mihi videtur, Petrum in dicto casu teneri restituere vero domino totum pretium, si non possit restituere ipsam rem. Probo primò. Si Petrus apud se retinet rem illam, cognitâ veritate, quòd res sit aliena, tenetur eam reddere vero domino; nec potest eam reddere furi, rescindendo contractum, si prævideat furem non redditurum, ut diximus; ergo & tenebitur restituere pretium, si rem illam jam vendiderat. Conf. prob. Quia res, & ejus pretium quasi idem censentur, quantùm ad humanas commutationes.

Secundò probatur. Petrus tenetur ad excessum pretii, si pluris vendiderat, quàm emerat, eo quòd in illo factus est locupletior; ergo etiam tenebitur restituere pretium justum; nam

nam in toto illo factus est locupletior, dum vendidit rem alienam bonâ fide. Conf. prob. Quando vendidit rem illam, vendidit rem alienam; ergo in pretio, quod ex illa recepit, plus habet, quàm deberet habere; ergo hoc ei subtrahendum est, & dandum vero domino, qui minus habet, quàm debet habere: & ideo si retinet illud pretium, factus est locupletior, quàm debet esse.

XXIII. Confirmatur. Paulus, qui bonâ fide emit rem illam, habet intentionem dandi pretium vero domino rei; ergo revera non transfert dominium pretii in Petrum venditorem; ergo Petrus non potest retinere pretium illud, cujus non acquirit dominium; sicut nec acquisivit dominium rei, quam vendidit.

Rursus: Si res illa fructificasset in domo Petri, teneretur Petrus restituere fructus extantes domino, quia fructus rei est ipsa res: sed pretium rei non minus est ipsa res, quàm fructus ejus; ergo non minus tenetur illud restituere.

XXIV. Urgentur dicta, primò. Illâ venditione, quam Petrus fecit, reverà non transtulit dominium in Paulum; ergo nec ipse acquisivit dominium pretii. — Secundò. Qui rem, quam dono acceperat à latrone, si postea vendat, tenetur, cognitâ veritate, pretium vero domino restituere, in quo factus est ditior: sed similiter Petrus factus est ditior in casu; ergo &c. Min. prob. Quia Petrus jam reverà amiserat pretium, quod dederat latroni; ergo dum vendit, fit locupletior, quàm debebat esse, reparando damnum suum cum re alienâ. — Tertiò. Paulus in casu posito, cognitâ veritate, tenetur reddere rem vero domino; ergo etiam Petrus, qui fuit venditor, tenetur servare Paulum indemnem; ergo tenebitur restituere pretium ipsi Paulo; ergo si hoc non sit possibile, tenebitur restituere pretium vero domino.

XXV. Hæ sunt rationes, quæ probabiliorem mihi efficiunt hanc partem. Non obstante tamen, pars opposita probabilis est: tùm auctoritate Doctorum: tùm robore rationum; quarum præcipua hæc est. Nam in prædicto casu Petrus venditor non tenetur ratione injustæ acceptionis, quia bonâ fide accepit; neque ratione rei, quia jam bonâ fide transtulit talem rem; neque manet cum aliquo fructu illius, ut supponitur: neque ditior factus est; cum supponatur eam non majori pretio vendidisse, quàm emerat, sed vel æquali, vel fortè minori; ergo ex nullo capite tenetur.

Sed ad hanc rationem respondeo, ex dictis, quòd Petrus in casu tenetur ratione rei acceptæ; quæ licèt non maneat apud ipsum in se, manet tamen in suo æquivalente: nempe, in pretio, quod est fructus rei, in quo factus est ditior. Licèt enim ipse pro illa re solvisset etiam pretium æquale; tamen illud pretium jam amiserat ex quo scivit, illam rem esse alienam.

XXVI. Sed instabis. Si Petrus rem illam donasset, vel in suos usus consumsisset, vel amisisset, non teneretur ad restitutionem; quia eam bonâ fide possidebat, & non esset factus ditior ex illa: sed in casu non est factus ditior, quia tanti vendidit, quanti emerat; ergo &c.

Respondeo, disparitatem esse. Quia si donasset, vel amisisset, aut consumsisset rem illam, aliàs non consumturus, Petrus non esset factus locupletior: at dum recepit pretium pro re aliena venditâ, factus est locupletior, quia illud datum latroni jam amiserat.

XXVII. Dices adhuc. Potest qui emit rem furtivam, rescindere contractum cum fure, & sibi retinere pretium; ergo multò magis si nesciens rem esse furtivam, eam alteri bonâ fide vendat, potest retinere sibi pretium.

Resp. neg. ant. Supra enim negavimus, eum, qui emit rem furtivam à

 fure,

fure, & cognito, quòd res illa sit furtiva, ac prudenter judicet furem non esse eam restituturum, posse rescindere contractum, eamque furi restituere. — Dato etiam antecedente, nego conf. & disparitas est. Quia in in primo casu rescindens contractum cum latrone, non facit aliquam injuriam vero domino; sed rescindit injustitiam sibi factam, & quasi defendit se à fure; deducendo rem furtivam ad eundem prorsus statum, in quo erat antea constituta: at in secundo casu, de novo transfert rem alienam in alterum statum; nec potest Petrus injuriam, quam sibi fecit latro, resarcire fructu, sive pretio rei alienæ.

§. III.

De Obligatione Commodatarii, & Depositarii.

Dubitari solet: An Commodatarius, cui res commodata, absque sua culpâ, periit, teneatur eam restituere. Verbi gratia: equum commodatum absque sua culpâ quis amisit, tenebitur ne equum domino compensare?

XXVIII. Pro resolutione dubii observandum est, rem commodatam tripliciter posse perire apud Commodatarium. Primò: fraude, vel dolo; quando res commodata, ex certa scientiâ, & malitiâ Commodatarii periit. Secundò: aliquâ culpâ Commodatarii. Ubi observa, nomine culpæ, aliud intelligi à Juristis, aliud à Theologis, ut supra dictum est. Nam Theologis solùm culpa est ea, quæ est peccatum coram Deo: sed Juristis nomine culpæ venit aliqua omissio diligentiæ, quæ secundùm mores hominum poterat adhiberi, ad conservandam rem illam, secundùm suam conditionem: sive illa omissio sit peccatum coram Deo, sive non. Et hujusmodi culpam distinguunt in levem, levissimam, & latam. Tertiò: perire potest res commodata ex casu fortuito, qui non cadat sub humana providentiâ, seu diligentiâ circa talem rem servandam.

XXIX. Dico ergo primò. Commodatarius tenetur restituere rem commodatam, etiamsi levissimâ suâ culpâ perierit, neque peccaverit coram Deo. Hæc Assertio colligitur ex *Cap. Unico de Commodato*, ubi dicitur: *Cum gratia sui tantùm quis commodatum accepit, de levissima etiam culpâ tenetur.* Item *Leg. In rebus*; & *Leg. Si certo. ff. Commodati. §. Commodato*. Et est communis sententia Theologorum. Nam jus naturæ postulat, ut qui gratiosè rem ab alio accipit in proprium commodum, teneatur, ne dominus rei, qui gratiam facit, patiatur detrimentum; ergo si culpâ aliquâ, vel inconsideratione Commodatarii res periit, non debet dominus pati detrimentum. Aliàs tolleretur à Republica commodandi contractus, qui valdè necessarius est ad humanum convictum: nemo enim commodare vellet rem suam cum tanto sui periculo.

XXX. Hinc sequitur primò. Quòd Commodatarius, cui res commodata aliquâ suâ culpâ legali periit; teneatur restituere, non solùm in foro externo, & expectatâ Judicis sententiâ, sed statim, & in foro conscientiæ. Quia obligatio hæc oritur ex jure naturæ, ne Commodans, qui fecit gratiam, detrimentum patiatur: leges autem humanæ nil aliud statuunt in hac re, quàm quod naturæ lege constitutum est, licèt oppositum sentiat M. Soto.

XXXI. Sequitur secundò. Commodatarium, cui res suâ culpâ periit, teneri restituere in totum, non solùm in partem: quia obligatio restituendi in hac re, non oritur ex culpa, sive veniali, sive mortali coram Deo; sed potiùs ex natura contractus commodationis, qui postulat, ut Commodatarius teneatur rem commodatam domino custodire, & reddere; & nisi perierit casu fortuito, quomodocumque perierit, illi imputetur: siquidem

dem non fuit solicitus, ut poterat, & debebat, servare rem alienam.

XXXII. Dices. Si culpa requiritur, ut Commodatarius restituere teneatur, sequitur, quòd pro quantitate culpæ teneatur restituere; ergo non totum. — Nego tamen sequelam. Culpa enim requiritur, non ut sit mensura restitutionis; sed ut sit signum, rem non perjisse fortuito casu, qui solus excusare potest Commodatarium à restitutione: nisi tamen præcessisset pactum, ut statim dicetur.

XXXIII. Dico secundò. Commodatarius non tenetur restituere, quando res commodata periit casu fortuito; nisi fortè, qui commodavit, expresserit conditionem casus fortuiti: tunc enim Commodatarius teneretur reddere; quia alter poterat in contractu libero, qui nullo modo erat in utilitatem propriam, talem conditionem apponere. Conclusio sic intellecta Juristis, & Theologis communis est. Tradditur enim citato *Cap. Unico de commodato*. Ubi post supra laudata verba subduntur sequentia: *Licet casus fortuitus (nisi acciderit culpâ suâ, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari*. Casus autem fortuitus est, qui non cadit sub humana providentiâ: puta, si equus commodatus fulmine percussus periit: si latrones multi, ibi grassari non soliti, aggressi illum rapuerint. Intellige tamen nisi Commodatarius fuerit in mora; puta, si moram fecerit in restituendo: tunc enim Commodatario perit, etsi apud Commodantem res fuisset eodem modo peritura, ut ait Glossa ibi — Probatur autem sic. Dominus rei commodatæ non debet exigere majorem solicitudinem servandæ rei à Commodatario, quàm ipsemet posset habere: nisi fortè velit exprimere hanc conditionem casus fortuiti in contractu; ergo si casu fortuito res ipsa pereat, domino perit.

XXXIV. Sed dices. Mutuatarius tenetur restituere debitum, etiamsi nullâ suâ culpâ, sed casu fortuito res mutuata pereat; ergo etiam Commodatarius.

Respondeo, neg. conf. Nam Mutuatarius statim efficitur dominus rei mutuatæ; unde dum res mutuata apud ipsum perit, apud dominum, & ipsi perit, ideoque tenetur restituere. Estò autem Commodatarius magis, idest, pluribus titulis teneatur restituere; quia tenetur non solùm ratione acceptionis, sed etiam ratione rei acceptæ: Mutuatarius tamen strictiùs tenetur ratione acceptionis, eo quod rem accepit, ut dominus, ad consumendam illam: ideoque quomodocumque pereat, illi perit, & tenetur eam reddere in omni eventu.

In dubio autem: An casus fuerit fortuitus, vel non; vel an res perierit cum culpa, aut sinè culpâ Commodatarii: declinandum est potiùs in favorem domini. Nam æquum est, ut Commodatarius, qui beneficium accepit, patiatur potiùs damnum in casu dubio, quàm dominus, qui nullam reportat utilitatem.

XXXV. Quæres modo de acceptione justâ, quæ est in utilitatem dantis, non accipientis, qualis est depositum; nimirum: an Depositarius teneatur solùm restituere, quando suâ gravi culpâ depositum amiserit. Ad quod

Dico. Depositarius, qui depositum amisit ex culpa levi, non tenetur restituere; qui tamen illud amisit ex culpa latâ tenetur restituere in totum. Prima pars communis est, & meritò. Tùm quia: depositum non recipitur, nisi in gratiam deponentis; ergo Depositarius non debet gravari de culpa levi. Tùm etiam: quia si Depositarius gravaretur de culpa levi, nemo vellet suscipere depositum. Tùm denique: quia depositum differt à commodato, quòd commodatum solùm est in gratiam, & utilitatem Commodatarii; depositum verò est solùm in gratiam Deponentis; ergo licèt æquum sit, ut

Com-

Commodatarius obligetur etiam ex levissima culpâ, æquum tamen non esset, ut Depositarius ita obligaretur.

XXXVI. Sed dices. Ex *Cap. Bona fides. De Deposito*, habetur: *Bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amisisti*. Unde arguitur. Sit casus, quo non possis simul res proprias, & depositas ab incendio eruere; & ut proprias eruas, depositas relinquas: condemnaberis, ex citato Cap. ergo teneris, etiamsi sit culpa levissima, imò fortè nulla. — Respondeo, prælaudatum capitulum ita statuere; quia præsumit, quòd ille, qui rebus suis salvis existentibus depositum amisit, vel perire permisit, depositum neglexerit: & ideo in simili casu condemnabitur in foro exteriori Depositarius. Si tamen reverâ non fuit negligens, non tenebitur in conscientia restituere: non enim tenebatur, rem alienam cum detrimento propriæ custodire.

XXXVII. Dices secundò. In eodem *Cap.* habetur: quòd *Pacto, culpâ, vel morâ præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur*. Cap. *Consulvisti*. 2. q. 4. *Cap. In lectum*, 34. *q.* 1. culpa etiam levissima videtur imputari Depositario — Respondeo tamen, præfata jura non loqui de quavis culpâ etiam levissimâ; sed de mora, culpâ, & negligentiâ culpabili: vel supposito pacto de custodiendo deposito, etiam in casu fortuito.

XXXVIII. Secunda pars Asserti prob. Culpa lata, etsi coram Deo culpa non sit, nec venialis, juridicè tamen supponit in Depositario negligentiam crassam, & valde culpabilem, & voluntariam: sed negligentia culpabilis Depositarii non debet nocere Deponenti; ergo &c. Unde si quis, etiam oblivione naturali, reliquit depositum in limine domus, non peccavit coram Deo; & tamen juridicè est in culpa latâ, si inde auferatur à transeunte: aliàs nemo esset, qui vellet depositum tradere, si culpa lata non obligaret Depositarium ad restitutionem.

XXXIX. Tertia verò pars, quòd teneatur in totum, probatur. Quia suâ culpâ totum damnum emergit Deponenti — Nota tamen: quòd in casu dubii: an culpa fuerit lata, nec ne, declinandum est in favorem depositarii; quia depositum fit in commodum tantùm Deponentis: & ideo æquum est, ut ipse potiùs, quàm Depositarius, patiatur incommodum in casu dubii, sicut ex opposito diximus de Commodatario.

XL. Superest quærere: An quando justa acceptio est in commodum utriusque partis, nempe, tam dantis, quàm accipientis; ut si Commodatarius, vel Depositarius accipiat pretium pro custodia, vel assecuratione rei commodatæ, vel depositæ; sicut etiam de Conductore: an, ut obligetur ad restitutionem, requiratur culpa, & quanta?

XLI. Dico ergo primò. Commodatarius, si recipiat pretium pro custodia rei commodatæ, tenebitur eam restituere; etiamsi sinè culpâ, sed ex casu fortuito pereat. Nam recepto pretio pro custodia, obligatur magis, quàm ante: sed sinè pretio tenebatur etiam de levissima culpâ; ergo recepto pretio, tenebitur etiamsi nulla adsit culpa: quia recipiens pretium, præsumitur voluisse se obligare ad rem custodiendam sartam tectam in omni eventu.

XLII. Dico secundò. Depositarius si recipiat pretium pro custodia tantùm, tenebitur ad restitutionem pro levi culpa: si verò recipiat etiam pro assecuratione, tenebitur in omni eventu. Prior pars prob. Quia sinè pretio tenebatur solùm de lata, & amplâ culpâ: sed accepto pretio, magis tenebitur; ergo tenebitur etiam de levi culpâ. — Secunda pars prob. Quia recipiens depositum cum contractu oneroso assecurationis, & recipiens pretium, præsumitur voluisse illud securum reddere Deponenti in omni eventu. Colligitur ex *C. Bonæ fides, de Deposito*.

XLIII. Dico tertiò. Conductor tenetur

tur ad restitutionem rei perditæ de levi culpâ. Communis sententia est. Et probatur ex *Leg. Contractus. ff. De Reg. Juris*; & *in Tit. De Locato, & conducto*. Conductor enim medio modo se habet inter Commodatarium, & depositarium: Commodatarius enim accepit rem tantùm in commodum proprium, Depositarius autem solùm in commodum Deponentis: conductor verò partim in proprium, partim in commodum domini rei conductæ; ergo æquum est, ut in obligatione restituendi, medio modo se habeat Conductor: ita ut nec teneatur de levissima culpâ, sicut Commodatarius, nec solùm de lata culpâ, sicut Depositarius; sed de levi, quæ est media inter levissimam, & latam.

Hæ sunt generales regulæ. Verùm in casibus particularibus attendendæ sunt circumstantiæ, quantitas pretii, laboris, & periculum in custodia rei alienæ; & ad arbitrium boni viri determinanda est major, vel minor obligatio, tùm in foro conscientiæ, tùm in foro exteriori.

DUBIUM VI.

De Obligatione Possessoris Malæ, vel Dubiæ Fidei.

§. I.

Resolutiones pro Priori Parte.

I. Malæ fidei possessor ille est, qui rem alienam scienter detinet; vel licèt ignoranter, quia tamen ejus ignorantia crassa est, & affectata, interpretativè dicitur rem alienam scienter detinere: quia nolens, cùm possit, adhibitâ debitâ diligentiâ, ignorantiam deponere, censetur velle rem possidere, etiamsi sciret eam esse alienam. Hunc ergo ad restitutionem teneri, certum est ex D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *a.* 6. & non solùm ratione rei acceptæ, sed & ratione injustæ acceptionis. Quare etsi res non extet, vel quia vendidit, vel quia donavit, vel quia consumsit; quamvis in nullo ditior sit factus, ac nullum reportaverit commodum, tenetur restituere pretium ejus vero domino: quia hæc obligatio non solùm ex re accepta, sed ex injusta oritur acceptione, quæ læsit, & injuriam fecit domino. Et propterea sicut damnum alteri intulit: ita ex justitia debet damnum æquale ipse pati; aliàs ille plus haberet, quàm debet, & alter minus.

Tenetur insuper omnia damna domino emergentia resarcire. Unde si auferas ab alio equum, & ipse alium conducere cogeretur; non satisfaceres equum reddendo, sed deberes solvere pretium conductionis, quod ipse dederat, & etiam lucra cessantia. Ut, si auferas equum, quem dominus locare consueverat, totum illud pretium solvere teneris: & si à Mercatore auferas pecuniam, quâ ipse negotiarî consueverat, non solùm pecuniam reddere debes; sed etiam omne lucrum, quod ex negotiatione sperabat acquirere, juxta æstimationem spei. His ergo, ut certis suppositis, aliqua dubia solvenda supersunt.

II. Quæritur primò: An qui malâ fide emit, vel accepit aliquid, quod periturum erat apud dominum, & de hoc constabat; teneatur restituere, si illud apud se conservet: vel, si de facto apud ipsum pereat, pretium ejus teneatur reddere?

Et quidem certum est, quòd si dubius esses: an eodem modo res peritura esset apud dominum; tenereris rem, vel pretium ejus, secundùm dubii æstimationem apud Prudentes, domino reddere, etiamsi absque tua culpâ apud te periret: quod dicimus de Depositario moroso, & Debitore, qui est in mora reddendi rem alienam — Certum est etiam, quòd si certò constaret, rem illam esse perituram apud dominum, quia alius fur eam esset rapturus; non excusaris ab onere restitutionis, si eam domino surripias: quia per hoc, quòd furto tuo furium alte-

alterius prævenias, non desinis esse fur, & onus quod alter suscepturus erat, ipse suscipis. Dubium est: quando certò moraliter scires, rem illam domino perituram casu, vel incendio, aut tempestate; & tu prævenis damnum, eam surripiendo. Cui

III. Respondeo cum distinctione. Nam, vel res peritura, quam surripuisti, apud te manet, seu pretium ejus, quia vendidisti eam; vel apud te periit, sed non eodem modo, aut tempore, quo peritura erat apud dominum. Vel res illa certò peritura, quam surripuisti, eodem tempore, ac modo, quo peritura erat apud dominum, apud te periit. Si ergo primo modo contingat; teneris restituere rem, si extet, vel pretium, si non extet, & vero domino tradere: si verò secundo modo, nil teneris restituere.

Ratio primæ partis est. Quia res ubicumque extet, domini est; & ad bonam illius sortem, & commodum pertinet, quòd præservata fuerit: nec debet fur inde commodum reportare, sed eam incolumem domino servare. Si verò rem consumsit, contra domini voluntatem fecit, cui rem suam conservare debuerat. Neque excusatur, quòd apud se perierit: quia sibi imputare debet, qui rapuit rem alienam, non ut domino traderet, quod statim facere debebat; sed, ut sibi eam detineret, & sic cum onere dicto eam accepit. Verum quidem est, quòd cùm res non tanti æstimetur instante periculo; non cum tanto rigore solvere, sed secundùm valorem, quem habebat instante periculo, debebit.

Ratio autem secundæ partis est. Tùm quia: justitiæ ordo solùm petit, ne alteri damnum tuâ actione facias; non verò quòd rem illius in meliorem statum reducas, aut quòd ille commodum reportet: at si res eodem modo esset apud dominum peritura, in nullo cum tuâ actione damnificas: & si ad restitutionem tenereris, commodum ille reportaret, & rem perituram ad meliorem statum reduceres; ergo &c. Tùm etiam: quia in casu allato, per tuam actionem non es causa peremtionis rei alienæ absolutè; sed solùm, quòd pereat apud te res, quæ apud dominum erat peritura: in hoc autem nullum illi damnum de novo infers; ergo sicut in sententia communi occisor non tenetur restituere heredi expensas factas in funere occisi, ab ipso alioquin faciendas, quia in hac parte nullum heredi damnum intulit; sed solùm eum ad anticipatam solutionem coegit: ita in casu

IV. Utramque Assertionis partem placet exemplis explicare. Flagrante incendio, rem alterius indubiè perituram abstulisti: si hanc apud te habes, vel vendidisti, vel casu apud te periit, vel alio incendio, aut tempestate eam amisisti; teneris eam reddere domino, si extet, vel pretium ejus, secundùm æstimationem, quam tunc habebat, quando extabat. Similiter imminente Urbis vastatione, rem alterius surripis, & abscondis, quæ à furibus erat rapienda; teneris postmodum eam domino reddere, modo dicto, si è manibus eorum eripias: sicut etiam si e faucibus feræ bovem, aut lupi ovem Petri, illi reddere debes, vel ejus spolia. — Si verò ovis erepta, ab ipsa ferâ statim auferatur: si in casu vastationis res, quam abscondere volebas, ab hostibus capiatur: si res, quam à tempestate eripueras, iterum à mari absorbeatur, vel quam ab incendio extraxeras, in ignem iterum cadat, nil restituere teneris. Navigabas cum Petro, & ab eo rem pretiosam abstulisti, quæ in eâdem navigatione naufragio periit; non teneris ejus pretium restituere. Furatus es equum morbo occulto, & incurabili laborantem, qui postea eodem morbo sinè tuâ culpâ moritur; non teneris pretium restituere.

V. Quæritur secundò: An si malâ fide acceperis rem alienam, quæ tempore crescens, melior futura erat, &

ante-

antequam melior fieret vendideris, aut peremeris, aut dixtraxeris; tenearis restituere secundùm pretium, quod habebat, quando eam injustè accepisti: an potiùs secundùm æstimationem, quam postea erat habitura. Sit casus. Abstulisti vitulum, aut pullum equinum alterius, & vendidisti, aut peremisti: satisne erit restituere quod tunc valebant, an id quod valituri essent, si adolescerent? Idem dic, si succideris segetes, vineam devastaveris &c.

VI. Respondeo, ex supradictis, quòd si dominus non erat expectaturus, ut res sua deveniret ad meliorem statum; sed in statu, quo eam sustulisti, erat vel mactaturus, vel venditurus: solùm teneris restituere secundùm valorem, quem habebat pro illo statu. Quia ad æqualitatem justitiæ sufficit, ut reparetur damnum alteri illatum: sed supposito, quòd dominus venditurus esset vitulum in eo statu, in quo eum furatus es, solùm passus est detrimentum in valore illius status; ergo cum hunc reparas, ad æqualitatem reparasti. — Si verò dominus servaturus esset rem suam ad meliorem statum; puta vitulum, donec evaderet bos, pullum equinum donec adolesceret in equum, segetes donec maturascerent: teneris restituere, non quantum pro illo tempore erant valitura, sed quanti æstimabitur spes, quam poterat habere dominus rei. Idem dico de eo, qui triticum, aut monetam surripuit ab alio, qui eam servare decreverat usque ad tempus, quo plus valerent: quia quod habetur solum in potentia, & in spe, minus valet.

VII. At si res tempore crescens auferatur à domino, cùm vilior erat, & apud furem crescat, & cum tali incremento extet; restituenda est cum omni suo incremento, etiamsi dominus non fuisset usque ad illud tempus servaturus. Unde si vitulum furatus es, & apud te crevit in bovem; si triticum surripuisti, cum modico pretio valebat, & modò venditur pluris: teneris, ut extant, domino restituere, deductis tamen expensis necessariis. Nec satisfaceres, reddendo pretium secundùm valorem, quem tempore injustæ acceptionis habebant. Ratio est. Quia res, dum extat, semper est domini, & ad eum pertinet ejus incrementum, & status melior: unde si sis in mora restitutionis, & apud te pereat, secundùm illud incrementum pretium reddere debes.

VIII. Sed Quæstio non spernenda oritur: An si res, quam in statu viliori surripuisti, & postea apud te ad statum meliorem venit, deinde rursus in deteriorem statum declinavit; tenearis restituere secundùm majorem valorem, quam habuit apud te. Explico. Furatus es pullum equinum, deinde crevit in equum robustum, debilis deinde factus est: surripuisti triticum, quod tunc valebat decem, crevit postea usque ad viginti, deinde decrevit ad decem. Tenerisne valorem, & incrementum, quod habuit, domino reddere?

IX. Certum est primò: quòd si dominus servaturus esset rem suam usque ad tempus incrementi, & postea tunc eam venditurus, aut consumturus; teneris incrementum illud restituere, quia fur debet restituere domino lucra cessantia: injustâ autem actione, quâ illi rem suam surripuisti, à lucro fuit impeditus. Similiter si res illa apud te decrevit, tale decrementum apud dominum non passura; teneris restituere secundùm valorem prioris incrementi: datur enim damnum emergens, quod teneris resarcire, & res domino cum suo incremento reddenda est.

X. Certum secundò est: quòd si rem tempore decrementi vendidisti, aut consumsisti, quæ apud dominum erat detrimentum passura; & eam dominus erat venditurus, aut consumturus pro tempore, quo viliori pretio æstimabatur: juxta hoc, & non ampliùs teneris restituere. Et ratio

est. Nam in hoc casu ad amplius non teneris, ratione rei alienæ, quia supponimus eam non extare; sed solùm ex injusta acceptione, aut detentione; injusta autem læsio, aut detentio solùm obligat, inquantùm est damnificativa: at in suppositione factà solùm est damnificativa in valore infimo; ergo hunc teneris restituere, & non amplius.

Dubium est: Casu, quo tempore incrementi rem vendideris, quam dominus non erat usque ad illud tempus servaturus, sed tempore vilioris pretii venditurus, aut cosumturus: an tenearis restituere, secundùm æstimationem vilioris pretii, an verò etiam incrementi. Porro res duplicem valorem habere potest: unum ab intrinseco, ut vitulus, postqnam crevit in bovem, ab intrinseco magis valet: aliud ab extrinseco, ut pecunia, triticum, vinum &c. quia nimirum, vel plures emtores superveniunt, vel caritas accidit. His stantibus,

XI. Dico. Mihi probabilius videtur, te obligari ad restitutionem rei, secundùm majorem valorem, quem habuit apud te, sive illud incrementum sit ab extrinseco, sive ab intrinseco; si rem illo tempore majoris incrementi consumsisti, vel vendidisti: etiamsi dominus usque ad tempus incrementi non fuisset servaturus. Et probo, primò. Status optimus rei adhæret rei; ideoque sicut res est domini, ita status optimus rei, domini est; ergo per tuam iniquam consumtionem non est privandus jure suo: & proinde si tunc eam consumsisti, quando pluris æstimabatur, debebis secundùm illam æstimationem restituere — Secundò. Si pretium rei æquivalenter est ipsa res, teneris pro statu illo rem domino reddere; ergo pretium ejus, si eam consumsisti: mora enim tua in restituendo non debet esse tibi proficua, & domino damnosa.

XII. Sed oppones pro contraria opinione, primò. Per hoc, quòd restituatur domino sua res, secundùm valorem, quem in statu viliori habuit, & in quo dominus eam fuerat consumturus, nullum damnum ei irrogatur: sed restitutio solùm obligat ratione damni, quod dominus recepit; ergo &c.

Secundò. Rem vendere, aut absumere hoc, vel illo tempore, est fructus industriæ: sed fructus industriæ, ut diximus, non sunt domini, sed furis; ergo valor, quem habet res, si hoc tempore majoris æstimationis vendatur, erit ipsius furis.

Tertiò. Si triticum, aut pecuniam mutuò accepisti, cum magis valebat; satisfacis, si reddas eandem quantitatem, & qualitatem, etiam cum valet minus; ergo etiam in casu &c.

XIII. Respondeo tamen ad primum, neg. maj. Dominus enim novum damnum patitur, si res sua usque ad statum optimum conservata, ipso invito, vel consumetur, vel distrahatur: quia supposito tali statu jus habebat ad rem, & incrementum ejus, quod rei adhæret. Unde si fur restituat rem, & non incrementum rei, fur plus habebit, quàm debet habere, & dominus minus. Nec enim ad justitiæ æqualitatem sufficit, ut eadem res physicè reddatur; sed eadem cum morali æstimatione, ad quam pervenit, quamdiu sub dominio domini perstitebat.

Ad secundam, nego maj. Tale enim incrementum non est fructus industriæ, sed fructus rei; industria verò est solùm conditio ad eum percipiendum. Cum enim pluris venditur triticum, non datur pretium ob industriam servantis, sed ob rem per industriam servatam: ideoque talis fructus domini rei est. Ut enim supra diximus, semel ac res fructificat, domino fructificat; etiamsi res illa sub domino non esset fructusereditura: unde si vineam, vel agrum colas, quem dominus culturus non erat: omnes asserunt, te debere fructus agri, vel vineæ domino, deductis expensis, etsi tuam industriam apposueris.

Ad

Ad tertiam dico, hanc esse naturam mutui, ut idem in specie reddatur, quod crescere, & decrescere solet; unde incrementum mutuatario, & mutuanti commune est. Non ita in furto, si res absumatur, aut vendatur: quia pretium, cùm sit res ipsa æquivalenter, domino competit, cui utilitas ex re suâ convenire debet, non furi.

XIV. Quæritur tertiò: An qui malâ fide emit rem furtivam, teneatur semper restituere vero domino: an verò possit eam reddere latroni, & rescindere contractum.

Respondeo negativè, nisi sit certus, quòd latro restituet eam vero domino. Probatur. Si enim, ut supra diximus, neque qui bonâ fide emit rem furtivam, potest, cognitâ veritate, rescindere contractum cum latrone; sed tenetur eam vero domino restituere: multò minus poterit is, qui malâ fide emit. Tùm etiam: quia qui rescindens contractum cum latrone, à quo malâ fide emerat rem furtivam; cum scit, eum non restituturum vero domino, fit socius furis, & particeps injustæ detentionis rei alienæ. Imò tenebitur ad restitutionem, etiamsi res apud ipsum non maneat: qui enim sciens, & credens, rem esse furtivam, eam accepit, injustè accepit: qui autem injustè accepit, ait S. Thomas *a. 6. q. 62.* sæpè citatus, tenetur restituere, etiamsi res apud ipsum non sit: ideoque etsi rescindat contractum, si fur non restituat, ipse restituere tenebitur. Et non solùm rem, sed etiam lucrum cessans, & damnum emergens; deductis tamen expensis, si quas facturus erat dominus in sustentanda re suâ. Idem assero, etiamsi res furtiva esset usu consumtibilis: nam etiam acceptio istius fuit iniqua; ergo ratione injustæ acceptionis restituere tenetur, & etiam omnia damna, & detrimenta, si quæ secuta sunt.

§. II.

Resolutiones pro Posteriori Parte.

XV. Dupliciter potest aliquis esse dubiæ fidei possessor. Vel quia ab initio rem acquisivit cum dubio, quòd esset aliena: vel quia licèt eam bonâ fide acquisierit, attamen temporis progressu cæpit dubitare, an esset aliena. Qui autem ab initio cum dubia fide rem acquisivit; vel eam acquisivit, ut traderet vero domino; vel ut eam apud se, & sibi retineret. His stantibus,

XVI. Dico primò. Qui dubitans, rem esse alienam, emit, vel accepit eam, ut quæreret verum dominum, ipsique eam traderet; nec peccat, quia rectè domini negotium gerit; nec tenetur de casu fortuito, si res illa pereat: sed se habebit ut Depositarius illius rei, eam tenens in commodum domini. Unde non tenebitur, nisi de culpa latâ, ut dicebamus supra de Depositario. Tenetur tamen rem illam suo domino restituere, si adsit, deducendo, vel petendo pretium, quod pro illa dedit. Si verò non adsit dominus, tenetur adhibere diligentiam, & ei invento rem tradere, deducto pretio: cùm enim utiliter rem domini gesserit, æquum non est, ut damnum in pretio habeat. Quòd si dominus non compareat, evadit possessor bonæ fidei, & sibi eam retinere potest.

XVII. Dico secundò. Qui dubitans, rem esse alienam, emit eam, ut sibi retineret, peccat contra justitiam; & tenetur restituere ratione rei acceptæ, & injustæ acceptionis, etiam amisso pretio, quod pro ea dedit: quia voluntariè exposuit se periculo rem alienam possidendi. Debet ergo sufficientem diligentiam adhibere, ut dominum inveniat, & ei invento rem tradere. Quòd si factâ omni diligentiâ non invenerit, & dubium cesset, factus est bonæ fidei possessor, & rem

sibi retinere potest. Si autem adhuc perseveret dubium: vel est dubium speculativum; & sic poterit rem sibi retinere, quia in hoc casu illi favet regula: *In dubiis melior est conditio possidentis*. Si verò sit dubium practicum, censent multi, rem illam totam esse dividendam inter pauperes: quamvis alii autument, posse sibi retinere pretium, quod erogavit in re illâ emendâ. Neque illi favet regula præcitata: *In dubiis melior est &c.* Nam hæc ei soli favet, qui bonâ fide accepit possessionem; non verò ei, qui malâ, vel dubiâ fide possessionem accepit.

XVIII. Dico tertiò. Qui bonâ fide rem accepit, postea verò cæpit dubitare, an res illa esset aliena; tenetur omnem diligentiam adhibere, ut dubium deponat: & invento vero domino rem restituere, & ea in quibus ditior factus est. Si verò dominum non inveniat, & dubium deponat, poterit sibi rem retinere. Quòd si adhuc dubium practicum, & prudens perduret; probabile est, posse sibi retinere, favente illi prælaudatâ regulâ, quæ debet intelligi in possessore bonæ fidei, & in casu jam diligenter examinato: quia tunc reverâ dubium magis est speculativum, quàm practicum. Quòd si diligentiam omiserit, verius est, eum teneri restituere rem, & fructus, inde post exortum dubium perceptos, pro quantitate dubii.

XIX. Is autem qui bonâ fide cæpit possidere, & postea dubitat; durante diligentiâ in investigando domino, non poterit uti re illâ, de qua dubitat, si sit usu consumtibilis: frustra enim dominus inquireretur, si rem illam possessor consumeret. Poterit tamen illis rebus uti, quæ usu non consumuntur, ut equis, mancipiis; paratus solvere vero domino pretium illius usus, deductis expensis alimentorum &c. Si autem post inquisitionem maneat dubium, poterit rem vendere, & distrahere; quia inutiliter retineret sibi, si eam alienare non posset. Si tamen eam vendit, tenetur emtori hoc dubium aperire. Et hoc: tùm quia, res cum hoc dubio, minori pretio æstimatur. Tùm, ne postea, domino comparente, damnum sequatur emtori. Hoc tamen intellige, si sit moralis spes, quod dominus compareat: hac enim cessante, non tenetur possessor monere emtorem, quia tunc emtor morali periculo damni non exponitur. An verò cum tali dubiâ fide currere possit præscriptio, quando bonâ fide possessio cæpta est; diximus supra, agentes de Præscriptione.

DUBIUM VII.

De Iis, qui Alterius Damno Cooperantur.

§. I.

Quædam Generalia Supponuntur.

I. De hoc agit S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 7. cujus verba subjicio: *Ad restitutionem tenetur aliquis non solùm ratione rei alienæ quam accepit, sed etiam ratione injuriosæ acceptionis. Et ideo quicumque est causa injustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem. Quod quidem contingit dupliciter, directè scilicet, & indirectè. Directè quidem, quando inducit aliquis alium ad accipiendum. Et hoc quidem tripliciter. Primò quidem modo ex parte acceptionis, movendo ad ipsam acceptionem; quod quidem fit præcipiendo, consulendo, consentiendo expressè, & laudando aliquem quasi strenuum de hoc, quòd aliena accepit: alio modo ex parte ipsius accipientis, quia scilicet eum acceptat, vel qualitercumque ei auxilium fert. Tertio modo ex parte rei acceptæ: quia scilicet particeps est furti, vel rapinæ, quasi socius maleficii.*

Indirectè verò: quando aliquis non impedit, cùm possit, & debeat impedire, vel quia subtrahit præceptum, sive consilium impediens furtum, vel rapinam:

nam : vel quia subtrahit suum auxilium, quo posset obsistere, vel quia occultat post factum. Quæ his versibus comprehenduntur

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

II. *Sciendum tamen* (pergit S. D.) *quòd quinque præmissorum, semper obligant ad restitutionem. Primò* Jussio: *quia scilicet ille, qui jubet, est principaliter movens: unde ipse principaliter tenetur ad restituendum. Secundò* Consensus: *in eo scilicet, sinè quo rapina fieri non potest. Tertiò* Recursus; *quando scilicet aliquis est receptator latronum, & eis patrocinium præstat. Quartò* Participatio: *quando scilicet aliquis participat in crimine latrocinii, & in præda. Quintò tenetur ille, qui* non obstat, *cùm obstare teneatur: sicut Principes, qui tenentur custodire justitiam in terra; si per eorum defectum latrones increscant, ad restitutionem tenentur: quia reditus, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut justitiam conservent in terra.*

In aliis autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper Consilium, *vel* Adulatio, *vel aliquid hujusmodi est efficax causa rapinæ. Unde tunc solùm tenetur* Consiliatur, *aut* Palpo, *idest, adulator, ad restitutionem; quando probabiliter æstimari potest, quòd ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta.* Hactenus S. Thomas

III. Ex his sequitur, quòd qui præcipit, consulit, aliove modo ex dictis movet executorem ad damnum, quod paratissimus erat exequi, etiam sinè jussione, & consilio; peccat quidem contra caritatem, non tamen contra justitiam, nec tenetur restituere. Quia tunc mandatum, consilium est inefficax, & de facto non influit in effectum; influxus enim istarum causarum est in ordine ad movendum alium, ut faciat, quod aliàs non fecisset; ergo si ille jam est determinatus, & applicatus ad agendum, nullum influxum in tale damnum exhibent: & ideo S. Thom. supra obligat ad restitutionem solum eum, qui est causa efficax injustæ acceptionis.

IV. Sequitur etiam, eum, qui suadet minus malum parato majus malum exequi; si aliâ viâ à malo nequeat eum avertere, non teneri ad restitutionem. Puta, si parato furari centum, quem à furto removere non potest, suadeat, ut solùm quinquaginta furetur; parato occidere hominem, suadent, ut solùm vulneret: quia hoc non tàm est malum consulere, quàm à majori malo avertere; & cùm totum malum averti non possit, eligere minus malum. Crederem tamen, hanc regulam tunc solum verificari, quando adhibitâ omni efficaciori suasione ad eum deterrendum à furto, adhuc non vult desistere. Quòd si nullâ adhibita suasione ad eum deterrendum à furto, suadeas illi, ut furetur solùm tantum; non adeo de facili ab onere restitutionis liberarem: quia tuâ suasione fortè poteras furtum prorsus impedire.

V. Similiter si postquam minus malum suasisti, adjuvares ad minus malum, puta, ad furandum quinquaginta, vel ad mutilationem, eum, qui paratus erat furari centum, vel occidere; teneris restituere, quia verè influxisti, & fuisti causa efficax talis damni. Sicut etiam, si qui paratus erat ad majus malum, erat dispositus ad utrumque omittendum; tuâ suasione, aut consilio elegit minus malum. Sed de his plura infra.

§. II.

Solvuntur Quæsita Generalia.

VI. Quæres primò: An si mandes, consulas, sive alio modo moveas executorem non paratum damnum inferre; ut damnum inferat, & de facto inferat: tenearis ad restitutionem, si scias alium fore, qui

qui tali mandato, vel consilio eum moveret, quamvis tu tale mandatum, vel consilium non dares.

VII. Omissis aliter sentientibus, respondeo, te ad restitutionem teneri. Et ratio est. Quia verè es causa efficax damni: non enim est causa efficax solùm ille, sinè quo damnum non fieret; sed qui verè influit, etiamsi daretur alius, qui eodem modo influeret: cùm possit idem effectus à pluribus causis esse divisivè; ergo quamvis malefactor alterius mandato, vel consilio tale damnum facturus esset; si tamen reverâ tuo mandato, aut consilio fecit, fuisti efficax causa, ut faceret, & ad restitutionem teneris. Alioquin, si tu non teneris, multo minus tenebitur ille, qui mandatum, vel consilium erat daturus, sed non dedit. Sicut, si non teneretur ipse malefactor, qui revera damnum intulit; multò minus teneretur alius malefactor, qui tale damnum daturus erat, sed non dedit; ergo, ne dicatur, neminem teneri restituere, teneris tu, qui reverâ fuisti causa, ut fieret: qui enim primus ad damnum influit, in se suscepit onus restitutionis, quod alius suscepturus erat, si primus non influeret.

VIII. Idem fortiùs dico de executore, qui executus est damnum, quod alius executus fuisset, executus tamen non fuit: quia iste verè intulit damnum. Vel de eo, qui de facto concurrit ad iniquam acceptionem, quæ aliàs sinè suo concursu secutura erat, vel ignem ferendo, vel scalas admovendo, etiamsi non deessent alii, qui fuissent idem facturi: hi ad iniquam actionem partialiter de facto cooperantur. Alioquin sequeretur, quòd si duo lethaliter Petrum percuterint, neuter esset causa occisionis, nec restituere teneretur: quia sinè concursu unius, Petrus adhuc moreretur, accepto vulnere ab altero. Sequeretur item, quòd in vastatione Civitatis per bellum manifestè iniquum, nemo militum teneretur restituere, nisi damnum singulare, quod ipse fecisset; quia sinè quolibet milite vastaretur Civitas: & quod quando multi simul devastant vineam, nemo teneretur restituere, nisi damnum, quòd ipse dedit.

IX. Regula ergo generalis statuenda est: quod ille dicitur causa injustæ acceptionis, vel injuriosæ actionis, ad cujus actionem sequitur injusta acceptio, vel injuriosa actio; sive aliàs sequeretur, sive non. Ubi notandum cum Bannez, super hunc a. 7. quòd cùm hìc de moralibus actionibus sermo sit, etiam sequela effectus moraliter, non physicè accipienda est: Ex quo fit, quòd sicut potest contingere, quod aliquis sit causa simpliciter moralis, & nullo modo physica, qualis est consulens furtum; ita potest contingere, quòd aliquis sit causa moralis simpliciter, & causa physica solùm secundùm quid, & partialis, quia, nempe, sit tantùm concausa. Sit exemplum. Petrus consentiens cum Paulo in furto talenti aurei, concurrit cum illo ad frangendas fores, vel arcam, quas solus Paulus frangere non poterat; & cum eo concurrit etiam ad portandum pondus auri, quem solus Paulus portare non poterat. Tùm Petrus non est simpliciter causa physica, sed solum concausa illius furti; est tamen simpliciter causa moralis: causa enim moralis simpliciter illa est, quæ est simpliciter voluntaria, & libera. Cùm igitur totus ille effectus, nempe, furtum talenti aurei sit voluntarius Petro directè, vel indirectè; sit, ut ille effectus, quem physicè facit Paulus, imputetur Petro, quia objectum suæ liberæ voluntatis; & effectus, quem physicè facit Petrus, imputetur Paulo, quia illi pariter est voluntarius: & ideo, quòd uterque teneatur ad integram restitutionem, si alter non restituat, ratione iniquę acceptionis. Quare cum obligatio restituendi oriatur ex actione iniquâ, non quatenus physicâ, sed quatenus moralis; fit, quòd etsi plures concurrant ad damnum, quod nullus solus

lus potuisset facere: tamen singuli tenentur totum restituere, quia singulis totum est voluntarium. Et hoc præ oculis in hac materiâ habendum est.

X. Quæres secundò: An si consulas, aut mandes, aut alio modo ex dictis moveas paratissimum ad faciendum damnum, ut celeriùs, libentiùs, atrocius, vel graviùs exequatur; tenearis ad satisfactionem totius damni: an verò sufficiat, ut pro eo solùm, ad quod movisti, restituas?

XI. Mihi videtur cum distinctione respondendum. Vel enim tuo consilio fuisti causa, ut atrociùs, & graviùs exequeretur, quod tunc quidem illaturus erat damnum, sed non ita atrociter: & in hoc casu dicerem, te non teneri, nisi ad excessum damni, qui secutus est ex tuo consilio, & cujus fuisti causa efficax moralis. Quia in tali casu, cùm malefactor esset paratissimus ad tunc agendum; non fuisti causa moralis iniquæ actionis, quoad substantiam, quam patraturus erat, sed solùm quoad circumstantiam excessus, & atrocitatis. — Vel actionem iniquam, quam erat paratissimus quidem, sed non erat paratus exequi tunc, tuo consilio accelerasti, & fuisti causa moralis, ut tunc patraret: & in hoc casu dicerem, te teneri non solùm ad circumstantias damni, sed ad totum damnum. Nam etsi decrevisset ex animo parato totum illud damnum inferre; quia tamen decreverat differre executionem, poterat, aliquâ superveniente circumstantiâ, mutari, & ad meliorem sensum reduci: unde tu illum movens ad accelerandam executionem, factus probabiliter es causa totius damni. Et hac viâ conciliantur sententiæ oppositæ.

XII. Quæres tertiò: Quid si in dubio fueris, an aliquo ex prædictis modis moralem influxum ad injustam actionem præbueris: teneberis ne restituere?

Respondeo negativè. Tùm quia reus in pari causa absolvitur, *Leg. 2. ff. de Condiction. ob turpem causam*. Tùm quia: in dubio melior est conditio possidentis: tu possides indemnitatem à restitutione, & dubius es de damno illato; ergo practicè deponere debes illud dubium, & tuâ conscientiâ judicare, te non teneri. Hoc tamen pensandum esse, crederem, secundùm qualitatem dubii: si enim ita dubitares, ut magis propenderes ad tenendum probabiliter, te ad tale damnum cooperatum fuisse: fortè teneberis novam facere diligentiam, ne tuam illaquees conscientiam.

XIII. Quæres quartò: An qui suo pravo exemplo est occasio, & causa mali, movendo per illud alios, ut furentur, occidant, infament &c. teneatur ad restitutionem. Ut si quis vineam alterius ingrederetur, ut furaretur, quo exemplo, videntes alii ad simile facinus excitarentur?

XIV. Respondeo negativè. Nam peccatum scandali est quidem contra caritatem, sed non contra justitiam (nisi fortè in aliquo, qui ex officio teneretur suis bonis moribus, & exemplo malum spirituale avertere, ut Episcopi, & Prælati) obligatio autem restituendi oritur solùm ex actione contra justitiam. Ratio etiam est. Quia pravum exemplum non est causa influens in actionem pravam alterius; licèt sit occasio, ex qua alius suâ malitiâ motus malum exequitur. Et hoc etiamsi, qui pravum exemplum dedit, fecerit animo inducendi alios ad malum: quia internus animus non influit injustitiam in actum externum, quam ex se non habebat; & obligatio restitutionis nascitur solùm ex opere externo injusto. Imò, addunt aliqui, neque Episcopos, aut Prælatos peccare contra justitiam suo malo exemplo. Quia licèt teneantur ex officio spiritualibus, famisque doctrinis populos imbuere; non tamen moribus suis illos ædificare: nec subditi debent respicere ad id, quod faciunt, sed ad id, quod dicunt, secundùm illud Christi, *Matth. 23. v. 3.* de

Scribis, & Pharisæis, qui sedebant super Cathedram Moysi: *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt.*

DUBIUM VIII.

De Singulis Modis, quibus contingit ad Injustam Actionem Cooperari.

§. I.

Jussio.

I. Novem, ut supra dicebamus, ex S. Thoma sunt modi, seu genera personarum, præter executorem, quæ ad injustam actionem concurrere possunt. Ex his quædam positivè, & directè influunt, nempe, sex priora: *Jussio*, *Consilium*, *Consensus*, *Palpo*, *Recursus*, *& Participans*. Alia tria, nempe: *Mutus*, *non obstans*, *non manifestans* solùm negativè, & indirectè concurrunt. De sex prioribus primò agemus, deinde de tribus posterioribus.

II. *Jussio*. Nomine Jussionis intelligitur omnis, qui mandat, injustitiam fieri, ad quam alter non erat paratus. Hunc ergo teneri ad restitutionem, diximus supra cum S. Tho. sive habeat potestatem imperandi, sive non; dummodo ex ejus imperio sequatur injusta actio: sive expressè id jubeat, sive solùm tacitè. Ut si dominus coram suis subditis conqueratur, quòd nemo suam injuriam ulciscatur, dicens: nemo me vindicabit? Quantam gratiam mihi faceres, si Petrum occideres, aut vulnerares? Hac ratione interfectio S. Thomæ Cantuariensis imputata fuit Henrico II. Angliæ Regi: quòd cùm conquereretur, se in suo Regno cum uno Sacerdote pacem habere non posse; ex ea voce animati nefarij satellites, sperantes, se rem gratam Regi facturos, Sanctum Antistitem occiderunt.

III. Si tamen revocaverit mandatum, & hoc innotuerit Mandatario ante executionem damni; non tenetur ad restitutionem, etsi damnum sequatur: quia tunc non influit amplius in damnum. Cùm enim mandatum influeret dependenter à voluntate mandantis; si mandans declarat Mandatario oppositam voluntatem, ille ex sua malitiâ, non ex mandante movebitur, & operabitur, si damnum adhuc exequatur. Et hoc (ajunt) verum est, etsi tacitè mandans revocaverit mandatum, & Mandatarius id viderit: puta, si viderit, eos, qui antea erant inimici, fuisse invicem reconciliatos. Si verò mandans solùm internè retractaverit, vel retractatio non innotuerit Mandatario, nisi post factum; mandans tenebitur ad totum damnum, quod Mandatarius exequitur, nisi tamen excedat terminos mandati; ut si jusserit, ut solùm leviter percutiat inimicum, & Mandatarius eum occidat; si ut furetur solùm decem, & alter furetur centum: tunc enim solùm tenetur ad partem damni, quam fieri jussit.

IV. Cautè tamen procedendum esse censerem, in eximendo ab onere restitutionis in totum, eum, qui licèt mandaverit solam verberationem, in facto tamen secutum est homicidium. Quia jus Canonicum non solùm subjicit irregularitati eum, qui mandavit occisionem hominis; sed etiam, qui mandavit verberationem, si ex ea sequatur homicidium, quod videtur merè casuale, respectu mandantis; illi tamen imputatur, quia propter illicitum mandatum occasionem homicidio præbuit. Unde, *Cap. Is, qui Mandat. De Homicidio, in 6.* dicitur: *Is, qui mandat aliquem verberari, licèt expressè inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat: cùm mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.* Ut enim ait Glossa ibi, debuit mandans cogitare, quòd

quòd alius se defenderet, & quòd verberans animatus contra ipsum taliter eum verberaret; ut inde sequeretur mors, vel mutilatio membri.

Si verò mandasset aliquod opus licitum, ex quo verosimiliter nullum sequi deberet homicidium, aut mutilatio, quamvis deinde per accidens alterutrum sequeretur: cùm præcipiens in tali casu, nil mandaverit illicitum, nec teneretur prævidere, imò nec posset; certum est, non teneri ad restitutionem, sicut nec incurrere irregularitatem, ut declaravit Innoc. III. *Cap. Dilectus.* Ubi casui proposito de quodam Capellano, qui cum quadam corporis molestiâ laboraret, ut comedendi appetitum excitaret, equum, quem nutriebat, ascendit: qui fracto freno, & procul abjecto sessore in obviam mulierem infantem gerentem irruens, infantem, quem gerebat, oppressit; ita rescribit: *Mandamus quatenus, si est ita, cùm idem Capellanus nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitæ rei, non impedias, quo minus divina possit officia celebrare.* Idem dicerem de patre, vel domino mandante alicui discretæ personæ, ut moderatè filium, vel servum verberet, ob aliquam culpam. Tunc enim dominus, aut pater nullam culpam incurret, licèt accidat, quòd filius, vel servus in executione occidatur.

§. II.

Consilium.

V. Hoc nomine venit omnis, qui scienter, aut ex ignorantia culpabili consilium præbet ad malum alteri injuriosum. Similiter qui petit, rogat, instruit, rationibus persuadet, munera promittit, blanditiis allicit ad damnum inferendum, illum, qui ad illud inferendum paratus non erat. Is tenetur ad restitutionem damni secuti: quia ex motione, suasu, consilioquè ejus efficaci secutum est, quod alioquin non fuisset secutum.

Ut autem quis ex consilio dato teneatur ad restitutionem, oportet, ut malitiosè, & cum dolo processerit. Si enim bonâ fide, & imprudenter potiùs, quàm malitiosè, consilium dedit, ex quo malum alteri secutum est; non tenetur restituere, juxta juris Regulam 62. in 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Excipe tamen, si ad id per Rempublicam stipendio conductus, consilium dare teneretur. In hoc enim casu censent aliqui, teneri ad restitutionem damnorum, si ex ejus consilio data injustè sint: quoties tamen in dando consilio commisit culpam notabilem, sive latam, sive etiam levem. Quia cùm supponatur in tali materiâ peritus; ejus consilium non amplecterentur consulentes, nisi ejus probatæ peritiæ confiderent. Idem dicunt, de Confessariis, qui aliquod pravum consilium ex ignorantia culpabili pœnitentibus darent (si non possint consilium datum retractare) puta, si obligarunt pœnitentem ad restitutionem, quando non erat facienda; vel eum exemerunt, quando erat facienda. Quod colligunt ex *Cap. Si culpâ. De Injur. & damno dato*, ubi dicitur: *Si culpâ tuâ datum est damnum .... aut hac imperitiâ tuâ, sive negligentiâ evenerunt, jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere, vel jacturam.*

VI. Porro ad dignoscendum, quando consilium (in eo, qui ex officio non tenetur) fuerit bonâ fide datum, quando verò fraudolenter, & dolosè; regula hæc haberi potest. Cùm consilium datum fuit de perpetrando delicto, cognito ut tali; tunc regulariter tenetur Consiliator resarcire damna inde secuta: quia in tali consilio adesse videtur fraus, & dolus, vel in præjudicium ejus, qui consilium recipit, vel illius contra quem datur. Et rursus: præ oculis habenda est regula

gula S. Tho. hàc q. 62. a. 7. quòd *Tunc solùm tenetur Consiliator, aut Palpo, idest, adulator, ad restitutionem; quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta.*

VII. Quid autem dicendum sit de Advocatis, si consilio suo, & operà injustæ causæ patrocinentur; & ut eam prosequantur Clientibus consiliantur.

Respondet S. Thomas 2. 2. q. 71. *art.* 3. *in corp.* ubi postquam dixit: *Quòd illicitum est, cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adjuvando, sive qualitercumque consentiendo; quia consilians, & coadjuvans quodammodo est faciens. Et Apostolus dicit, Rom.* 1. *quòd* Digni sunt morte, non solùm qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus: *Unde & supra dictum est, quòd omnes tales ad restitutionem tenentur.* Concludit: *Manifestum est autem, quòd Advocatus auxilium, & consilium præstat ei, cujus causa patrocinatur. Unde si scienter injustam causam defendit, absque dubio graviter peccat; & ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam, per ejus auxilium, altera pars incurrit. Si autem ignoranter injustam causam defendit, putans esse justam, excusatur secundùm modum, quo ignorantia excusari potest.*

Addit S. D. ibi ad 2. *Quòd Advocatus si in principio credidit, causam justam esse, & postea in processu appareat, eam esse injustam; non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet: potest tamen, & debet causam deserere, vel eum, cujus causam agit, ad cedendum inducere, sive ad componendum sinè adversarii damno.* Et *ad* 3. Sicut, inquit, *Militi, vel Duci exercitus licet in bello justo ex insidiis agere ea, quæ facere debet, prudenter occultando, non autem falsitatem fraudulenter faciendo; quia & hosti fidem servare oportet .... Ita & Advocato defendenti causam justam licet prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus ejus; non autem licet ei aliqua falsitate uti.*

VIII. An verò Advocatus possit suscipere causam dubiam. — Certum est, posse, quando sic est dubia, ut utraque pars sit æquè probabilis, aut saltem parum abest: potest autem tunc utram voluerit, sive actoris, sive rei partem tueri, modò Clientem suum moneat istius dubietatis. Neque est simile de Advocato, ac de Judice. Nam Judex cùm teneatur inter utramque partem jus dicere, cæteris paribus, magis reo favere debet, quàm actori, juxta regulam 11. Juris in 6. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quam actori.* Advocati verò munus solum est explicare, & defendere causam sui Clientis. Quam ob causam etiam quando una pars omnino est probabilior, ita tamen, ut altera verè etiam sit probabilis; licitum est Advocato suscipere defendendam partem minus probabilem, si Cliens est reus, & istius minoris probabilitatis monitus, velit litem prosequi. Cùm tamen Judex non possit judicare etiam secundum opinionem minus probabilem, cujus oppositum damnavit Innocentius XI. *Propositione* 2. Et ratio est. Primò. Quia reus licitè se in ejusmodi casu defendit; ergo etiam licitè potest ab alio defendi. Secundò. Quia opinio, quæ aliquibus videtur minus probabilis, fortasse videbitur Judici probabilior, saltem ut ab Advocato bonis rationibus confirmata.

An verò idem liceat Advocato, quando ejus Cliens est actor, ambiguum est. Verius videtur non licere, quando agitur de pœna capitis, sive alio gravi damno. Nam Actor contra caritatem agit, reum probabiliori sententiæ nixum ad præfatam necessitatem adigere volens; cùm ex caritate potiùs teneatur illi subvenire; ergo similiter contra caritatem agit Advocatus. In aliis verò causis fortè licebit. Nam cùm nullum sit gravis ne-

cessi-

cessitatis periculum, etiamsi perdat Litem, & non semper, id quod videtur probabilius, sit verius; actor potest bonâ fide velle, se subjicere determinationi Judicis, & consequenter etiam Advocatus potest eum sic volentem adjuvare.

IX. Difficultas, quæ in hac re gravis est, vertitur in hoc: An casu, quo Consiliator revocaverit consilium, & hoc innotuerit ei, qui consilium petiit, qui tamen hoc non obstante executus est opus malum; Consiliator ab onere restitutionis liberandus sit. In hoc certum est, ex dictis supra de mandante, quòd si revocatio non innotuit ei, qui consilium accepit: Consiliator adhuc restituere tenetur, nec prodest illi sua retractatio. Certum similiter est, quòd si consilium falsum sit, aut falsæ narrationi innixum, sufficit, ut Consiliator retractet se, & quod retractatio innotescat ei, qui consilium accepit; ut non amplius ad restitutionem teneatur, etiamsi damnum ex alterius malitiâ sequatur. Sit exemplum. Petrus à te consilium petit, an teneatur restituere: respondes falsò, non teneri. Si postea ei dicas, te falsum consilium dedisse, & verè ipsum teneri: si postea Petrus non restituat, ejus malitia est, non tua culpa, qui consilium revocasti. Similiter si des consilium Titio, ut occidat Cajum, quem dicis occidisse fratrem suum: si postea retractes, & dicas, te deceptum fuisse, revera enim Cajus non occidit fratrem ejus; satis est, ut non tenearis, etiamsi sequatur occisio Caii. Idem dicito de Consultore idiotâ in ea facultate, in quam se se doctum finxit. Si enim revocat dicta, ostendendo suam inscitiam in illa materiâ, satisfacit; quia reverâ non fuit Consultor, sed fallax loquutor.

X. Quare dubium restringitur: An quando consilium datum est, & simul ostensa convenientia, & utilitas rei consultæ; puta, ut quis occidat, vel rapiat alienum ob hæc, & hæc motiva, ingerendo doctrinam, & dictamen in mente; sufficiat revocatio per contrariam doctrinam, & rationem, quâ Consultor omnibus modis conetur avertere alium à damno, quod priùs consiliatus fuerat.

Respondeo, probabiliorem videri partem affirmativam: ita ut Consultor, qui fecit, quod potuit, ut ab alio averteret doctrinam, quam priùs ingesserat, liber maneat ab onere restitutionis; etiamsi malum inde sequatur. Quia, ut dictum est, malum inde secutum non videtur amplius à consiliante procedere, sed à malitia illius, qui exequi voluit: estò enim, revocato consilio, adhuc maneat dictamen in mente ejus, qui consilium accepit, quasi physicè; non manet tamen amplius in ratione causæ moralis, & motivæ: vel si adhuc manet in ratione causæ moralis, hoc est ex prava voluntate illius, qui accepit; non ejus, qui consilium dedit, qui fecit, quod potuit, ut eum moraliter revocaret.

XI. Sed petes primò: An consilians seu mandans teneatur non solùm ad damna secuta tertio resarcienda; sed etiam ad secuta mandatario, sive ei, cui consilium dedit, estque executus, quæ mala prudenter timeri poterant? Ut si consilium des Petro, ut inimicum occidat, & Petrus, dum vult occidere inimicum, ab inimico occidatur; debebis ne damna secuta Petro reparare?

Consiliantem non teneri certum judico. Quia sequens consilium sibi imputare debet damna inde secuta, cùm potuerit illud non sequi, nec secutus sit coactus, sed prorsus volens; nisi tamen in Consiliatore fuerit dolus: quia *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*, ut habet *Regula 62. Juris in 6.* — De mandante potiùs difficultas est. Cui respondeo. Nam vel mandans est Superior, vel non: si est Superior, verius est, eum teneri ad damna secuta mandatario, quæ probabiliter timeri poterant: quia quod quis facit ex

ex voluntate Superioris, non tàm voluntariè, quàm veluti coactè videtur facere: imperium enim est quædam moralis vis. Si verò mandans non sit Superior, sed dato stipendio mandat: tunc dico, mandantem non teneri, quia mandatarius voluntariè prorsus periculo se exposuit. Scienti autem, & consentienti non fit injuria.

XII. Petes secundò: An qui ratum habet homicidium, vel furtum nomine suo factum, cui nec mandatum dedit, nec consilium, teneatur restituere?

Respondeo negativè. Quia nec tenetur ex re alienâ, quam supponimus apud ipsum non esse: neque ex injusta actione, quia per ratihabitionem non influit ad damnum, quod supponimus datum pro tempore priori ad ratihabitionem: ideoque licèt talis ratihabitio grave peccatum sit, & contra justitiam; cùm tamen non sit actu damnificativa, seu efficax causa damni, sed solùm inefficax, quia complacentia illius, non infert debitum restituendi — Nec dicas. Regulâ 10. *Juris in 6.* ratihabitionem mandato comparari — Respondeo enim, ibi jura, vel loqui de ratihabitione supponente mandatum implicitum, vel loqui de pœna in foro externo: vel comparare ratihabitionem cum mandato in malitia peccati; ejusdem enim speciei peccatum est.

Si verò ex ratihabitione moveretur alius ad non restituendum; jam ratihabitio fieret causa injustæ detentionis; & tunc teneretur ad restitutionem.

§. III.

Consensus.

XIII. Nomine consensus non intelligitur pura complacentia de malo alterius: hæc enim, si nullo modo influat in illud, non indueit debitum restitutionis. Ille ergo ratione consensus restituere tenetur, qui suo consensu influit efficaciter in damnum; ita ut sinè illo non fieret. Ut dum quis subscribit injustæ liti, aut condemnationi, aut consentit in bellum injustum: dum fert suffragium in electione indigni, vel consensu suo cooperatur ad aliquod damnum, quod sinè eo non fieret. Ex quo fit, teneri ad restitutionem. Consiliarios Principis, si consilio suo inducant Principem ad indicendum injustum bellum, quod aliàs non indiceret. Si verò Princeps jam determinatus ad illud congregat eos, non ad consilium, aut suffragium; sed ut præbeant assensum suum, ut sic bellum Princeps libentiùs exequatur; graviter quidem peccabunt assentiendo, non tamen tenebuntur ad restitutionem: quia positio illius mali non pendebat ex eorum consensu, cùm præciso eorum consensu esset ponendum. Idem dico cum S. Thoma, hâc *q. 62. a. 7.* de consensu in rapinam: si enim sinè illo rapina adhuc fieret, non est obnoxius restitutioni; benè tamen si sinè illo non fieret: quia tunc censetur causa moralis efficax rapinæ.

Hoc tamen dubitatur: An qui subscribunt injustæ sententiæ, aut suffragium ferunt in electione indigni, restituere teneantur.

XIV. Dico, quòd vel suffragium suum est necessarium ad illud malum, quia aliàs sinè illo sententiam ferre, aut eligere non possent; & tunc tenetur restituere, quia est causa efficax damni illius. Et idem dico de illis, qui cum suffragia sua ferre possent in capitulo, vel congregatione, quibus prævident impediendum fore aliquod malum, & denegant: quia tunc, estò non sint causæ influentes, sunt tamen causæ non obstantes, ut infra. Ac denique si omnes conspirent, vel conveniant ad suffragium malè ferendum cum damno tertii; sive unus prior, sive posterior suffragium ferat: quando erant omnia vota necessaria, omnes tenentur restituere, quia jam omnes sunt causæ illius damni.

XV.

XV. Porro si suffragium unius non est necessarium, quia jam majoris partis suffragia, & sufficientia præcesserant, & ad suffragandum eos non movit; non tenebitur ad restitutionem, si postea subscribat, aut suffragium ferat: quia cùm jam præcedat causa sufficiens ad inferendam injustam actionem, non influit efficaciter in illam — Non tamen ab onere restitutionis excusabitur, si licèt sciat, subsequentes laturos suffragium in eam partem, ipse prior suffragium tulit: sed pot ùs alii liberantur, & ille sicut prævenit injustam actionem, influendo prior in illam, onus suscepit restitutionis. — Quando verò publicè suffragium fertur, si qui posterior laturus est, prudenter judicet, alios, qui priores tulerunt, mutaturos esse animum, si ipse suffragium ferat in oppositum, & non ferat; tenebitur ad restitutionem, quia jam suffragium illius factum est necessarium ad malum, quod, eo denegato, fortè non fieret. Nec in dubio judicandum est, alios non convincendos, ejus judicium audiendo; quia in dubiis non est præsumendum delictum.

XVI. An verò teneatur adhuc in casu, quo quis dubitet: an suffragium suum fuerit ex prioribus, & necessariis ad malum, an ex posterioribus, postquam jam sufficientia præcesserant; aliqui negant. Sed veriùs dicendum est, teneri. Quia si ipse non teneretur, nec tenerentur alii Electores: nam hoc ipso, quòd sit dubium, an suffragium tuum fuerit ex prioribus, an verò ex posterioribus, & consequenter, an fuerit necessarium, vel non; etiam alii dubitabunt, an eorum suffragium fuerit necessarium; ergo nemo tenebitur; ne ergo hoc dicatur, omnes teneri necesse est. — Addo: quòd constat de damno ab ipsis communiter facto, & sic possessio stat, pro illo: & propterea ipsis incumbit ostendere, se non influxisse in illud, ut singuli ab onere restituendi liberentur.

§. IV.

Palpo, & Recursus.

XVII. Palponis vocabulo veniunt omnes, qui laudibus, adulatione, vel plausibus cooperantur, & influunt ad damnum proximè. Puta, si quis alicui injuriato nobilitatem suam, & vires exaggeret; ex quo ille movetur ad vindictam sumendam. Illi pariter, qui offensum vituperant, aut irrident, vel conviciis afficiunt, eo quòd non ulciscatur, aut non rapiat, vel aliquod damnum proximo inferat: si ex hoc moveretur ad inferendum tale damnum, quod aliàs non esset illaturus. Quia hi omnes revera influunt in injustam actionem, & sunt causæ efficaces illius: & ideo tenentur compensare damnum datum. Ille etiam, qui exprobaret marito, quòd toleret adulterium uxoris; ex quo moveretur ad eam occidendum, vel adulterum. Nec excusantur eo quòd non fecerint animo ipsum movendi ad tale damnum; si verosimiliter judicarunt, in illis circumstantiis, vel ex modo loquendi ipsorum, alterum fore incitandum ad malum faciendum: quamvis fortè bona fides, & ignorantia, vel inadvertentia videatur aliquando posse excusare.

XVIII. *Recursus*. Per hoc explicatur, quòd receptator furis, aut alterius malefactoris dans ei securitatem, & commoditatem ad damnum alteri inferendum, vel ad continuandum in hoc, tenetur ad restitutionem damni inde secuti. Qui enim, antequam delictum fiat, recepit, fovet, custodit, defendendit malefactorem, aut servat instrumenta illius, ut commodiùs, & liberiùs posset exequi maleficium; verè coadiuvat, & cooperatur efficaciter ad illud malum, estque moralis causa illius, ut omnes sentiunt. Hinc S. Augustinus (*Ep.* 54. modò 153. *ad Macedonium*, relatus, *Can. Si res aliena*. 24. q. 6.) ait: *Illud verò &*

rò fidentissimè dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat; & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis, & criminis. Nam misericordiùs opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendimus. Non enim opem fert, qui ad peccandum adjuvat, ac non potiùs subvertit, atque opprimit. Quibus præcipuè Advocatos, & Judices perstringit, dum furibus, vel patrocinantur, vel permittunt similia agere.

XIX. Nomine autem Receptatorum furum, aut similium veniunt etiam Magnates, & alii viri potentes; qui cùm videant suos famulos suæ protectioni, ac potentiæ fidere, & eorum clypeo plures injustitias committere, eos fovent, ac tuentur: hi enim ad restitutionem damnorum tenentur. Similiter qui latronem occultavit, ejusque instrumenta servavit, eique asylum dedit, ut liberiùs, & commodiùs furaretur. Pariter qui furtum à latrone factum recipit, & custodit; si fur tali securitate ad ulteriùs furandum excitetur: tenetur, inquam, non solùm ratione injustæ actionis, si ex tali receptione fur excitetur ad ulteriùs, & liberiùs furandum; sed etiam ratione rei acceptæ, prædam ipsam vero domino restituere: si tamen absque suo gravi incommodo id possit.

XX. Porro, qui post patratum delictum occultat malefactorem, vel instrumenta illius, eumque defendit, aut juvat ad fugiendum, non tenetur restituere. Tùm quia: in nullum influit damnum. Tum quia: sicut ipsi malefactori licet fugere, & abscondere se; ita & aliis licet ad hoc concurrere. Similiter qui furem recepit antequam furetur, non ut præbeat illi securitatem ad malè agendum; sed vel ratione amicitiæ, vel consanguinitatis, vel ratione officii, quia solet alios hospitio recipere, ut sunt Caupones, Stabularii &c. Hi enim restituere non tenentur; quia non recipiunt furem, ut furem, sed ut amicum, consanguineum, vel hospitem: & per se ad ejus maleficium non concurrunt.

§. V.

Participans.

XXI. Hoc nomine venit omnis, qui est particeps damni dati: quod duobus modis potest contingere, vel ratione culpæ commissæ, vel ratione rei ablatæ. Qui comitantur furem, aut ipsum quocumque modo adjuvant; puta, explorando, utrum quis videat, scalam admovendo, vel suppeditando alia necessaria ad eam actionem, ut ferrarii, qui falsas claves efformant &c. tenentur restituere: quia censentur participes injustæ actionis damnificativæ proximi. Idem dico de eo, qui fores reserat, ut fur ingrediatur; qui terga defendit, de servis; qui usurariis in usuris deserviunt; qui rem furto sublatam custodit, vel eam emit à fure, unde fur ansam furandi sumit: si enim non essent, qui res furtivas emerent, tot fures in Republica non essent. Item qui vendit rem pro ipso latrone. An verò teneantur restituere in totum, si principalis executor damni non restituat, an solum in parte: dicunt Doctores teneri restituere in totum, si ad totum damnum concurrant; in parte verò, si solùm ad partem.

XXII. Ratione verò rei ablatæ participat in furto, qui aliquid rei furtivæ participat, vel consumit. Hic autem tenetur solum restituere partem, quam accepit; si tamen aliunde crimini commisso cooperatus non sit. Imò si bonâ fide nesciens, rem esse furtivam, eam accepit; tenetur tantùm restituere quod extat, & non consumsit. Quòd si bonâ fide consumsit; tenetur tantùm restituere id, in quo est factus ditior, secundùm regulas supra laudatas; nempe, Posses-

sor bonæ fidei tenetur tantùm restituere id, in quo factus est locupletior. Quia secundùm æquitatem canonicam, regula 48 juris in 6. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jacturâ*. Si verò malâ fide accepit rem ablatam; tenetur semper eam restituere, vel ejus pretium, si res consumta sit, ut supra dictum est.

XXIII. Hic tamen emergit difficultas: An qui non prorsus liberè, & voluntariè, sed ex metu gravi participat in actione injustâ, teneatur ad restitutionem. Ut servus, qui in actione injustâ, & damnificativâ servit domino, metuens, ne, si non faciat, expellatur à domo, & fortè cogatur mendicare. Et eò gravior evasit hæc difficultas, postquam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem, ordine 51. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras, ad stuprandam virginem; & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando; non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti: puta, ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur*.

XXIV. Pro quo noto: quòd cooperari ad actionem injustam contingere potest, vel formaliter actione per se ordinatâ ad illam: & sic semper illicitum est, & ad restitutionem obligans. Vel solùm materialiter, exhibendo illi, aut materiam, aut objectum, aut facultatem peccandi: & hoc licitum esse potest, dummodo adsint tres conditiones.

Prima. Quòd ratio illa cooperativa non sit intrinsecè mala, sed aut bona, aut indifferens. Sic captivi in triremibus Turcarum, qui ob metum gravem remigant contra Christianos, sarcinas, & arma ad bellum necessaria convehunt, propugnacula, & aggones elevant; non agunt illicitè, secundùm plures, quia hæ censetur actiones in differentes: quia in bonum finem imperari, & poni possunt, dummodo tamen adsint aliæ conditiones infra ponendæ. Si tamen iidem ob eundem metum, ignem admoverent tormentis ad internecionem Christianorum; ne quidem ob metum mortis à peccato excusarentur; quia solùm possumus, cum moderamine inculpatæ tutelæ, injustum vitæ invasorem occidere ad defensionem; non tamen possumus occidere Petrum, ne occidamur à Paulo invasore. Unde nec metu mortis possumus ponere actiones connexas cum morte innocentis.

Secunda conditio est: ut actio, quam ponis, censeatur indifferens, & non connexa cum malo; nec ponatur cum intentione adjuvandi alium ad damnum tertii, imò nec sine rationabili causâ: unde licèt non sit illicitum petere mutuum ab usurario parato, quando rationabilis causa indigentiæ ad id movet; si tamen desit rationabilis causa, erit illicitum.

Tertia conditio est: ut peccatum proximi non tenearis impedire; quia scilicet non potes, vel physicè, vel saltem moraliter, hoc est, sine magno tuo incommodo. Tunc enim non intendis illud malum, sed permittis, quia aliter non potes. Qui tamen sinè gravi incommodo potest impedire, & non impedit; censetur malum velle, & proinde cooperari ad illud. Sicut qui incendium domus alterius potest sine gravi incommodo extinguere, & non extinguit, illud censetur velle.

XXV. Sed adhuc difficile est determinare quodnam sit grave incommodum; quo fiat, ne tenearis impedire peccatum alterius, & dicaris tantùm materialiter illi cooperari. Nam incommodum, quod excusat à peccato contra unam virtutem, non excusat contra aliam. Quinque ergo regulæ solent assignari. Prima. Quò peccatum proximi est gravius, eò major causa requiritur, ut possis illi licitè cooperari; cùm id exigat caritas. Secunda. Si peccatum sit contra justitiam, gravior etiam causa requiritur.

ritur, quàm contra alias virtutes; quia hâc peccatur in tertium. Quare excusari quidem potest, qui vendit agnum, quem sciret esse immolandum Idolo, si sciret ab alio fore vendendum; & qui defert victualia ad castra hæreticorum, quæ aliter ab aliis deferrentur: non excusabitur tamen qui vendit gladium, ob quodcumque pretium ei, quem scit eo usurum ad occidendum hominem, etiamsi eo non vendente alius esset venditurus; quia hoc est contra justitiam. Tertia. Gravior etiam causa requiritur ad excusandum, si cooperatio sit proximior, quàm si sit remotior. Unde causa quæ excusat à locando domum meretrici, non sufficit, ut possis illi venienti ad peccandum, ostium aperire, lectum sternere: & quod sufficit famulo, ut posset merè associare dominum, dum vadit ad peccandum; non sufficit, ut possit licitè submittere humeros, vel deferre scalam, quò ascendat per fenestram ad stuprum faciendum: & quod excusavit Naaman Syrum præcisè comitantem, & civiliter inservientem Regi in Templo; non excusasset illum, si Regi in actu idololatrico quoquo modo cooperatus fuisset. Quarta. Major etiam causa requiritur, quando te non cooperante, non de facili esset alius cooperaturus, quàm si passim alii reperiantur. Unde faciliùs excusantur, qui vendunt publicè gladios, licèt plurimi abutantur; quàm qui vendit venenum, quod non facile invenitur venale. Quinta. Demum major causa requiritur si minus juris habeas ad aliquam operationem. Unde faciliùs excusatur, qui petit Sacramentum magis necessarium, puta Baptismum, ab eo, quem scit administraturum indignè; quàm si petat Sacramentum minus necessarium, puta Confirmationem. His prejactis

XXVI. Adhuc difficile est determinare, quænam dicatur causa rationabilis excusans cooperantem actioni peccaminosæ. Licèt autem dicatur, tunc excusari sic cooperantem, quando actio de se non est intrinsece mala, sed indifferens: attamen adhuc remanet difficultas in statuendo, quænam actiones censendæ sint hìc, & nunc intrinsecè malæ, quænam verò indifferentes.

XXVII. Dico igitur. Censendæ sunt actiones intrinsecè malæ, non solùm illæ, quæ exui malatiâ non possunt; ut sunt suadere, vel consiliari alicui, ut occidat, vel furetur, vocare concubinam, ut veniat ad peccandum; sed etiam actiones de se, & secundùm suum esse physicum indifferentes; quoties hìc, & nunc proximè inserviunt peccato, & ad illud ordinantur. Sic admovere scalam, humeris, sustentare alium, actiones de se indifferentes sunt; sicut etiam fabricare, aut tradere gladium: sed admovere scalam, per quam quis ascensurus est ad furandum, sustinere volentem furari, fabricare gladium, aut illum tradere volenti occidere hominem, in his circumstantiis sunt actiones intrinsecè malæ moraliter. Ideoque famulus, vel quivis alius in his circumstantiis coadjuvans excusari non potest à culpa, ob quemcumque metum, si eas præstet; etiamsi sciat, dominum paratum esse, & inventurum alios, qui eum sint adjuturi.

XXVIII. Hinc patet Resolutio ad principale quæsitum dicendo: quòd si cooperatio remotè se habet ad peccatum, actio indifferens est: & qui eam præstat, materialiter solùm concurrit: ut si quis vendat agnum, quem scit emi, ut immoletur Idolo: & idem dici potest de captivis Christianis, qui in navibus Turcarum remigant contra Christianos, ut supradictum est (quod sentiunt Azorius, Tholeius, Suarez, Navarrus contra Sylvium, & alios) Si verò actiones illæ proximè concurrant ad peccatum, ut patet in casibus allatis; nullo metu urgente præstari possunt quique eas præstat, particeps criminis efficitur.

§. VI.

§. VI.

Mutus, non Obstans, non Manifestans.

XXIX. His verbis comprehenduntur illi, qui licèt positivè, & directè ad injustam actionem non cooperentur; negativè tamen, & indirectè ad eam cooperantur: puta, non clamando, non impediendo, non manifestando cùm possint (si tamen justa causa non excuset: quia si ex justa causâ non impedirent, sed permitterent, non agerent injustè: sic enim multa mala in Republica permittuntur, ne deteriora sequantur) Ratio autem est. Quia qui cùm possit, & teneatur ex justitia, clamando, reprehendendo, consulendo, rogando, vel alio modo impedire, ne damnum proximo sequatur; aut postquam secutum est, procurare, ut reparetur, & negligit, aut omittit: censetur indirectè, & interpretativè esse causam, & illud velle.

XXX. Quia verò potest aliquis teneri, vel ex contractu, aut officio, & proinde ex justitia; vel solùm ex caritate: ideo qui negligit impedire, aut reparare damnum, & ad hoc tenetur ex contractu, vel officio; obligatur ad restitutionem. Si verò non teneatur ex justitia, sed solùm ex caritate; peccat quidem, sed restitutioni obnoxius non est.

XXXI. Ex primo infertur: teneri ad restitutionem Gubernatores, Ministros publicos, Medicos, Chirurgos, Tutores, & Curatores; sive qui aliquod munus, vel officium susceperunt, & ad id conducti fuerunt: quia, imposito officio, obligatio nascitur, ut teneantur impedire damna in iis, quæ suum officium concernunt. — Nautas etiam, qui navis submersionem, cum possint, non impediunt; & qui ex officio custodes positi sunt rei communis, aut particularis. An verò si mulcta constituta sit in eos, qui exportant merces, vel ligna in aliena sylvâ cedunt, qui vectigalia fraudant, qui vineas diripiunt; teneantur custodes, eos non denuntiantes, ad restitutionem mulctæ: probabilius censeo, eos non teneri. Solùm enim ex justitia tenentur impedire fraudes, ut vectigalia non fraudentur curare, res suæ custodiæ commissas servare; non verò denuntiare delinquentes, aut mulctam eorum procurare.

Tenentur insuper ad restitutionem Patresfamilias, quibus ex officio incumbit invigilare, ne damnum per uxorem, filios, aut servos sub sua potestate constitutos, inferatur. Idem dicito de eorum animalibus. — Principes item, qui latrocinia, homicidia, aut monopolia non auferunt. Unde S. Tho. hàc q. 62. a. 7. *Quandò* (inquit) *tenetur ille, qui non obstat, cùm obstare teneatur: sicut Principes, qui tenentur custodire justitiam in terra, si per eorum defectum latrones increscant, ad restitutionem tenentur; quia reditus, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut justitiam conservent in terra.* — Pastores etiam, belli Duces, aliique publicam potestatem habentes, nec damna suorum subditorum avertentes. Quia hi omnes ex contractu, & officio, & ex justitia tenentur: nisi hoc esset cum suo majori, aut æquali damno in vita, honore, famâ, aut rebus familiaribus: non enim censentur ea munera suscepisse cum tanto gravimine, & onere — Gravia tamen damna Communitatis, & præsertim spiritualia, ut hæreses, machinationes in Principem, aut Rempublicam, tenentur, etiam cum vitæ dispendio, impedire: quia coercere damnum commune tenetur quilibet cum vitæ particularis dispendio; & ad hoc præcipuè ministros Respublicæ conducit.

XXXII. Ex secundo autem infertur: non teneri ad restitutionem, qui extremè indigenti non succurreret; & si moreretur ex tali denegatione indigens, non teneretur reparare damna secuta ex ejus morte: quia peccaret qui-

quidem contra caritatem, sed non contra justitiam, ex qua solâ oritur obligatio restituendi. — Eàdem ratione nec illum, qui cum videat hominem ab inimicis invadi, non ei suvenit, cùm posset de facili mortem ejus impedire: nec eum, qui cùm possit suo clamore deterrere furem à furto, non facit, sed tacet. Ratio autem est. Quia is non tenetur restituere ex re acceptâ, quam supponimus apud illum non esse: nec ex injusta actione; quia actio injusta, fundans obligationem restituendi, debet esse contra justitiam, non solùm contra caritatem. Hinc S. Thomas a. 7. citato, ad 3. *Non semper (inquit) ille, qui non manifestat latronem, tenetur ad restitutionem, aut qui non obstat, vel qui non reprehendit; sed solùm quando incumbit alicui ex officio: sicut Principibus terræ; quibus ex hoc multum imminet periculum. Propter hoc enim potestate publicâ potiuntur, ut sint justitiæ Custodes.*

XXXIII. Sed quid dicendum, si quis potens obstare, non obstet ex pravo animo, aut ex odio erga proximum, cui damnum infertur: tenebiturne restituere?

Respondeo negativè, si ex caritate solùm tenebatur, non ex justitia. Hujus duplex ratio communiter afferri solet. Prior. Quia interior animus non inducit obligationem restitutionis; si opus externum ex se non obliget ad illam. — Verùm ratio ista multas patitur instantias. Idem enim opus exterius ex diverso affectu procedens, sicut potest in uno esse peccatum, non in alio: ita potest in uno inducere obligationem restitutionis, in alio non. Unde S. Thomas, 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4. docet, quòd si quis impediat dignum, ut detur præbenda digniori, non est obnoxius restitutioni: si verò impediat, intendens ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam; tenetur ad restitutionem secundum æstimationem spei, quam habebat. Et qui recipit latronem titulo amicitiæ, vel consanguinitatis, non tenetur restituere; quia est solum receptor latronis materialiter: si verò recipiat eum animo sovendi furta, his secutis, fit receptor formalis, & tenetur restitutioni.

Verior ergo est secunda ratio, nimirum. Quod quia non obstans non est causa influxivè concurrens, sed solùm imputativè; quia ei imputatur damnum secutum, ac si in illud influxisset: ideo, ut illi possit imputari, requiritur pro fundamento debitum justitiæ: quòd si desit, deficit obligatio restituendi, ex quocumque motivo non obstet.

XXXIV. Quæres adhuc: Quid si recipiat aliquis munera, aut pecuniam à fure, aut malefactore, ne impediat, clamet, aut manifestet?

Respondeo cum Sylvio: quòd si ex officio teneatur obstare, & non obstet, ob pretium, (quales sunt custodes,) si res furto ablatæ non extent apud furem, certum est, ipsum teneri primò: eo autem deficiente, teneri furem. Utrique enim sunt causa damni: sed in isto casu custos videtur esse causa præcipua, cùm sit velut defensor, sub cujus tutelâ fur est, & furtum factum fuit. Si verò res furtivæ extent apud furem, ipse primò tenetur; quia ratione rei tenetur restituere is, qui rem habet: eo autem deficiente tenentur omnes, qui fuerunt causa, vel concausa injustæ actionis.

Quòd si is, qui non est ex officio custos, sed ex lege solùm caritatis deberet impedire damnum, quod videt inferri proximo, pecuniam accipiat à fure, ut taceat; quamvis illam pecuniam restituere non debeat, modò non sit pars furti; si tamen per hoc fur sit animosior, & audacior ad furandum, quia certus est, se non detegendum; ad illa damna resarcienda est obligatus: imò etsi nullam pecuniam acciperet, promitteret tamen, se taciturum, etiam obligaretur; quia illa promissio furem animaret, audacioremque faceret: & sic talis acceptio

ptio pretii, vel promissio moraliter influeret in actionem injustam, esset-que causa furti — Non latet, alios aliter sentire, sed hanc responsinem absolutè tutiorem, & probabiliorem censeo.

Sed insuper: Quid de servo vidente alios servos, aut extraneos aliquid de domo domini sui surripientes, & tacente: tenebiturne restituere?

XXXV. Respondeo cum distinctione. Vel enim servus videt extraneos ingredi domum domini ad furandum, & tacet, nec impedit: vel videt, res domini à domesticis rapi. Si primum: dico, eum teneri ad restitutionem damni ab ipsis irrogati: famulus enim, ratione famulatus, tenetur ex justitia res domini tueri ab extraneorum injuriis. Si verò secundum: vel res illæ, quas videt à domesticis rapi, sunt ejus curæ concreditæ; vel non. Si primum: cùm sit obligatus ex officio, & proinde ex justitia illas tueri; tenetur eas restituere, si dissimulet, vel non contradicat furanti eas. Si autem non sint specialiter illi concreditæ; quamvis peccet tacendo, non tamen tenetur eas restituere: quia ex officio, & justitiâ, non tenetur res domini contra domesticos tueri.

XXXVI. Sed insuper: Quid de custodibus agrorum, montium, vinearum, aut aliis positis à domino, aut Principe, ut impediant, ne aliquid detrahatur, aut sinè gabellis introducatur, vendatur, aut prohibitæ merces deferantur: tenentur ne restituere damna, quæ ex eorum negligentia, aut dissimulatione proveniunt?

XXXVII. Respondeo affirmativè. Quia vi pacti, & officii ad talia damna impedienda tenentur. Et est communis sententia. Debet tamen damnum esse magni momenti, & dominus justâ ratione invitus. Unde si custos aliquid pauperi detrahere permittat, restituere non tenetur. Vel si ingrediens, aut defraudans talis conditionis esset, ut probabiliter judicaret, dominum daturum esse illi facultatem, si sciret, vel postea ratum habiturum.

An verò hujusmodi custodes teneantur solùm damna domino secuta compensare; an verò etiam pœnam, quam rei, si à custodibus accusati fuissent, essent subituri: verior est sententia negans. Quia custodes non tenentur ex justitia accusare reos, ut dominus, aut Principes ditetur mulctis; sed ne damna sequantur, & ne vectigalia fraudentur: nec eorum officium est mulctas procurare; sed res suæ curæ commissas servare indemnes, vel vectigalia exigere, & recipere. Maximè quia reus tales pœnas solvere non tenetur, nisi post sententiam Judicis; ergo ad illas non habet jus, nec dominus, nec arrendatarius ante talem sententiam. Hinc sequitur etiam, vectigalium custodes non teneri solvere merces, quas exactor vectigalium acquisivisset, si custos delinquentem accusasset; sed solùm pretium, quod pro introducendis, vel extrahendis mercibus fuisset à mercatore solvendum.

XXXVIII. Tandem: Quid de Confessario suâ ignorantiâ crassâ, negligentiâ, aut etiam malitiâ non admonente pœnitentem ad restituendum, qui si moneretur, restitueret? — Et quidem si Confessarius positivè dicat, pœnitentem non teneri restituere, qui aliàs restitueret, si moneretur; nemini dubium est, Confessarium teneri, nisi consilium revocet. Unde difficultas est, quando merè negativè se habet: quia scilicet, nec monet, nec jubet, nec cogit pœnitentem, ut restituat, qui si moneretur, restitueret.

Quidam censent, Confessarium teneri restituere, eo modo, quo tenentur alii, quibus ex officio incumbit monere; qui si omittant, censentur causa damni ex tali omissione secuti. — Verius tamen judico non teneri. Nam Confessario incumbit solùm ex officio attendere ad bonum spirituale proximi; non verò bono temporali alterius invigilare. Unde peccat quidem con-

tra pœnitentem; quia circa illum suum officium indebitè exercet: non tamen peccat contra alium, cujus temporalibus bonis non tenetur ex officio consulere; ergo non tenetur illi restituere damna, ex omissa monitione restitutionis secuta.

DUBIUM IX.

Quo Ordine Restituere debeant Cooperantes ad Injustitiam.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Explicatis causis concurrentibus ad damnum, & statutâ earum obligatione ad restituendum; comparandæ modò sunt inter se, ut appareat, quæ primo loco teneatur restituere, & quæ secundo loco, seu in defectum illius. In quo certum est, ex S. Tho. 2. 2. q. 62. a. 7. ad 2. quòd *Una restituente illi, qui passus est damnum, alius eidem restituere non tenetur*. Et ratio est. Quia cum illi sit plenè satisfactum, justitiæ æqualitas inducta est. Alii verò, qui consortes in furto fuerunt, & in damno inferendo participes, tenentur ei, qui totum restituit refusionem facere, modo infra explicando. In quo cùm inveniam non modicam opinionum confusionem; quid mihi tutius, ac verius videbitur, proponam.

II. Dico ergo primò. Quando plures ad eandem rem furandam concurrunt, ille primo loco tenetur rem ablatam suo domino restituere, apud quem res ablata invenitur; vel formaliter, ut si eam habeat in propria specie, vel æquivalenter, puta, si eam consumserit; in quo casu tenetur pretium reddere: alii autem tenentur nihil restituere, nisi in casu, quo ipse, vel non vellet, vel non posset restituere. Ratio autem horum est. Quia dum res ablata extat in propria specie, qui eam habet, eam tenetur reddere, ratione rei acceptæ, quæ semper domino clamat. Si verò non extet, tenetur ratione injustæ acceptionis, ex qua ipse solus percepit totum commodum, & utilitatem; ac proinde suscepit totum onus restitutionis: ita ut alii nil ei reddere teneantur, quia rem ablatam consumendo, aut retinendo, factus est debitor pro omnibus. Imò si aliquis ex sociis quidquam vero domino restituat; is, ad quem res pervenit, tenetur illum compensare: & quia, ut dictum est, ipsi totum onus restitutionis incumbit; & quia non debet ex re alienâ injustè ablatâ emolumentum accipere.

Quòd si res furto ablata ad possessorem bonæ fidei pervenerit, ipsam, si extet, tenetur vero domino restituere; & si non extet, id, in quo factus est ditior: & si à furibus, dato pretio, eam accepit, actionem acquirit contra fures; qui rem totam eodem ordine, quo vero domino, illi restituere tenebuntur.

III. Dico secundò. Quando res ablata non extat, vel quando nihil est ablatum, sed solùm damnum irrogatum; primo loco restituere tenetur, qui est causa principalis, & alii solùm in defectum illius: quo integrè restituente, nil aliud cæteri restituere tenentur, nec vero domino, quia illi jam satisfactum est, nec ipsi: ex eo enim, quòd induxit alios, præsumitur cessisse juri suo, totum onus restitutionis in se suscepisse, & alios indemnes servare voluisse. Si tamen principalis causa restituat, & res apud alium inveniatur, vel in se, vel in æquivalenti; huic, qui in jure domini successit, restituenda est omnino, nec alius eam retinere potest.

IV. Causa autem principalis, & primo loco obligata, ait D. Tho. relatus *ad* 2. est *Præcipiens*, qui imperavit, & jussit fieri; ut si Dux imperet militi, ut incendat, occidat, furetur. Vel qui alium minis, vi, fraudibus, aut conviciis ad maleficium perpetrandum impulit, aut incitavit; quia

quia ab hoc incepit facinus, & hic injustè onus satisfactionis injecit alteri, unde primo loco illud in se suscepit.

Deinde, ut causa principalis tenetur, qui quocumque modo induxit alium, ut suo nomine, vel in gratiam, & commodum sui damnum alteri irrogaret. Quia hoc ipso, quòd in sui gratiam damnum irrogari voluit, totum onus restitutionis in se suscepit: ideoque si alii minus principales restituant, illos debet compensare.

V. Demùm inter causas principales tenetur restituere *Executor*. Unde qui executus est maleficium, priùs tenetur, quàm qui comitatur, qui arma tribuit, qui auxilium præstitit. Postea qui consilium dederunt, laudaverunt &c. Ratio est. Quia executor (post eum, qui imperavit, coegit, aut suo nomine fieri induxit) principalis causa est; reliqui autem sunt quasi causæ accessoriæ illi: quia quod faciunt, causâ illius faciunt, ut instruant, roborent, auxilientur. Quare, executore restituente, reliquæ causæ à restitutione faciendâ domino exemtæ sunt; quia ad eam solùm obligantur in defectum illius. Quapropter executori, si restituat, nihil rependere tenentur: quia estò illum ad malum induxerint, aut juverint, hoc tamen absque vi, & fraude fecerunt, ut supponimus; nec causâ, aut in gratiam illorum damnum illatum est, sed in gratiam ipsius executoris: qui sicut liberè exequutus est, suo nomine, & in sui gratiam, ita in se suscepit onus restituendi. Executore verò (sicut & aliâ causâ principali) non valente, seu non volente restituere; tunc tenentur reliquæ causæ positivæ minùs principales restituere, ut Consultor, Adulator, consensum præstans, aut recursum, & participans. Quòd si isti solverint, manebit semper causa principalis cum onere illis refundendi id, quod restituerunt, ut docet S. Tho. relatus, *art. 7. ad 2. & art. 6. ad 3.*

VI. Quando verò plures causæ, vel æquè principales, vel æquè secundariæ ad totum damnum concurrunt; tenentur singulæ magis, vel minus, secundùm quòd influxerunt, aut commodum reportarunt. Et si socii non restituant, tunc quilibet, ex modo dicto concurrentibus, tenetur in solidum; alii autem, qui non restituerunt, tenentur refundere restituenti eam partem, quam vero domino debebant: quia succedunt ut fidejussores pro eo, qui totum domino satisfecit. Aliàs deterioris conditionis fierent; qui citiùs resipiscerent, & restituerent pro toto damno, quàm illi, qui in malitia perseverarent, & ex sua malitia commodum reportarent; si ob solutionem opportunam aliorum, illi, qui in mora fuerunt, à restitutionis onere liberarentur.

VII. Nunc videndum est, quo ordine teneantur restituere causæ minus principales, & accessoriæ, in casu, quo causa principalis, puta, executor, non restituat. Cùmque ejusmodi causæ, aliæ positivæ sint, ut consulens, consentiens, adulans, communicans, recipiens, subministrans; aliæ verò negativæ, ut non obstans, non manifestans: de his videndum est, quinam ordo inter eas, quoad restituendum, servandus sit.

VIII. Dico ergo primò. Causas præfatas minus principales positivas nullum ordinem in restituendo servare; sed si causa principalis non restituat, omnes æquè primò in supplementum ejus teneri plus, minusve, secundùm influxum, quem præstiterunt; nisi fortè una mediâ aliâ quasi ut instrumento operata sit, puta, si consulens moverit adulatorem, receptatorem &c. tunc enim ille, qui movisset alios, prior teneretur, reliqui verò in defectum illius.

Cæterùm si nullo movente, unaquæque influxerit in ordine suo, excitando executorem ad furtum; in defectum illius æqualiter tenentur plus, minus, secundùm quòd plus, vel minus

nus influxerunt, si executor ipse non restituat: et si alii non possint, aut nolint, singuli in solidum tenebuntur, si ad totum damnum influxerunt: Si tamen aliquis ex illis rem integrè restituerit, reliqui suam partem illi refundere debebunt, si qui jam restituit, eis non condonaverit, ut docet S. Tho. 2. 2. q. 62. a. 6. ad 3. dicens: *Quia restitutio principaliter ordinatur ad removendum damnum ejus, à quo aliquid est injustè ablatum; ideo postquam ei restitutio sufficiens facta est per unum, alii non tenentur ei ulteriùs restituere; sed magis refusionem facere ei, qui restituit, qui tamen potest condonare*. Circa causas autem negativas,

IX. Dico secundò. Causas negativas post omnes causas positivas teneri ad restitutionem; ideòque causis positivis non restituentibus, in onere restitutionis succedunt causæ negativæ. Sic si clamando, manifestando poteras furtum, aut aliud damnum impedire, & ad hoc tenebaris, & non fecisti; teneberis in solidum totum damnum reparare, si tamen causæ positivæ non restituant: quia sicut causa positiva in influxu potior est, quàm negativa; ita in onere restitutionis priorem locum habere debet.

Positivis verò non valentibus, seu non volentibus restituere; inter negativas is ordo servandus est, ut primo loco teneatur Superior, qui non impedit: quia ejus negligentiâ censetur fuisse causa damni, cùm in eo sit potestas, & debitum impediendi. Secundò, custos rei. Tertiò, testis, qui juridicè requisitus poterat, veritatem dicendo, maleficium detegere, & non detexit. Quartò qui neglexit monere, & suo consilio deterrere; si tamen ex justitia id facere tenebatur. Hæc tamen vera sunt in casu, quo omnes præfatæ causæ æquè proquinquè ad damnum influerent; ut si tam Superiori, quàm custodi immediatè incumbat vigilare, ne fiant furta, aut delicta. Quòd si Superiori incumbat tantùm mediatè, & solùm curare debeat ut custodes benè se gerant, & suo debito satisfaciant: in hoc casu custodes primo loco tenentur, deinde Superior, puta. Magistratus, si ejus negligentiâ damnum illud illatum fuit, cùm ei ex officio incumberet impedire.

§. II.

Quomodo Omnes præfatæ Causæ teneantur in Solidum Restituere.

X. De pluribus causis ejusdem generis, concurrentibus ad idem damnum faciendum, quæstio hæc excitatur: An singulæ in solidum restitutioni sint obnoxiæ. Et licèt difficultas procedere possit de pluribus causis cujuscumque generis, puta, de pluribus mandantibus, aut consiliantibus idem damnum; sicut & de pluribus adulantibus, vel tacentibus, vel non obstantibus: quia tamen frequentiùs contingit, quòd plures causæ exequentes concurrant ad idem damnum, de his loquemur; relinquentes, ut quod de hoc genere dicturi erimus, quisquæ alii cuique generi applicet.

Non loquimur autem de pluribus, qui simul ad eandem prædam participandam concurrunt, postquam facta est: ut si quis, furto jam patrato, invitetur ad cœnam furtivam comedendam: tunc enim certum est, invitatum non esse obnoxium restitutioni pro tota cœnâ, sed solum pro ea parte, quæ illi obtigit.

Nec etiam loquimur de pluribus causis, quæ licèt concurrant ad damnum faciendum, quælibet tamen concurrit solùm partialiter: certum enim est, hos non teneri singulos in solidum ad totum damnum, sed ad partem, cujus fuerunt causæ. Ut si plures, alij aliorum inscij, intrent ad alienam vineam devastandam, singuli solùm tenentur ad partem damni, cujus causæ fuerunt; & si mandes servo, ut furetur decem, & ille centum furetur, teneris solùm ad decem.

De

De pluribus ergo simul ad totum damnum concurrentibus sermo est. Et quidem, per se loquendo, unusquisque istorum solùm tenetur ad partem damni majorem, vel minorem, secundùm quòd magis, vel minus influit: ut si tres ad furtum triginta aureorum æqualiter concurrant, singuli solum tenentur, per se, ad restituendos decem aureos: & si unus totum restituat, alij tenentur ei refundere illam partem, quam per se tenebatur domino reddere. Quæstio igitur est: An in defectum alterius singuli teneantur in solidum, ut in exemplo posito: An casu, quo alii duo secum concurrentes, vel non possent, vel nollent suam partem restituere; teneretur tertius in solidum triginta aureos restituere.

Hàc in re distinguendum est. Vel enim cùm plures simul concurrunt ad damnum inferendum, unus eorum est motor principalis, vel non; sed omnes communi consilio concurrunt. Et rursus: vel concurrunt ad damnum aliquod non individuum, sed diversum; vel ad idem damnum individuum simul concurrunt, puta, ad eandem domum incendendam. His suppositis,

XI. Dico primò. Si unus eorum fuit principalis motor, qui cæteros ad actum invitavit; is primo loco tenetur restituere in solidum, & alij in defectum illius. Unde in bello injusto Princeps, & Consiliarij tenentur ad omnia damna belli: speciales Duces, ac Tribuni ad ea damna, quæ sui milites, ipsis jubentibus, inferunt: milites verò gregarij, in defectum illorum, ad resarciendum damnum, cujus immediata causa fuerunt. Ratio primi est. Quia Dux, & principalis motor, qui alios congregat, & ad damnum injustè inferendum invitat, est causa totalis damni: moralis quidem, quia omnes alias causas per modum unius movet ad effectum; ergo sicut ipsi primò moraliter tribuitur totum damnum, ita ipsi primò incumbit in solidum reparare. — Ratio autem secundi est. Quia, ut dictum est, in defectum causæ imperantis succedit in onere restitutionis causa exequens; vel pro parte, quâ damnum intulit, si damnum sit divisibile; vel in totum, si indivisibile sit damnum illatum. Sed circa hoc infra.

XII. Dico secundò. Quando plures simul concurrunt ad damnum, quod est divisibile; ita ut singuli partem damni diversam à parte damni illati ab altero intulerit; tunc solùm tenentur ad damnum, quod quisque intulit: ut si plures eandem vineam ingressi, singuli suam partem vineæ devastaverint: si plures ex eodem thesauro singuli decem aureos abstulerint. Et ratio est. Quia tunc unusquisque est causa solum partialis damni, tàm partialitate causæ, quàm partialitate effectus: quia licèt omnes ad eandem actionem influant, non est à singulis tota; sed secundùm diversam partem causatur ab uno, ab alio secundùm alteram: solùm, ergo concurrunt, faciendo suam partem, non verò procurando, aut incitando, ut alij suam faciant, ut supponimus: sicut totus exercitus est causa totius damni, singuli autem milites sunt causæ illius partiales; ergo ad partem tenentur, non in solidum, idest, non ad totum, etiam in aliorum defectum.

XIII. Dico tertiò. Quando plures ad idem damnum individuum, & indivisibile concurrunt; nimirum, ad eandem domum incendendam, ad eundem hominem occidendum, ad eandem navem trahendam, ad eundem gregem abigendum, ad eundem viatorem spoliandum, ad ferendum suffragium in eâdem electione indigni: omnes tenentur in solidum restituere in defectum alterius. Hanc, inter alias, opinionem amplecti placet: & quia celebriorum Auctorum munitam suffragijs, & quia rationi magis consonam. Nam licèt physicè à singulis solùm partialiter fortè causetur effectus; moraliter tamen totus causatur à qualibet,

libet, ut cum adest mutuum auxilium, aut consilium: tunc enim singulæ causæ partiales moraliter fiunt una moraliter, & quasi una manus ad idem opus indivisibiliter concurrunt. Unde cuilibet totum damnum imputatur: & licèt quælibet partialiter ad restitutionem teneatur, si tamen aliæ deficiant, tenebitur totaliter.

XIV. Sed quid si nescias, vel dubites, an principalis (vel alius, in cujus defectum teneris restituere in solidum) restitutionem exhibuerit; teneris ne statim restituere in defectum illius? Quod dubium maximè urget, quando plures concurrunt ad idem damnum; & unus ad Confessionem accedit, ignorans, vel saltem dubitans, an socij suam partem restituerint. Tenebiturne Confessarius illi præcipere, ut in solidum restituat: an sufficit jubere, ut suam partem reddat, quoties de non solutione alterius non constiterit?

XV. Respondeo. Quòd si ignoret, an alius, qui priùs tenebatur, vel ad totum, vel ad partem restituerit; non tenetur ipse totam satisfactionem exhibere, aut partem, quæ incumbit alteri. Et ratio est. Quia præsumere debet, alium suæ conscientiæ satisfecisse; non enim præsumendum est malum de proximo: ideoque, nisi constet de malitia illius, judicare potest, alterum secundùm debitum satisfecisse, solùmque attendere debet, ut id, quod sibi incumbit, apponat.

Si verò dubitet, an alius satisfecerit, tenetur diligentiam adhibere, ad inquirendam veritatem: adhuc verò perseverante dubio, crediderim, eum satisfacere restituendo id, quod sibi incumbit; cùm non teneatur ad aliam partem, nisi in defectum alterius. Unde, vi dubius est de tali defectu, consequenter dubius est de tali obligatione, & sic cùm nondum obligatio possideat, remanet in possessione ejus libertas, & immunitas, eique favet axioma: In pari dubio melior est conditio possidentis. Nec in dubio præsumendum est peccatum alterius, nisi fortè persona sit in tali genere diffamata. Quare, nisi constet, aut saltem prudenter præsumat, alterum suę parti non satisfecisse, & non posse, aut nolle satisfacere; ille, qui est substitutus in defectum illius, vel qui est socius damni, non tenetur partem illius exhibere.

DUBIUM X.

De Obligatione Restitutionis ex Parvis Furtis.

§ I.

Quænam Materia sit Sufficiens in Furto ad Peccatum Mortale.

I. Licèt furtum in materia levi non evadat secundùm se peccatum mortale; evadere tamen potest ratione nocumenti, & damni extrinseci: ut si à Pictore auferas penicillum, sinè quo pingere amplius nequeat, & sic privetur lucro, quo suâ arte alebatur: si à sutore acum, sinè, quo laborare nequeat, & inde suo quæstu privetur: vel si rem parvi quidem momenti in se, sed domino valde caram, & ab eo multi æstimatam illi eripias; ita ut ex ejus ereptione plurimùm turbandus, gravique molestiâ afficiendus prævideatur. In his enim casibus erit mortale peccatum ablatio rei, licèt parvę. In prioribus quidem contra justitiam, obligans ad restitutionem lucri cessantis, & damni emergentis: in hoc autem postremo contra caritatem. In nullo autem erit furtum grave propriè tale: quia hoc ex damno intrinseco, quod per se affert, pensandum est, non ab extrinseco nocumento, & secuto quasi per accidens, ratione personæ. Ideoque si posita esset Excommunicatio contra graviter furantes, vel peccatum grave furti esset reservatum; in nullo ex dictis casibus, aut Excommunicatio incurreretur, aut

reſervatio; quia hæ pro furto gravi, formaliter tali, cenſendæ ſunt impoſitæ, non pro eo, quod grave ſit ſolùm ex damnis extrinſecis, & per accidens ſecutis.

II. Unde autem judicandum ſit, an materia furti gravis ſit, an verò levis; certò ſtatui, aut affirmari non poteſt. Unde meritò Auctores hujuſmodi judicium ad æſtimationem, & arbitrium Prudentum remittunt; penſatis circumſtantiis loci, & temporis, in quo res aufertur. Quod enim in uno loco, ac tempore grave judicatur, in alio cenſetur leve: poſſunt enim in uno loco, & tempore affluentia pecuniæ, & rerum inopia concurrere: in alio autem rerum affluentia, & inopia pecuniæ; ut quod erat materia levis in uno, ſit gravis in altero, & è contra. Unde tempore, quo per unum julium poterant homines uno die ali, nemo dubitaſſet, eſſe grave peccatum illud auferre: ſed modò cùm vix tribus juliis poſſit homo unâ die convenienter ſuſtentari; unus julius non erit materia ſufficiens ad mortale peccatum.

III. An verò inter circumſtantias, ex quibus penſanda eſt gravitas, vel levitas furti, reponendus ſit reſpectus ad perſonam, à qua res aufertur; ita ut major quantitas requiratur ad conſtituendum furtum grave, ſi reſpiciat perſonam divitis, minor verò ſi reſpiciat perſonam pauperis; negant aliqui: Aſſerendum tamen eſt cum pluribus, & ſanioris doctrinæ Theologis. Et ratio eſt. Quia gravitas furti penſanda eſt ex gravitate nocumenti, quod infert: unde S. Thomas, 2. 2. *q. 66. a. 6. ad* 3. inde probat, furtum materiæ levis eſſe veniale: quia, inquit, *In his, quæ minima ſunt, homo non reputat, ſibi nocumentum inferri; & ille, qui accipit, poteſt præſumere, hoc non eſſe contra voluntatem ejus, cujus eſt res.* Sed gravius nocumentum infertur per ablationem ejuſdem materiæ pauperi, quàm diviti, & gravius diviti, quàm ditiſſimo; & præſumi debet, qui accipit id, quod non eſt contra voluntatem divitis, eſſe rationabiliter contra voluntatem pauperis: quia ea, quæ dives negligit, pauper multi facit, & pauperi ſunt neceſſaria, & in eorum amiſſione angitur, & torquetur; & id, quod diviti parum eſt, pauperi, qui minus habet, eſt multum; ergo ex conditione perſonæ &c. Major probatur. Tùm ex D. Thom. allato. Tùm quia: cùm furtum injuſtitia ſit, tunc major ſit injuſtitia, cum majus nocumentum infertur; & major repugnantia præſumitur ex parte ejus, cujus eſt res. Hinc Nathan Propheta, 2. *Reg. cap.* 12. ut augeret gravitatem adulterii Davidis appoſuit exemplum de divite, qui à paupere furatus fuerat ovem, quam unicam habebat.

IV. Verùm ſtatuere in particulari, quænam ſit materia gravis pro divite, quænam verò pro paupere, non adeo facile eſt; unde in varios dicendi modos abeunt Auctores, — Dico tamen: quòd ſicut in aliis materiis aſſignanda eſt materia, quæ reſpectu omnium ſit magna, & quæ abſolutè, & reſpectu omnium ſit parva; & inſuper media, ea ſcilicet, quæ reſpectu ad unam perſonam ſit magna, & reſpectivè ad aliam ſit parva: ſic in caſu præſenti, loquendo de materia juſtitiæ. Pono exemplum. Omittere decem Pſalmos, eſt materia gravis reſpectu omnium, etiam reſpectu illius, qui recitare debet totum Pſalterium: omittere verò unam Salutationem Angelicam eſt materia levis, etiam reſpectu illius, qui eam ſolam recitare tenetur. Omittere verò tres Pſalmos reſpectu ejus, qui debet totum Pſalterium recitare, eſt materia levis; reſpectu tamen ejus, qui deberet unam tantùm horam recitare, eſſet materia gravis. Similiter: in die feſto laborare quatuor horis, eſt materia gravis reſpectu omnium; uno autem quadrante eſſet reſpectu omnium materia levis. Reſpectu tamen ejus, qui tenetur toto die feſto ab opere vacare, ſi una hora

laboraret, esset materia levis; respectu tamen ejus, qui solis tribus horis deberet ab opere cessare, labor unius horæ esset materia gravis. Sic ergo in materia furti judicandum est, quænam sit materia gravis, quænam levis pro omnibus: quænam autem sit gravis, aut levis relatè ad personas.

Unde dicerem: furtum unius aurei esse materiam gravem respectu omnium, etiam Principum, aut Regum; quia etiam his affertur notabile nocumentum, cùm unico aureo posset unum, aut duos milites alere. Et licèt Reges habeant magnas divitias; habent tamen etiam onera magna, & ardua rerum negotia, quæ nonnisi magnis sumtibus peraguntur: & ideo ærraria Principum ferè semper exhausta sunt. Unus autem, vel duo julii erunt materia levis respectu omnium, absolutè loquendo, & præcisâ circumstantiâ specialis nocumenti, vel damni. Inter has duas assignanda est materia respectivè gravis, aut levis. Hoc autem judicandum relinquo ex circumstantiis loci, temporis, & aut personæ.

§. II.

Resolutio Dubii.

V. INnocentius XI. inter plures alias hanc proscripsit propositionem, *num.* 38. nempe: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Ut ergo rationes talis damnationis examinemus,

VI. Suppono primò, ut certum apud Doctores: quòd si quis à pluribus, vel ab uno pauca auferat, animo prosequendi usque ad magnam quantitatem; absque dubio mortaliter peccaret, saltem ob pravum animum auferendi materiam gravem (quidquid sit, an actus exterior peccatum mortale esset) quia haberet animum inferendi grave nocumentum proximo. Quare ut falsam, & perniciosam rejicimus sententiam illorum, qui à peccato mortali excusant eos, qui animo ditescendi, parva à pluribus subtrahunt. Dicimus enim, eos peccare mortaliter, & esse restitutioni obnoxios, si de facto ad magnam quantitatem accedant; vel dominis, si sint noti, vel Communitati, vel si non aliter, pauperibus, & in pia opera. Et ratio est. Quia licèt sic furans, uni, aut alteri parum noceat; Communitati tamen ex illis pluribus constitutæ multùm, & Reipublicæ plurimùm nocet; dum absque ullo titulo rem magnam sibi vult arrogare, & ex alieno sinè labore ditescere. Alioquin jam liceret uti ponderibus, aut mensuris justo minoribus; & sic per parva furta pluribus facta ditescere. Contra quod, *Proverbiorum* 11. *v.* 1. dicitur: *Statera dolosa abominatio est apud Dominum*. Et Deuteron. 25. v. 13. &c. *Non habebit in sacculo diversa pondera majus, & minus. Nec erit in domo tuâ modius major, & minor ... Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc*. Unde Respublicæ benè ordinatæ hujusmodi homines, tanquam humanæ societati perniciosos, semper oderunt; & in crimine deprehensos gravibus pœnis mulctare consueverunt. Idem sentit S. Thomas, 2. 2. *q.* 66. *a.* 6. *ad* 3. ubi postquam excusavit à peccato accipientem furtivè res minimas, addit: *Si tamen habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo; etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per consensum*.

Qui, verò à pluribus exigua furatur animo deveniendi ad magnam quantitatem, unum solum peccatum moraliter continuatum committit; ac si unico actu eandem quantitatem ab uno furaretur: inquantùm omnia illa furta subsunt uni voluntati accipiendi furtivè notabilem quantitatem. Ad restitutionem autem sub mortali non tenebitur; nec reservationem, aut cen-

censuram (si quæ pro gravi furto lata esset) incurret; nisi dum re ipsâ notabilem quantitatem attinget.

VII. In assignando autem, quando furta minuta ascendant ad notabilem quantitatem; judicio Prudentum, & conscientiæ cujuscumque standum esse, arbitror. Multi tamen hoc statuunt, nempe, majorem quantitatem requiri, ut fiat mortale, in eo, qui à pluribus minuta surriperet, absque industria, & animo ditescendi; quàm in eo, qui tali animo surriperet. Et rursus, majorem quantitatem requiri, ut peccet mortaliter ille, qui plura minuta furta facit à pluribus; quàm ille, qui eadem ab uno dumtaxat caperet: quia plures per illa minuta minus læduntur, nec ita curant restitutionem rerum minutarum, sicut præsumeretur curare homo, quando ab eo solo erepta sunt. Et demum, majorem quantitatem requiri, ut mortaliter peccet, qui ab uno minutatim successivè furatur; quàm qui totam illam quantitatem uno actu sumsit; quia in illo casu per repetitam surreptionem paucorum non ita damnificatur, sicut in isto.

VIII. Difficultas est de eo, qui absque animo deveniendi ad magnam quantitatem, reverâ tamen, & cum advertentia deveniret ad notabilem quantitatem in illis minutis furtis: an mortaliter peccet, non quocumque actu, sed illo, quo cum advertentia furtorum præteritorum, quæ non restituit, complet materiam gravem. Dixi, *Cum advertentia* furtorum præteritorum; quia inculpabilis inadvertentia ab omni peccato excusat. Dixi etiam, *Quæ non restituit*; quia si pro præteritis parvis furtis jam restituit, nemo asserit, peccare mortaliter per levem novam surreptionem: cùm hæc nullo modo inferat grave damnum in tali casu.

IX. Dico ergo. Qui etiam sinè intentione ditescendi, & surripiendi magnam quantitatem, reverâ tamen, & cum advertentia minutim plura surripit; statim, ac devenit ad notabilem quantitatem, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Unde si notabilis materia constituens peccatum mortale furti essent decem julii; ille, qui repetitis vicibus furatus esset novem julios, statim, ac furatur decimum julium, fit reus lethalis culpæ, & incipit ad restitutionem teneri. Probatur. Etsi ultimum furtum, puta unius julii, non attingat secundùm se notabilem quantitatem; sed sit furtum minutum, & absolutè ac præcisè acceptum non inferat proximo grave damnum: ut tamen est completivum, & consummativum furtorum præcedentium, cum quibus unum moraliter est, & quæ continet quasi in virtute, constituit materiam notabilem, & graviter lædit proximum; ergo constituit peccatum mortale. Ant. prob. universim. Quoties aliquid sub gravi prohibetur, si ratione parvitatis materiæ hìc, & nunc peccatur adversùs tale præceptum solùm venialiter; graviter tamen peccatur, quando ob multiplicationem materiarum parvarum pervenitur ad materiam notabilem, ab eo præcepto prohibitam: dummodo in illâ ultimâ materiâ parvâ advertatur, quòd cum reliquis præteritis materia notabilis consurgat. Quod ostendo, tùm ratione, tùm exemplis.

Ratione quidem. Quia ille graviter violat legem, qui facit, ut in re ponatur id, quod à lege graviter prohibetur: sed in casu, qui post illa minuta furta novem juliorum, adderet furtum decimi, poneret id, quod à lege graviter prohibetur, nempe, materiam notabilem juliorum decem, & grave nocumentum proximo inferret; ergo &c.

Exemplis autem. Primò, à pari. Qui enim post illa furtiola novum adderet, illud novum retinere non posset; sed deberet sub mortali restituere, ut ferè omnes consentiunt; ergo neque posset illud accipere: & sicut peccaret illud detinendo, cur non pecca-

vet, illud accipiendo? Sicut enim detentio illius ultimi furti, ratione advertentiæ, moraliter continvatur cum prioribus detentionibus; quia ultimo actu detentionis advertens materiæ gravitatem consentit in eam: cur acceptio ejusdem non continvabitur cum prioribus acceptionibus?

Secundò. Qui in die jejunii post plures minutas comestiones advertenter addit ultimam, quâ complet materiam notabilem prohibitam à præcepto; illâ ultimâ mortaliter peccat, & frangit jejunium: & oppositum damnatum est ab Alexandro VII. *Propofit*. 29. — Rursus: qui in die festo pluries parum laborat; peccat graviter, quando advertit, se ad tempus notabile suo labore pervenisse. Simisimiliter, qui pluries eâdem die omisit parvum de horis canonicis; dum advertenter ad omissionem partis notabilis devenit, peccat mortaliter.

X. Sed dices primò. Singula illa minuta furta non sunt nisi peccata venialia: sed venialia etiamsi multiplicata non possunt evadere unum mortale; ergo &c.

Si respondeatur, plura quidem peccata venialia, etsi multiplicata, secundùm se non posse evadere mortale; per accidens tamen, & ratione materiæ posse, asserendum est: si nempe materia, quæ erat levis, per repetitionem fiat notabilis, & gravis; ut contingit in casu, & ut superiùs ostensum est. Neque in hoc casu plura peccata venialia fiunt mortale formaliter; sed solùm sunt dispositio ad mortale, nempe, ad illud ultimum, quod formaliter est peccatum mortale: quia continet præcedentia, quæ unita cum illo constituunt materiam notabilem. Peccata autem venialia disponere ad mortale, docet S. Tho. 1. 2. q. 88. *a*. 3. & nos exposuimus, *Tom*. 2. *in* 1. 2. *Qu*. 3. *de Peccatis*. *Dub*. 4. §. 1.

XI Sed instabis. Quòd in ultimo furto damnum incipiat esse notabile, non habetur unicè per ultimum furtum; sed per illud, & per præcedentia: sed unum quodque eorum est veniale; ergo non est ratio, cur ultimum sit mortale, cùm non minus sit materia parva, quàm cætera — Si dicas, evadere materiam gravem, quia continvatur cum præcedentibus; & est unum moraliter cum illis, eaque virtute includit, ac continet.

Contra est. Nam quòd materia aliorum præcesserit, non facit, quòd hoc ultimum, quod versatur circa materiam levem, ex se dicatur inferre nocumentum in materia gravi: sicut qui, post furtum grave, aliquod leve ab eodem surripit, non peccat mortaliter, licèt hæc materia fit magna ex conjunctione cum præcedenti; quia ex se est levis, & actus circa illam est solùm peccatum veniale.

XII. Respondeo, optimam esse solutionem datam. Ad instantiam in contrarium, dico, quòd qui ad quantitatem magnam, quam jam furatus est, puta, decem aureorum, addit novum furtulum, puta medii, aut unius julii: vel habet animum quantitatem illam magnam restituendi; vel cum animo eam detinendi adjungit novum furtulum. Si primum: novum furtulum non erit mortale, propter statim dicenda. Si verò secundum: illa voluntas retinendi magnam quantitatem jam surreptam, erit quidem peccatum mortale; novum autem furtum, quod modò in materia levi facit, non est novum peccatum mortale, ex defectu materiæ, auget tamen malitiam præcedentis peccati. Non quidem est mortale in utroque casu: quia qui per parva furta pervenit ad quantitatem notabilem, complevit jam peccatum mortale furti: dum verò novum furtum parvum committit, incipit aliam seriem furtorum levium, quæ non continvatur cum antecedente, nec ratione intentionis; quia suppono, non adesse intentionem perveniendi iterum ad materiam gravem: nec ratione materiæ, quia hæc jam facta est gravis per furta præcedentia.

tia. Restat ergo, quòd inchoatur nova series, quæ usquedum non accedat iterum ad magnam quantitatem, non constituit peccatum mortale; dum vero accedit, constituit diversum, ac si essent duo furta materiæ gravis. — Hæc probabiliter dicta sint. Non enim desunt, qui oppositum sentiant. Sed nobis videtur durum asserere, quòd postquam quis furatus est decem aureos, si postea ab eodem furetur unum obulum, peccet mortaliter.

XIII. Dices secundò. Qui vellet singulis diebus Quadragesimæ materiam parvam comedere, non peccaret mortaliter: quamvis omnes illæ comestiones notabilem quantitatem efficerent, nec coalescerent in unam ratione diversæ diei, quo sumuntur; ergo quando diversis actibus plura parva furta patrantur, ratione diversitatis actuum non coalescunt in unum, neque unam materiam notabilem efficiunt.

Respondeo, neg. conf. Multiplicatis enim diebus multiplicatur præceptum jejunii; quoties autem materiæ leves non violant idem præceptum, non coalescunt in unum moraliter: & ideo numquam peccatur graviter contra præceptum jejunii, etiamsi singulis diebus Quadragesimæ aliquid comedatur: contra verò, quando, licèt repetitis actibus, idem præceptum violatur, ut in casu. Quod ab Adversariis etiam dici debet: qui concedunt esse mortale, velle eâdem jejunii die unciam cibi vicies comedere; negant tamen, esse mortale, velle singulis diebus Quadragesimæ unam cibi unciam manducare.

XIV. Dices tertiò. Qui sæpè peccat leviter contra unum, vel plura vota, numquam devenit ad materiam notabilem, ita ut peccet mortaliter: unde qui sæpè pecat leviter contra votum castitatis, vel obedientiæ, nunquam mortaliter contra illud votum peccat; ergo à pari.

Respondeo, neg. conf. Sicut enim multa mendacia levia, quæ opponuntur virtuti veracitatis, nunquam pertingunt ad mortale; ita nec multa venialia adversùs castitatem, vel obedientiam; quia neutra coalescunt in aliquo effectu, nec simul sumta constituunt materiam graviter prohibitam per illa præcepta. Verùm plura furta, quæ opponuntur virtuti justitiæ, si replicentur, coalescunt in unam materiam notabilem lædentem jus alienum: & ideo evadunt peccatum mortale.

XV. Dices quartò. Monachus, qui sæpiùs surripit de bonis Monasterii comestibilia, in parva quantitate, etiamsi successu temporis deveniat ad magnam quantitatem, non violat tamen graviter paupertatis votum; ergo &c.

Respondeo, omisso ant. (de Monacho tamen sæpiùs surripiente bona parva Monasterii, non ut vendat, aut extraneo donet, sed ut in proprium usum convertat) neg. conf. Quia Religiosus, etsi furetur sæpè, & per varia furtula comestibilia ad proprium usum, usque ad quantitatem notabilem, ideo non peccat mortaliter in hac opinione (cui tamen aliqui refragantur) quia Superior non censetur rationabiliter invitus. Si enim dominus non censetur rationabiliter invitus in hujusmodi furtulis comestibilium, quæ fiunt à famulis in proprium usum; & multò minus in iis, quæ fiunt à filiis: non erit rationabiliter invitus Superior relatè ad subditos, qui non famulis, sed potiùs æquiparantur aliquomodo filiis. Religiosus tamen, qui unico actu magnam quantitatem, etiam ad suum usum surriperet, peccaret mortaliter; quia Superior rationabiliter invitus censeretur. At in casu, de quo agimus, dominus censetur rationabiliter invitus, ut per parvula furta sibi magna quantitas surripiatur: & ideo non valet paritas.

XVI. Quæres primò: An æquè mortaliter peccet, qui per pauca furta surripit notabilem quantitatem ab uno; ac ille, qui eam surripuit à pluribus?

Res-

Respondeo affirmativè. Tùm quia: valor talis materiæ combinatæ in vtroque casu non est modicus, sed gravis. Tum etiam: quia licèt singuli non damnificentur graviter, benè tamen Communitas. Tum denique: quia opposita sententia dat patrocinium iis, qui diversos in paucis defraudant, & lenocinium ad iteranda furta. — Crediderim tamen cum multis (estò aliqui negent) plus, ut supra dixi, requiri ad constituendam materiam gravem in parvis furtis, factis pluribus, quàm si fiant eidem. Quod enim sufficit ad graviter damnificandum privatum, non sufficit ad damnificandam Communitatem.

XVII. Quæres secundò: An per longa intervalla temporum discontinventur parva furta; ita ut furtula patrata post mensem, aut semestrem, non continventur cum præcedentibus: sicque non constituant unam materiam cum illis?

Respondeo, probabilius mihi videri, merum temporis spacium intercedens inter minuta furta afferre quidem discontinvationem physicam, sed adhuc relinquere continvationem moralem: per hoc, quòd fur sciens, & volens, ac advertens, se jam aliis vicibus furatum fuisse, & per ultimum furtum compleri materiam gravem, adhuc consentit in illam — Si verò dictus fur ante ultimum, aut penultimum, vel ante penultimum furtum completivum materiæ notabilis, seriò proposuisset à furtis desistere, aut restituere, & tamen postea furaretur leviter; hoc ultimum furtum esset moraliter discontinvatum à præcedentibus: & ideo non peccaret mortaliter.

XVIII. Quæres tertiò: Quid sit restituendum ab eo, qui per parvula furta pervenit ad notabilem quantitatem: nimirum, an totum illud, quod paulatim abstulit, an solùm illud, quo materiam notabilem complevit?

Respondeo, secundùm comuniorem opinionem, sufficere, ut restituat illud ultimum, quo materiam notabilem complevit. Unde si qui paulatim furatus est novem julios, & deinde furatur decimum, quo incipiat jam esse materia notabilis, & obligans ad restitutionem; aliàs detineret rem alienam gravem, domino læso, & invito: satis erit, ut restituat illud ultimum, quod abstulit, nempe, decimum. Et ratio est. Quia illo restituto, non amplius verificatur, quòd detineat rem alienam notabilem, nec quod graviter lædat proximum. Si enim ante furtum decimi julii non tenebatur sub gravi restituere; quia tunc non habebat rem alienam notabilem: neque tenebitur illam restituere, postquam restituit id, quod ultimo furtulo sustulerat, & quo materia notabilis facta fuerat.

§. III.

An quando Plures per Minuta Furta Grave Damnum inferunt Uni, Singuli Mortaliter Peccent, & Teneantur Restituere.

XIX. Casus his frequentissimus est: qui tamen tribus modis potest accidere. Primò. Ita ut illi plures mutuâ consensione, hortatu, & uno alterum adjuvando conveniant ad grave damnum proximo simul inferendum: puta, si multi datâ conventione intrantes vineam alterius, in ea grave damnum inferant. Et tunc licèt eorum singuli parvam quantitatem capiant; singuli tamen mortaliter peccant, & ad restitutionem tenentur, ut omnes conveniunt. Et ratio est. Quia ut, *Dub. præcedente* §. 2. dictum est, omnes causæ sunt illius damni, & ratione consensus in illud, fiunt una causa totalis ejus; & non est, cur unus potiùs teneatur, & non alius; ergo tenentur omnes. — An verò singuli teneantur in solidum, vel singuli suam partem; jam dictum est, citato loco, non teneri, nisi ad partem damni, quod quisque intu-

intulit, etiam alio non restituente (nisi fortè consilio, aut hortatu, vel alio modo incitator, & motor fuisset cæterorum, vel damnum esset indivisibile) Et ideo si cæteris restituentibus, pars, quæ remanet, esset exigua; tunc non teneretur eam restituere, sicut si eam ab initio solus cæpisset.

XX. Secundò. Contingere potest, per parva furta inferri grave damnum à pluribus; ita ut nullus de damno ab altero illato sit conscius: ut si ingrediens quis vineam alterius, & nesciens ab aliis fuisse damnificatam; unum, vel alterum racemum ex ea accipiat, & similiter eodem modo alius. In tali casu, nullum eorum graviter peccare, aut ad restitutionem teneri, omnes consentiunt; quia in tali casu nullus per se est causa damni notabilis, cùm nec moveat, nec consentiat, nec sit conscius damni ab alio illati: unde perinde se habent singuli, ac si ipsi soli separatim modicam acciperent qnantitatem.

XXI. Tertiò. Contingere potest, ut licèt unus non sit causa furti alterius, nec communi consensu cum illo ad damnum influxerit; conscius tamen sit, & advertat, quòd ex suo, & alterius furto damnum notabile consurget, & hoc non obstante parvam accipiat quantitatem; an tunc peccet mortaliter, & restituere teneatur. Et in hoc versatur præsens difficultas, in qua hærere video Doctores.

XXII. Quidam enim affirmant, & dicunt, peccare mortaliter. Unde si videns plures à longè, qui de vinea racemos accipiunt, absque tuo consensu, & concursu, accedas & tu, & unum, vel alerum botrum accipias: vel si transiens per vineam, quam priùs racemis onustam vidisti, & postea semivacuam reperis ante vindemiam; ut prudenter judices, devastatam esse à transeuntibus: & tu unum, vel alterum racemum carpas, peccas mortaliter, secundùm hos Auctores, ob sequentes rationes.

Prima est. Quia si advertas, fieri magnum damnum per minuta furta à pluribus, & fureris; cooperaris, & auxilium ad illud notabile, damnum præbes; ergo peccas mortaliter, & ad restitutionem teneris tuæ partis, donec per aliorum restitutionem res, à te retenta, minimi pretii non evaserit.

Secunda est. Quia per tuum furtum es causa, ut damnum, quod cæteroquin parvum erat, fiat magnum: ut si scias, alios usque ad tria suscepisse, & tu suscipias unum, quo consurgat damnum ut quatuor, quod foret magnum.

Tertia. Quia omnes, qui hoc damnum dedere, possunt pœnâ Excommunicationis compelli, ut restituant suam partem. Videns enim Dominus suam vineam devastatam, potest ab Episcopo consequi, ut sub pœna Excommunicationis cogat devastatores damna restituere, ut omnes concedunt, cùm agatur de rè gravi: & qui in tali casu non restituat, incurrit Excommunicationem; ergo peccavit mortaliter accipiendo, & modò detinendo peccat: quia Excommunicatio nonnisi ob grave crimen incurritur.

Quarta. Si tu surripiendo pauca, non peccares, nec restituere teneris; nec ille pauca surripiendo, nec ille &c. peccaret; ergo fieret, ut quis magnum damnum acciperet, imò & spoliaretur omnibus fructibus, nemine graviter peccante, aut obligato ad restitutionem, quod videtur magnum inconveniens. Propter hæc huic opinioni multi, iique graves Auctores, suffragantur.

XXIII. Aliis tamen nimis dura, & plurimis scrupulis obnoxia apparet. Cum enim sciamus, plura modica, imò & gravia Principi, vel Reipublicæ surripi; peccaremus graviter, vel unum obulum ex bonis illius accipientes, quod asperimum esset. Cumque nullus sit, qui saltem leviter non lædat Principis, vel Communitatis bona, gabellas defraudando, vel aliter; in quas angustias piorum conscentiæ non conjicerentur?

Se-

— Sequeretur insuper, quòd si scires, alium notabile damnum alteri intulisse, & tu eidem inferres leve, graviter delinqueres — Rursus: si videres alterius famam à pluribus morderi, & tu levem ei culpam inureres, graviter peccares: quia cum aliis ad gravem læsionem famæ illius concurreres — Tandem, quòd graviùs infinitè peccaret, qui surriperet unum, quàm alii surripientes quinque; si per illud unum constitueretur materia gravis: quia illi solùm leviter damnificassent, iste suo actu graviter delinqueret: esset enim causa, ut damnum, quod non erat notabile, surripiendo unum, fieret notabile.

XXIV. Sentiunt igitur, non peccare graviter, nec ad restitutionem teneri eum, qui post furta parva, & etiam magna aliorum, modicum accipit; etiamsi aliorum furta non ignoret: dummodo tamen non incitaverit illos, aut moverit, nec cum illis concurrerit, aut consenserit ad surripiendum. Et ratio est. Quia iste ex parte suâ modicum damnum intulit: & sic ex hâc causâ solùm peccat venialiter. Aliàs non est causa, ut alii furentur, nec cum illis conspiravit in furtum; ergo per furtum aliorum ejus furtum non aggravatur, nec de levi fit grave. Sicut is, qui scit, alios furari Regi, & furatur leviter eidem; non participat in crimine aliorum. Quamobrem quia hæc opinio non modicos etiam habet Patronos, & in praxi fortè plures; restat, ut videamus: num momenta contraria tanti ponderis non sint, ut iis non obstantibus, oppositum possit tutè sustineri.

XXV. Ad primum ergo respondeo, quòd dato, quòd in casu tu cooperaris in re, & physicè magno damno, cooperaris tamen in modica parte; & præsumitur, præter tuam intentionem esse, ut furtum tuum cum furtis aliorum conjugatur, & ut ex omnibus magna quantitas consurgat: unde in totum damnum consentire non diceris, nec moraliter ei cooperari, sed magis tuæ utilitati prospicere. Cumque id facias, parum tibi sumendo, videris potiùs displicentiam habere, quòd alii magnum damnum intulerint.

XXVI. Ad secundum dico, si post aliorum minuta furta parum accipias, te non fore causam damni notabilis, sed modici: hoc autem modo complere damnum notabile ab alio causatum, non est notabiliter lædere. Quod enim cum aliis compleas, præter intentionem tuam est; accidit enim tibi, quòd alii abstulerint: & ideo non es causa, ut tibi totum damnum imputetur, sed illud solùm, quod tu dedisti. Sicut enim si alii nonaginta novem darent Petro, & tu postea eidem dares unum, quo centum compleres; non dicereris centum dedisse, sed unum tantùm, etiamsi scires, alios dedisse nonagintanovem: nec dicereris causa, vel cooperator cur alii nonaginta novem dedissent. Ita si alii abstulerint à Petro nonaginta novem, & tu auferas ab eo centesimum; non debes dici ab eo abstulisse centum, neque fuisse causa, vel cooperator, ut illi centum erepta fuerint: quamvis scias nonaginta novem ei ab aliis erepta fuisse.

XXVII. Ad tertium, dico, quòd estò Excommunicatio non liget, nisi peccantem mortaliter; potest tamen ex justa causâ imponi præceptum etiam de re, quæ aliàs non esset gravis, sub pœna Excommunicationis frangenti illud: & tunc peccares mortaliter, non quia accepisti, aut detines absolutè; sed quia accipiendo, & detinendo, non vis obedire præcepto. Et supra hanc inobedientiam cadit Excommunicatio.

XXVIII. Ad quartum. Non refugimus fateri, in pluribus casibus contingere grave alterius damnum; quin ullus peccet mortaliter, & sub mortali teneatur restituere, ut in casu præ-

præsenti: quod & Adversarii tenentur fateri. Nam si nesciens, alios per parva furta furatos esse in vinea alterius, tu modicum fureris; ita ut tuo furto compleas materiam notabilem, dominus vineæ grave damnum patietur: & tamen nec tu teneris restituere, nec alii, ut omnes dicunt. Similiter si à pluribus, per modicas detractiones, fama alterius est imminuta, ita ut ex omnibus consurgat infamia notabilis; illius fama grave detrimentum patietur: & tamen nullus tenetur famam resarcire, quia quisque leviter tantùm illi detraxit, & nullus graviter peccavit, detrahendo.

Hæc satis sint pro præsenti Tractatu, & pro generali mei Candidati instructione circa materiam, & debitum restitutionis; relinquendo alios Casus magis particulares Theologis Moralibus.

Tomi Secundi in Secundam Secundæ, Ordine Undecimi, Finis.

INDEX

Eorum, quæ in hoc Secundo Tomo in Secundam Secundæ, ordine Undecimo, visa sunt notatu digna.

C

D

Chri-

E

F

H

I

Ju-